8
L534
7194

808
L534

# ARS RHETHORICA

AD

TULLIANAM RATIONEM

exacta,

IN QUA

PRAECEPTA ET EXEMPLA

Complectuntur, quæ ad Oratoriam facultatem pertinent:

*AUCTORE P.*

GABRIELE FRANCISCO LEJAY

Societatis Jesu Presbytero.

Библиотека
Голыковского Кабинет
Инв. № 7194 366

*PETROPOLI,*

MDCCXCVII.

# INDEX

## CAPITUM.

### LIBER PRIMUS.


| | Pag. |
|---|---|
| De Periodo. - - - | 9 |
| De divisione Periodorum. - - | 14 |
| Periodi ad Ciceronis imitationem exactæ. | 19 |
| De Venustate Periodi. - - | 35 |
| De arte informandæ Periodi. - - | 37 |
| De Ratione Periodos alias cum aliis connectendi. - - - - | 49 |


### LIBER SECUNDUS.


| | |
|---|---|
| Quibus præcipue modis fiat Periodorum amplificatio. - - - | 61 |
| Quibus verbis constare debeat amplificatio. | 72 |
| Quibus e locis eruenda sit amplificatio. | 90 |


### LIBER TERTIUS.


| | |
|---|---|
| De Tropis. - - - - | 110 |
| De Tropis, qui in oratione, hoc est in pluribus verbis fiunt. - - | 113 |
| De Figuris. - - - | 123 |
| De Figuris Sententiarum. - | 156 |

## LIBER QUARTIUS.


| | Pag. |
|---|---|
| De Inventione. - - - | 255 |
| De Ratione eruendi ex locis Oratoriis Argumenta. - - - - - | 256 |
| Locus a Definitione. - - - | 258 |
| Locus ab Enumeratione partium. - | 277 |
| Locus a Notatione Nominis et Conjugatis. - - - | 295 |
| Locus a Genere et Spesie seu Eorma - | 307 |
| Locus a Simili. - - - - - | 321 |
| Locus ab Oppositis, seu contrariis. - | 345 |
| Locus ab Adjunctis. - - | 386 |
| Locus a Causis. - - - | 417 |
| Locus ab Effectis. - - - | 435 |
| Locus a Comparatione. - - | 448 |
| De Locis Assumptis seu extrinsecus petitis. - - - - | 463 |


## LIBER QUINTUS.


| | |
|---|---|
| De Argumentatione ejusque Speciebus. | 522 |

# PRAEFATIO

## BREVIS

### Et instituti Operis Designatio.

Cum ad bene ornateque dicendum tota, Tullio teste, nata sit Rhetorica, cujus praeceptiones ad Tullianam rationem exactas traditurі sumus, supervacaneum putamus, pro brevitate instituti Operis, vel de illius natura, vel de necessariis ad eam assequendam cum corporis, tum ingenii præsidiis disputare. Imo neque eum, quem vulgo tenent Eloquentiæ Magistri, sequemur ordinem, ut de Inventione primum, deinde de Dispositione Partium, tertium de Elocutione, ejusdemque Amplificatione atque Ornatu tractomus. Nam cum acuendus sit statim et exercendus Candidatorum Rhetorum stylus, eam docendi viam duximus potiorem, quæ a facilioribus ad difficiliora progrederetur. Quare in Oratione, ad quam informandam ornandamque Rhetorica potissimum incumbit, spectavimus Primo Elocutionem, Secundo Amplificationeu, Tertio Ornatum, Quarto Argumenta rationesque, quibus Oratio

tio nititur. Denique Argumentationem, seu rationem atque argumentorum dilationem.

Primum præstabimus, cum artem informandi Periodos cujuscumque generis trademus. Alterum, cum easdem amplificandi modum docebimus. Tertium, quod Ornatu continetur, ex tractatione Troporum ac Figurarum planum fiet. Quartum, quod Argumenta spectat, ex Locis tam intrinsecus, quam extrinsecus petitis eruemus. Denique argumentationis partes singulas, easque dilatandi rationem, quod est in Rhetorica longe difficillimum, explanabimus. Quæ vero Partes Orationis varias earumque dispositionem attinent, nos, propter brevitatem, cui consultum volumus, ex Auctoribus bene multis, qui de Rhetorica copiosius scripserunt, cognoscenda relinquemus.

Verum quia nihil tam juvat ad designandas animis præceptiones ipsas, quam si exempla ad easdem accommodata subjiciantur, non satis habebimus illustria quaeque Ciceronis loca, quibus Rhetoricae praecepta designantur, aut describere, aut saltem diligenter indicare; sed explicatis praeceptionibus singulis, unam, et alteram Exercitationem

nem adjecimus, quae eisdem utendi norma ac regula sit. Atque ut elucubrandae Orationis artificium studiosam juventutem ne fugiat, brevem argumenti, secundum leges traditas, informandi synopsim praemittemus.

Quoniam autem nobis proposuimus Ciceronem unum sequi ducem, et exactam ad Tullianas leges Rhetoricam promittimus, operae pretium est de ratione ipsa legendi et imitandi Ciceronis pauca attexere. Quam sunt enim, qui Ciceronem evolvunt, multi; tam pauci, qui, quo pacto sit legendus et imitandus, sciant!

Sunt, qui nihil fere praeter verba, et quosdam elocutionis modos, quos vulgo Phrases vocant, annotent, ac bene multos ejusmodi, ubi saepius ac veluti per vim in Orationem intruserint, non possunt sibi temperare, quin egregiam Ciceronis imitationem sibi gratulentur. Atque hoc praesertim juvenile vitium est, et eorum, qui primis Rhetoricae elementis vacant.

Alii, iique doctiores id fere unum observant, quod ipsi dictioni subest, et elocutionis ornatu neglecto, sententiam dumtaxat sensusque verborum consectantur.

Alii

Alii denique nigil aliud student, quam ut ex lectione Ciceroniana communes excerpant Locos, quos applicare deinde cuilibet argumento possint: quae quidem exercitatio, licet utilissima sit, nondum tamen assequitur imitandi Ciceronis artem, quae tria potissimum complectitur.

Primum. Ut orationibus copulae dumtaxat, non autem ipsa verba, neque sensus, qui verbis subest, subripiantur, quod si tibi Periodus occurrerit, cujus elocutio adeo sit opportuna, ut invenire ad rem tuam aptiorem non possis, eam poteris assumere, sed ea lege, ut alio, quam posita est, ordine collocetur. Quod ut facias, alia tibi erit quaerenda Periodus, cujus ad exemplum verba ipsa accommodentur. Atque hoc ipsum praestandum tibi est, quoties vel Sententiam aliquam Tullianam, vel Elocutionem aliquam Orationi tuae applicare volueris.

Secundum: Ut minus pateat, siquid in Periodo conficienda mutuatus e Cicerone fueris, satis erit tibi proponere unam aliquam Ciceronianam Periodum, cujus particulas aliquas, quae vinciendae orationi deserviunt, non omnes accipias.

Ter-

Tertium, idque momenti non levis in eo positum est, ut si causam agas in genere Judiciali, hoc est, si accusandus, aut defendendus aliquis, Periodos ac Figuras imiteris, quas in simili genere Causarum adhibuit Orator; potius quam alias quascumque. Si quid in genere deliberativo probandum suscipias, consulenda tibi erit Oratio pro Lege Manilia, quae tota ad Deliberativum genus pertinet. Si causam agas in genere Exornativo, consules Orationem pro M. Marcello, quae Caii Caesaris, vel eam partem Orationis pro Lege Manilia, quae Pompeji laudes complectitur.

Denique si placet in aliquem vehementius invehi, leges Orationes in Verrem, in M. Antonium, in Pisonem, in Catilinam. Idque propterea Moneo, quod plerumque varia sint pro varietate causarum Orationis vincula, neque tam multa in accusando, quam in defendendo, aut deliberando requirantur. Quamquam quaedam sunt magis communes Orationis commissurae, quae in omni causarum genere usurpantur.

Ut autem illa Ciceronis imitatio vitiosa non videatur, varianda est oratio Figuris; quod

quod ut praestes, proponenda tibi erit una ut altera Ciceronis Oratio, in qua diligenter observes varia figurarum lumina, quibus illustrare pariter propositam tibi Orationem possis.

---

# ARS RHETORICA AD TULLIANAM RATIONEM exacta.

## LIBER PRIMUS. DE FLOCUTIONE ORATORIA.

### CAPUT PRIMUM. De Periodo.

*Quid est Elocutio Oratoria?*

*R.* Est modus seu ratio loquendi ac scribendi Oratorum propria, quam stylum vocant.

*Quænam est Elocutio Oratoris propria?*

*R.* Debet esse 1. Numerosa, deinde ornata, denique accommodata rei, de qua dicitur. Fit autem numerosa per Periodos, ornata per Figuras, denique accommodata per rationes et argumenta.

*Quid est Periodus?*

*R.* Periodus a Cicerone definitur in libro, qui *Orator* inscribitur, num. 207. *Oratio in quodam quasi orbe inclusa procurrens, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque Sententiis.* Hoc enim ipsum est, quod Periodus sonat, quæ vox est Græca Περίοδος, nihil aliud significans, quam ambitum

bitum quemdam atque circuitum: quia Periodus est comprehensio verborum, totam sententiam ab initio usque ad finem complectens.

Vox autem illa et significatio metaphorica est a Ludis Olimpicis deducta, in quibus Quadrigæ a Carceribus ad Metam pergebant, eamque circumflectentes redibant, deinde ad Carceres. Sic Periodus a priori sententiæ parte, quæ *Protasis* vocatur, ducitur ad partem sententiæ posteriorem, quæ appellatur *Apodosis.*

Huic explicationi congruit Aristotelica Periodi Definitio. Dicit enim, Periodum esse Orationem, quæ *initium habet et finem ex se se, et eam magnitudinem interjectam, quæ aspectabilis facile sit.*

*Quæres, quid sit* habere initium et finem ex se se?

*R.* Initium illud vocatur ab Aristotele, post quod aliquid sequi sua sponte debet, quo semel posito, nihil amplius exquiritur. Neque enim Sententia quælibet habere initium et finem dicenda est, licet a quibusdam vocibus inchoetur, et per alias voces desinat: v. gr. Si dixeris: virtus multas habet et magnas illecebras. In hac sententia nullum initium aut finis agnoscitur, quia nihil debet sequi, neque quidquam aliud ultra expectatur. Si vero dixeris: cum virtus multas et magnas habet illecebras; tunc suspensus erit sensus; et expectabitur alia sententia, quæ Priori sententiæ, et præmissæ particulæ, *Cum*, respondeat, absolvatque Periodum, v. gr. Cum virtus multas et mag-

magnas habet illecebras, tum ab ea tam amanda, quam consectanda quis temperare possit? Erit hæc vera ac germana Periodus, quæ habet initium et finem, et ad leges Aristotelicæ Definitionis exacta sit.

*Quid significant voces illæ:* Et magnitudinem interjectam, quæ aspectabilis facile sit?

*R.* Designant spatium aliquod inter initium finemque Periodi interjectum, justum illud quidem; ut et spiritum dicentis juvet, nec aurem audientis aut longiori ambitu obruat, aut breviori fallat.

Eodem pene recidit illa Phalerii Definitio, qui dicit, Periodum esse continuationem quamdam Membrorum ac Commatum, ita inter se apte et rotunde connexorum, ut plenam sententiam et conclusionem referant. Quare, secundum ipsius mentem, Periodus simillima est fornicibus, in quibus lapides ita aptantur inter se ac vinciuntur, ut se se omnes quodammodo fulciant, et compagem unam, quam efficiunt, ab omni parte sustentent.

Tam egregiis Periodi Definitionibus aliam adjicimus, si magnificam minus, breviorem certe et fortasse clariorem.

*Igitur quid est Periodus?*

*R.* Est Oratio habens sensum et numerum perfectum.

*Quot sint partes Periodi?*

*R.* Partes Periodi majores vocantur Cola, Κῶλα, seu Membra: minores Commata Κόμματα, seu Incisa.

*Quid est Colum seu Membrum?*

*R.*

*R.* Est Oratio habens sensum et numerum, sed utrumque imperfectum.

*Quid est comma seu Incisum?*

*R.* Est Oratio habens sensum perfectum, sed nullum numerum, nisi Periodus ex multis incisis confletur, quæ simul composita numerum efficiant: v. gr. Nihil agis, nihil cogitas, nihil moliris, quod ego non videam planeque sentiam.

Itaque Membrum cum Periodo convenit quidem, quod Oratio sit habens aliquem sensum ac numerum: disconvenit vero, quod sensus ac numerus, qui in Periodo perfectus est et absolutus, in Membro suspensus et imperfectus inveniatur. Incisum autem habet hoc commune cum Periodo, quod perfectum sensnm habeat; ut patet in illa Oratione: *Nihil agis:* differt ab eadem et a Membro pariter, quod omni numero propter Orationis brevitatem spolietur.

Sit in exemplum illa Ciceroniana Periodus pro Marcello, num. 19. quæ ex geminis membris coalescit. *Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi et consilii dignitas;* (hæc oratio seu sententia prioris Membri rationem habet, in qua sensus est aliquis, ut patet, et numerus, propter aptam vocum singularum dispositionem, sed imperfectus uterque, donec altera pars Periodi, seu Membrum, quod sequitur, advenerit) *ut hæc a virtute donata, cætera a fortuna commodata esse videantur.*

Ex dictis colliges, tria esse dicendi genera. Primo, Periodice is dicit, qui ambitu finito

finito Periodorum effert explanatque sententiam. Ita Cicero de Provinciis Consularibus, num. 1. *Si quis vestrum expectat, quas sim provincias decreturus, consideret ipse secum, quinam mihi homines ex provinciis potissimum detrahendi sint; non dubitabit, quid me sentire conveniat, cum quid mihi sentire necesse sit, cogitavit.*

Secundo Membratim, cum singulis Membris insistit Oratio, ut in Pisonem, num. 56. *Audistis Philosophi vocem? Negavit se triumphi cupidum umquam fuisse. Cum extinguebas Senatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis, addicebas Tribuno plebis consulatum tuum, Rempublicam evertebas, prodebas caput et salutem meam una mercede provinciæ, si triumphum non cupiebas, cujus tandem rei te cupiditate arsisse defendes?*

Tertio Incisim, cum oratio Incisis constat, ut in Pisonem, ibidem. *O scelus! o pestis! o labes!*

Et post Reditum in Senatu, n. 13. *Cum hoc homine, an cum stipite, Æthiope, si in foro constitisses, an crederes interesse? sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum, Cappadocem, modo abreptum de grege venalium diceres. Idem domi quam libidinosus! quam impurus! quam intemperans!*

Interdum Membra Incisis miscentur; ut pro Archia, num. 16. *Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis profugium ac solatium praebent. Delectant domi, non*

*impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

Primum genus in usu est praesertim in Exordiis et in rebus gravioribus. Posteriora duo adhibentur, cum Orator arguit et increpat aliquem.

## CAPUT II.

### De divisione Periodorum.

Pro numero et varietate Membrorum multiplex est ac varia Periodus Alia enim, ut quidam volunt, unius Membri est, quae dicitir a Grecis Μονόκωλος, a voce μόνος solus, et altera voce κῶλον Membrum. Alia Bimembris, sive δίκωλος. Alia trinm Membrorum, sive τρίκωλος. Alia quatuor Membrorum, sive τετράκωλος.

Exemplum illud est Periodi Bimembris lib. 1. de Oratore, num. 31. *Quid tam est admirabile, quam ex infinita multitudine existere unum* (1. Membrum) *qui id quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit?* (1. Membrum.)

Exemplum Periodi Trimembris habes pro Cœlio, num. 28. *Datur enim consensu omnium huic aliquis ludus ætati,* (1. Membrum) *et ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates;* (2. Membrum) *quæ si ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, facile tolerabiles haberi solent.* (3. Membrum.)

Exemplum Periodi Quadrimembris sufficiet exordium pro Milone. *Etsi vereor,* Judi-

*Judices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere;* (1. Membrum) *minimeque deceat, tum T. Annius Milo ipse magis de Reip salute, quam de sua perturbetur, me ad ejus causam parem animi magnitudinem afferre non posse:* (2. Membrum) *tamen hæc novi judicii forma terret oculos,* (3. Membrum) *qui, quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori et pristinum morem judiciorum minime vident.* (4. Membrum).

Quae vero Periodus quatuor Membris admodum similibus et ejusdem fere magnitudinis constat, vocatur *Quadrata;* eadem quae valde numerosa sit, *Rotunda* dicitur. Erit in exemplum Periodi huiuscemodi exordium pro Rabirio Perduelli: *Etsi, Quirites, non est meae consuetudinis, initio dicendi rationem dicere, qua de causa quemque defendam,* (1. Membrum) *propterea quod cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi causam necessitudinis esse duxi:* (2. Membrum) *tamen in hac defensione capitis, famae, fortunarum omnium C. Rabirii proponenda ratio videtur esse officii mei,* (3. Membrum) *propterea quod, quae justissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri.* (4. Membrum) Ejusdem naturae est 1. Periodus de Provinciis Consul jam laudata.

Quae vero Periodus sic inter se disposita Membra numerat, ut eodem manente sensu et Orationis concinnitate pars prior Periodi, *Protasis* dicitur, collocari possit loco posterioris

rioris quae appellatur *Apodosis,* et postrema Membra fiant prima; vocatur *Decussata* a vocabulo *Decussis;* cujus figuram exhibet numerus major Denarii Romani: quae figura sic est disposita, ut, si eam invertas, et partem imam ponas loco summae, maneat tamen eadem figura et nota Numeri Denarii X. Talis est illa Periodus, quae initio Orationis pro Caecinna legitur: *Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret* ) (Protasis) *non minus in causa cederet Caecinna Sex. Aebutii impudentiae, quam tua in vi facienda cessit audaciae.* (Apodosis. )

Nam si *Protasin* postponas *Apodosi,* seu duo priora Membra posteriorum loco colloces, et duo posteriora vicissim priorem locum occupent, manebit idem sensus, qui prius: v. g.

Non minus in causa cederet Caecinna Sex. Aebutii impudentiae, quam tua in vi facienda cessit audaciae; si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret.

Quod diximus superius, ambitum Periodicum similem esse Quadrigis procurrentibus a Carceribus ad Metas, et a Metis ad Carceres recurrentibus; tanto verius est, quod Periodus, cujuscumque generis illa sit, ex duabus tantum partibus componatur; quarum prior quae *Protasis* dicitur, itus, posterior, quae vocatur *Apodosis,* reditus rationem habeat.

Has

Has porro partes geminas facile deprehendere est in Bimembri Periodo, cujus Membrum prius *Protasin*, posterius *Adoposin* constituit. Item in Quadrimembri, ubi duo priora Membra ad *Protasim*, duo posteriora ad *Apodosim* pertinent. At in Trimembri Periodo, quae tribus membris constat; Quaeres 1. *Protasine Apodosi* an *Apodosis* debeat esse productior *Protasi;* sive an duo Membra *Protasis* complecti debeat *Apodosis* unum, an contra geminum in *Apodosi*, unum in *Protasi* magis conveniat Membrum conferri.

*R.* Nullam dari posse certam super ea re regulam, cum apud Ciceronem in Trimembri Periodo nunc *Protasis Apodosi*, modo *Apodosis Protasi* inveniatur productior; at consulendum esse judicium aurium, quo nihil est in hac arte sagacius.

Quaeres 2. *Quomodo discernere quis possit in Periodo Trimembri, quot Membra sibi* Protasis, *quot* Apodosis *vindicet?*

*R.* Attendendum esse praesertim ad secundum Periodi Membrum, quod si vinculo aut particula conjunctum aliqua cum primo Membro inveniatur, tunc duo priora Membra spectabunt *Protasin*: sin ab eo penitus solutum sit, tunc duo posteriora Membra pertinebunt ad *Adodosin*. Hoc planum fiet ex sequentibus exemplis.

Primum petitur ab illa Periodo Trimembri, quae legitur pro Archia, num. 14. *Nisi multorum praeceptis multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque*

Горьковского Государственного Университета Инв. № 566

*atque honestatem;* (1. Membrum) *in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii parvi esse ducenda* (2. Membrum) (Protasis) *numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem.* (3. Membrum) Apodosis.

Hic pronum est observare particulam *autem* in 2. Membro positam habere vim connectendi secundum Membrum cum primo, adeoque duo priora Membra ad *Protasin* referri.

Secus accidit in exemplo sequenti, quod ab Oratione pro Quintio, nu. 26. depromptum est: ubi secundum Membrum, quia nullo vinculo connectitur cum primo censeri debet ad *Apodosin* pertinere.

*Etenim si veritate, amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur;* (1. Membrum) (Protasis) *necesse est iste, qui amicum, socium; affinem fama et fortunis spoliare conatus est;* (2. Membrum) *vanum se et perfidiosum et impium esse fateatur.* (3. Membrum) Apodosis.

Antequam progrediamur ulterius, operæ pretium est illustriores omnis generis e Cicerone Periodos aliquot proferre, quarum ad normam atque imitationem aliæ Periodi, pro ratione propositi nobis consilii, exigantur.

---

CA-

# CAPUT III.

## Periodi ad Ciceronis imitationem exactæ.

### *BIMEMRES*

### CICERONIANAE PERIODI.

De Claris Oratoribus, n. 7.

### SENTENTIA CICERONIANA.

Numquam plus valet boni civis auctoritas et oratio, quam belli tempore.

*Si fuit in Republica tempus ullum, cum extorquere arma posset e manibus iratorum civium boni civis auctoritas et oratio, tum profecto fuit, cum patrocinium pacis exc. lusum est uut errore bominum, aut timore.*

### *IMITATIO.*

### SENTENTIA.

*Numquam virtus probatur melius, quam in adversis.*

Si est in vita tempus ullum, cum probari possit viri fortis magnanimitas atque constantia, tum profecto est, cum fortunæ reflantis æstum experitur, aut inimicorum injuria, aut amicorum infidelitate.

### ALIA SENTENTIA.

*Nullum est tempus aptius ad induendam virtutem, quam adolescentia.*

Si est in vita tempus ullum, cum institui facile possunt ad virtutem hominum animi, tum

tum profecto est, cum ætas flexilis ac cerea moderatoris manum non abnuit, aut pravitate cordis, aut morum corruptela.

CICERONIANA SENTENTIA.

*Libro* 1. *de Oratore, n.* 31.

Nihil est tam admirabile, quam virum aliquem infiniræ multitudini dominari posse.

*Quid est tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit?*

## *IMITATIO.*

SENTENTIA.

*Nihil laudabilius est in Principe victore, quam animum ad pacem adjungere.*

Quid tam dignum est aut præsentium aut futurorum temporum præconio, quam in medio victoriæ cursu, quæ natura superba est atque insolens, existere virum Principem, qui propriæ laudis contemptor animum ad pacem ultro ac volens adjungat?

ALIA SENTENTIA.

*Nihil admirabilius in Eloquentia, quam vis, qua pollet ad flectendos animos.*

Quid tamen est admirabile inter cæteras Eloquentiæ dotes, quam existere vim illam, quæ quod rerum omnium longe difficillimum est, hominum animos regere, et quamcumque in partem flectere possit?

CICE-

CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro Archia Poeta, n.* 1.

Archias Ciceroni Auctor fuit ad perdiscendas Artes liberales.

*Quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi Principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse.*

## *IMITATIO.*

SENTENTIA.

*Cicero Artis Rhetoricae Princeps fuit.*

Quam curiose quis velit perscrutari scripta Oratorum omnium, qui per singulas ætates floruerunt, vel ab ipsius nascentis Eloquentiæ temporibus inde usque repetens, Ciceronem intelliget et in tradendis Rhetoricæ præceptis, et in iisdem exercendis Principem extitisse.

ALIA SENTENTIA.

*Sensit Europa, nullo hostium robore, aut multitudine opprimi Galliam posse.*

Quam pertinaciter tot abhinc annis in Galliæ ruinam atque exitium Evropa tota conjuraverit, copiarum suarum robore ac numero confisa, sensit tandem aliquando tutissimum illam semper contra vim ac multitudinem in virture sua præsidium habuisse.

CI-

CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro Lege Manilia, n.* 1.

Plus Ciceronem deterruit initi ab adolescentia consilii ratio, ne in Senatu diceret, quam ipsa dicendi gloria et opportunitas illexit.

*Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites; tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed meae vitae rationes ad ineunte aetate susceptae prohibuerunt.*

## *IMITATIO.*

SENTENTIA.

*Non tam valere debet apud virum Principem vincendi cupido, quam amor pacis.*

Quamquam plenum illecebris victoris nomen ex se se, hæc autem commendatio fortissimis quibusque jucundissima, ipsoque capitis periculo redimenda videri solet: tamen in tanta vincendi opportunitate, quanta viro Principi offerri possit, plus apud eum rationes pacis, quam victoriae cupido debent valere.

ALIA SENTENTIA.

*Rerum a Ludovico Magno gestarum amplitudo Oratorem plus deterret, quam ubertas invitat.*

Quamquam praeconem esse rerum a Ludovico Magno domi forisque gestarum longe ho-

honorificentissimum ; hoc autem urgumenti genus factorum ubertate operatissimum; victoriarum magnitudine praestantissimum videri potest: tamen in tanta dicendi copia ac varietate, in qua nemini oratio defuerit, plus ipsa operis dignitas et amplitudo prudentem Oratorem deterrere, quam copiosa dicendi seges invitare debet.

CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro Marcello, n.* 19.

Laus vera unius virtutis merces est.

*Tantus est splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi et consilii dignitas, ut haec a virtute donata, caetera a fortuna commodata esse videantur.*

## *IMITATIO.*

SENTENTIA.

*Unius Beatitudinis necessarius amor est.*

Tantas habet ex se Beatitudo suavitates atque illecebras, tantam cum ipsa hominum indole necessitudinem, ut caeteris quidem rebus facile carere, ab illa consectanda temperare non posse videantur.

ALIA SENTENTIA.

*Conscientiam malam nemo non execrari, bonam sectari nemo non debet.*

Tanta est inculpatae mentis suavitas: tam graves conscientiae malae stimuli, ut hanc execrari penitus, illam expetere votis omnibus nemo non debeat.

CI-

CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro Rabirio Perduelli, n.* 1.

Consulis officium cum officio Civium collatum.

*Si est boni Consulis, cum cuncta auxilia Reip. labefactari convellique viderit, ferre opem patriae, consulere saluti fortunisque communibus, implorare Civium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere: est etiam bonorum et fortium Civium, quales vos omnibus* Reip. *temporibus extitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire* Reip. *summum in Consulibus imperium, summum in Senatu consilium putare.*

## *IMITATIO.*

SENTENTIA.

*Parentis officium cum officio Liberorum comparatum.*

Si est boni Parentis, cum Liberos feliciter susceperit, informare statim ipsos ad virtutem, sufficere iisdem quotidiana recte factorum incitamenta, liberalem educationem, vita ipsa, quam dedit, antiquiorem ducere: bonorum quoque Liberorum est, cum talem nacti fuerint Parentem, dociles afferre ed institutionem animos, insistere bonorum exemplis, vitam bene moratam quibuscumque fortunis anteferre.

ALIA

ALIA SENTENTIA.

*Viri prudentis est, res adversas praevidere; fortis cum advenerint, patienter ferre.*

Sicut viri prudentis est, cum fortunam secundam habet, varios rerum eventus prævidere, declinare, si potest, casus ingratissimos, et contra mala diligenter se munire; ita viri fortis est, cum quid adversum evenerit, sortem alteram tamquam multo ante prævisam excipere, gravissimas aerumnas ferre patienter, et inter acerbissimas rerum humanarum tempestates fortunam meliorem expectare.

## *TRIMEMBRES PERIODI.*

CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro Archia Poeta, n.* 14.

Devovi caput meum multis periculis amore laudis et honestatis.

*Nisi multorum præceptis multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda: numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem.*

## *IMITATIO.*

SENTENTIA.

*Peccant plerumque homines rerum aeternarum inconsiderantia.*

Nisi in media rerum cœlestium luce miseri mortales plerumque cæcutirent, negli-

gerentque cogitare, dum peccant, brevem fœdae voluptatis usuram pœnarum aeternitate esse aliquando redimendam; numqnam se vitiorum illecebris autvinci aut demulceri paterentur.

ALIA SENTENTIA.

*Lodovicus Magnus multa victoriarum monumenta studio pacis devovit.*

Nisi fatigatis jam diu longiore bello populis amicum pacis munus totis ambiri animis Lodovicus Magnus intellexisset, suorumque utilitates atque commoda sua ipsius gloria duxisset antiquiora; numquam profecto tot victoriarum suarum, et rerum belle fluentium monumenta studio pacis devovisset.

CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro M. Caelio n.* 28.

Tolerantur in juventute cupiditates quaedam, si modum non excedant.

*Datur consensu omnium huic aliquis ludus ætati, et ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates, quæ, si ita erumpunt, ut nullius domum evertant, faciles ac tolerabiles haberi solent.*

## *IMITATIO.*

SENTENTIA.

*Incultus animus nullam spem facit bonæ frugis.*

Eget assidua diligentique cultura hominis cujusvis animus, et ab ipsa statim adolescentia,

tia, mala quaedam cupiditatum semina profunduntur, quae nisi resecentur quamprimum, ac penitus evellantur, vix ullam bonae frugis patiuntur expectationem superesse.

ALIA SENTENTIA.

*Singulis aetatibus laudabiles Oratores extiterunt.*

Non est tam rarus, quam videtur ipse Tullius profiteri, Oratorum numerus; et aetates singulae tulerunt viros ubertate atque elegantia dicendi eximios, qui si tales forte non fuerunt, ut summum Artis illius apicem adepti videantur, laudem certe aliquam, eamque non vulgarem meruere.

CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro Quintio, n.* 26.

Vanus ille, perfidiosus, impius, qui amicum, socium, affinem spoliare conatus est.

*Si veritate, amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur, necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se et perfidiosum esse fateatur.*

## *IMITATIO.*

SENTENTIA.

*Dignus omnium amore et benevolentia, qui propriam gloriam communi utilitati devovit.*

Si contemptu gloriae vera laus, amore benevolentia, beneficentia gratus animus compa-

comparatur, necesse est, ille, qui propriam gloriam, studia, opes, communibus populorum votis et commodis devovit, laudem ab omnibus, benevolentiam, et animi grati monimentum ferat.

## ALIA SENTENTIA.

*Qui contempto labore sectatur otium, is aut ignarum se, aut fovendae doctrinae parum cupidum profitetur.*

Si doctrina comparatur labore, fovetur studio, diligentia promovetur; necesse est, ut qui vel perpetuo vixit in otio, vel prioris diligentiæ pertaesus totum se inertiae permisit, is aut nullam doctrinae partem umquam adeptus, aut illius tuendae atque excolendae parum cupidus esse videatur.

## CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro Domo sua, n.* 1.

Sapienter institutum a Romani Imperii Moderatoribus, ut Pontifices Religioni et Reip. regendae praeessent.

*Cum multa divinitus, Pontifices, a majoribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil praeclarius, quam quod vos eosdem et religionibus Deorum immortalium, et summae Reip. præesse voluerunt, ut amplissimi et clarissimi Cives, Remp. bene gerendo, Religionem sapienter interpretando, Remp. conservarent.*

IMI-

## *IMITATIO.*

### SENTENTIA.

*Sapienter constituta sunt virtuti praemia, et supplicia sceleri.*

Cum multa in omni Rep. laudabiliter inventa filiciterque instituta sunt, tum nihil praeclarius, quam quod virtuti praemia, supplicia sceleri proponerentur; ut boni mercedis expectatione, mali pœnarum metu in officio continerentur.

### ALIA SENTENTIA.

*Prudenter provisum est in Romana Rep. ut in largiendis honoribus non tam nobilitatis, quam virtutis ratio haberetur.*

Cum ad tuendam Imperii Rom. dignitatem plenae singulari prudentia leges a Reipub. Moderatoribus constitutae sunt, tum illa certe præstantissima, quod in largiendis honoribus non tam generis quam virtutis haberetur ratio; ut nobiles viri repulsae metu, ignobiles gloriæ desiderio ad magna quæque accenderentur.

## *QUADRIMEMBRES PERIODI.*

### CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro Milone, n.* 1.

Timet Cicero dicere pro Milone, vel dum turpe est pro ipso dicentem timere.

*Etsi vereor, Judices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, cum T. Annius Milo ipse magis de Reip. salute, quam de sua pertur-*

*perturbetur, me ad ejus causam parem animi magnitudinem afferre non posse; tamen haec novi judicii forma terret oculos, qui, quocumque inciderint, veterem consuetudinem Fori, et pristinum morem judiciorum non vident.*

## *IMITATIO.*

### SENTENTIA.

*Praecepta Rhetoricae quantumvis difficilia neminem eloquentiae candidatum debent deterrere.*

Etsi multa sunt in eloquentiæ studio, quæ primo aditu difficultatis nonnihil prae se ferant; ipsaque adeo præceptorum multiplicitas atque varietas totidem veluti loca sentibus aspera Rhetoricae Candidatis videri solent; tamen hæc eadem, qualiacumque sunt, documenta neminem dicendi cupidum debent deterrere, quae labore, usu, atque exercitatione molliuntur.

### ALIA SENTENTIA.

*Tempus res omnium pretiosissima incautis atque otiantibus deperditur.*

Etsi pretiosissimum quoddam est particula quæcumque temporis, nihilque se offert rerum omnium, cujus jactura resarciri minus ac reparari possit: tamen vel ipsum totius vitae tempus plerisque hominum deperditur incautis atque otiantibus, qui vel ignorare temporis pretium, vel non illud, ut par est, videntur satis aestimare.

CICERO-

CICERONIANA SENTENTIA.

*Actione* 1. *in Verrem, nu.* 5.

Fallere Verres potuisset, si quam est audax tam esset obscurus in agendo.

*Si quam audax est ad conandum Verres, tam esset obscurus in agendo, fortasse aliqua in re nos aliquando fefellisset; verum hoc adhuc percommode cadit, quod cum incredibili ejus audacia singularis stultitia conjuncta est.*

## *IMITATIO.*

SENTENTIA.

*Non est metuendus hostis humani generis, quia non est tam potens, quam est attentus ad nostram perniciem.*

Si quam est ad perniciem nostram attentus, tam esset ad perficienda consilia potens hostis humani generis, perpetuum certe sanctissimis quibusque viris metum incuteret; verum hoc percommodo et magno nostrum omnium so'atio cadit, quod infinita ipsius invidia cum incredibili imbecillitate conjuncta est.

ALIA SENTENTIA.

*Stultorum natio si tacere posset, aliquam ferret sapientiae laudem.*

Si quam inepta est ad loquendum quidpiam feliciter, tam esset solers ad tacendum stultorum hominum natio, aliquam fortasse sapientiae laudem habere posset: verum miserabi ipsorum fato ut plurimum contingit, quod

quod ad incredibilem ipsorum ineptiam insanabilis prurigo garriendi quidlibet accedit.

## CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro Rabirio Perduelli, n.* 1.

Reddit rationem Cicero praeter consuetudinem, cur defendat Rabirium,

*Etsi, Quirites, non est meae consuetudinis initio dicendi rationem reddere, qua de causa quemque defendam; propterea quod omnibus Civibus in eorum periculis satis justam mihi causam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione capitis, famae, fortunarum omnium Caji Rabirii proponenda ratio videtur officii mei; propterea quod, quae justissima causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri.*

## *IMITATIO.*

### SENTENTIA.

*Res adversae ferendae sunt aequo animo, vel si durum illud est.*

Etsi difficilioris cujusdam operae est æquam semper in humanis rebus servare mentem, propterea quod multa plerumque, ut vivitur, contra spem atque ecxpectationem evenire solent; tamen vel ad ipsas rerum asperitates leniendas habenda est moderatio, propterea quod, dum feruntur iniquius, fiunt ad ferendum graviores.

ALIA

ALIA SENTENTIA.

*Vel inter gravissima studiorum fastidia adolescentes solatio non carent.*

Etsi in comparandis liberalibus disciplinis multa juvenum animi experiri fastidia solent, propterea quod rerum istarum cognitio longum assiduumque laborem exigit; tamen vel ipsas inter gravissimas studiorum molestias, suavissimo recreari solatio debent, propterea quod improbo tandem labore difficillima quæque superantur.

## *PERIODUS QUADRATA ET ROTUNDA.*

CICERONIANA SENTENTIA.

*De Provinciis Consul. n.* 1.

Facile quis intelliget, quas sit Provincias Cicero decreturus, si cogitarit, quinam homines ex Provincia detrahendi sint.

*Si quis vestrum expectat, quas sim Provincias decreturus, considerat ipse secum, qui mihi homines ex Provinciis potissimum detrahendi sint; non dubitabit, quid me sentire conveniat, cum quid me sentire necesse sit, considerarit.*

SENTENTIA.

*Intelligere quis potest ex sua in pauperes humanitate, quam olim humanitatis partem apud Christum habiturus sit.*

Si quis scire voluerit, quam olim apud Christum motralium omnium judicem gratiam sit habiturus, cogitet ille secum, quam ipse

ipse gratiae partem pauperibus et egenis impendere soleat; tunc facile intelliget, qualem in supremo judicio Christum experturus sit, cum in egenos et pauperes qualis existat ipse, cogitarit.

ALIA SENTENTIA.

*Non pigebit quempiam hujus vitae labores ferre, qui remunerandos illos aeterna mercede cogitarit*

Si quis laborum asperitate, quibus consita dicitur vitæ felicis semita, ab eadem insistenda deterretur, reputet ille secum, quantam bonorum amplitudinem amatoribus suis possidendam Deus destinarit; tunc leves existimabit laboris cujuscumque molestias, cum mercedis æternæ pretium, qua remunerabuntur illae, considerarit.

## *PREIORUS DECUSSATA.*

CICERONIANA SENTENTIA.

*Pro Caecina, nu. 5.*

Potuisset A. Cæcina tam cedere in foro Sex. Aebutii impudentiæ, quam in agro cesserat audaciæ.

*Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret; non minus in causa cederet A. Caecina Sen. Aebutii impudentiae, quam tum in vi faciendâ cessit auctoritati.*

*IMI-*

## *IMITATIO.*

### SENTENTIA.

*Potuit Alexander parem moderationis et fortitudinis laudem ferre.*

Si quantam in expugnandis hostibus fortitudinem Alexander Magnus præ se tulit, tantam in privatae vitae consuetudine moderationem animi exhibuisset: non minus Principibus viris ad exemplum proponeretur ejus moderatio, quam ad imitandum proponi solet ejus fortitudo.

### ALIA SENTENTIA.

*Potuit Catilina tam prudentia sua, quam auctoritate vincere Ciceronem.*

Si quanta valuit ad conciliandos animos auctoritate Catilina, tanta ad dissimulandas molitiones nefarias prudentia valuisset; non minus in avertenda Reip. ruina Tullius cessisset civis exitiosi prudentiae, quam in ejusdem pernicie machinanda cesserat auctoritati.

## CAPUT IV.

### De Venustate Periodi.

*In quo posita est venustas Periodi?*

*R.* In tribus praecipue rebus. In Numero, in Verbis, in Clausulis,

*Quid est numerus?*

*R.* Numerus secundum Aristotelem est rythmus quidam exquisitus, non canorus, qualis est in poematis versibus, sed ita dissimulatus

simulatus ac latens, ut sentiatur tamen, ac jucundo fine concludatur.

Definitur aliter a Cicerone, Oratio constans partibus sonoris, aurium judicio recte et aequaliter fluentibus. Quod spectat vero Numerum in Oratione adhibendum, haec monet Tullius in Oratore ad Brutum, num. 195. *Neque numerosa esse, ut poema, neque extra numerum, ut sermo vulgi est, debet Oratio. Alterum nimis est vinctum, ut de industria factum appareat; alterum nimis dissolutum, ut pervagatum et vulgare videatur.*

*Quid spectandum in verbis?*

*R.* Hae sunt in verbis quaerendae virtutes. 1. Vis: ut si *Parricidam* dixeris pro nefario homine, *sacrilegum*, pro fure. 2. Maiestas, ut *immensitas locorum*, pro magnitudine. 3. Splendor ut *immensae camporum declivitates*, pro declivi aliquo loco. 4. Vehementia: ut *temporum procellae*, pro calamitatibus. 5. Epitheta et verba ficta ad contumeliam, ut gurges bonorum, furia patriæ, fax, tempestas Reipub. pestis. *Non enim nos color iste servilis, non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt.* In Pisonem.

*Quae cavenda sunt vitia in verbis?*

*R.* 1. Consonantium asperior commissura; ut Xerxis exercitus: 2. Syllabarum earumdem repetitio; ut: hunc timorem moremque perpetuo retinuit. 3. Crebra ejusdem vocis repetitio. 4. Similiter cadentia. 5. Plura monosyllaba 6. Verba longiora, nisi hoc postulet Orationis tarditas. 7. Inepta verborum trajectio.

*Quid*

*Quid observandum in clausulis?*

*R.* 1. Supervacaneum est dicere de pedibus, qui vel initio, vel in medio Periodi usurpantur: hæc enim usus et lectio melius docebunt. 2. Quod spectat ad finem; Periodus verbo elegantius, quam nomine clauditur. 3. Ejusmodi clausulis inserviunt vulgo sequentes pedes. Primus est, geminus Trochæus apud Ciceronem usitatissimus, v. gr. *Consulatus, continebit, consequentur.* Secundus, gemïnus Spondeus, ut *infringendam.* Tertius, Tribrachus et Spondeus, ut *prohibuerunt;* Quartus est Dactylus, maxime si præcesserit Jambus, ut *perhorresceret.*

## CAPUT V.

### *De Arte informandæ Periodi, et Membra, seu partes Periodi alias cum aliis connectendi.*

*In quo consistit artificium Periodi?*

*R.* In usu et dispositione Particularum, per quas Periodi sensus suspenditur et absolvitur. Nam particula quæque initio Periodi, sive Protasis præposita, relativa est, et dicit ordinem ad aliam particulam Apodosi præfigendam; quæ, nisi advenerit, perfectus et completus esse sensus non potest. Unde diceres, particulas illas esse in Periodo, quod sunt in ædificiis interruptis prominentes et salientes lapides, qui videntur alios expectare, quibus inserantur, et quibuscum unum opus perfectum, et absolutum efficiant.

*Quænam sunt illæ Particulæ?*

*R.* Multiplicis generis recensentur. Aliæ enim comparationem instituunt, v. gr. *Tantum, quantum, talis, qualis; eo major, quo; quemadmodum, sic.* Aliæ distributivæ sunt, serviuntque enumerationi partium, v. gr. *sive, aut, vel, neque*, bis aut ter repetita; *Primum, deinde, postremo, cum, tum.* Aliæ vocantur conditionales. v. g. *Si quidem, nisi.* Aliæ augentes, v. gr. *Non solum, sed etiam, tam, adeo, ut.* Aliæ causales, v. g. *Quoniam, quandoquidem, cum.* Aliæ pugnantes, v. gr. *Etsi, quamvis, tamen.* Aliæ relativæ, v. gr. *Qui, quæ, quod; is, ea, id* Hæ particulæ connectendis Periodi membris, seu partibus deserviunt.

*Quomodo Particularum illarum ope informari Periodus potest?*

*R.* 1. Quærenda tibi sententia aliqua, quam extendas in Periodum, v. gr. *Nihil in vita amico utilius.* 2. Vel rationem subjunges propositæ sententiæ, vel dilatabis tantum vocem illam, *utile*, hoc vel alio modo; *Nihil tam naturæ aptum, tam conveniens ad vitæ societatem et consuetudinem.* 3. Præposita particula causali *Cum*, ut suspensus sensus esse possit, ita bimembrem Periodum efficies: cum nihil est tam aptum naturæ, tam conveniens ad vitæ societatem, atque consuetudinem, quam amici benevolentia; (1. Memrum) tum cordatus homo quisquis erit, illam rebus omnibus humanis anteponendam judicabit. (2. Membrum.)

Sin

Sin subjungere statim propositæ sententiæ rationem volueris, istam v. gr. quia *amicus secundas res lætiores facit, adversas leviores*, sic Periodum bimembrem efformabis: Cum nihil est ad secundas res lætiores, et adversas leviores faciendas tam potens, quam amici benevolentia; tum cordatus homo quisquis erit, illam rebus omnibus humanis facile anteponendam judicabit.

Iam de Bimembri ut Trimembrem facias, dilatabis *Protasin* in duo membra, et beneficio particulæ *Ut*, posterius membrum junges cum priori, hoc modo: Cum ea est veri sincerique amici natura atque indoles, (1. Membrum) ut res secundas lætiores, adversas leviores efficiat, (2. Membrum. *Protasis*) quis tot inter ac tantas hujus vitæ varietates sine amici benevolentia vivere se posse arbitretur? (3. Membrum. *Apodosis.*)

Denique ut Periodus, quæ Trimembris est, fiat Quadrimembris, dilatanda *Apodosis* est per particulas comparativas, *tum, ut*, vel *tantum, quantum*, v. gr. Eritne aliquis tam parum amicus sui, tam parum cupidus tranquillitatis ac pacis, ut tot inter ac tantas hujus vitæ varietates sine amici benevolentia vivere se posse arbitretur? vel: Quanto difficilioris operæ videtur, æquam rebus in arduis pariter ac bonis servare mentem, tanto dulcior amicus ac jucundior censendus est.

Observabis ex dictis, geminam esse sententiæ in Periodum conformandæ rationem; aliam per solam dilatationem propositæ sententiæ. Ita Cicero Oratione 2. in Verrem sententiam illam: *Accidit tandem, quod opta-*

*optabamus,* sola dilatatione sic in Periodum Trimembrem fundit: *Quod erat optandum maxime, Judices:* (1. Membrum) *et quod unum ad invidiam vestri Ordinis, infamiamque judiciorum sedandam maxime pertinebat.* (2. Membrum. *Protasis*) *id non humano consilio, sed prope divinitus datum atque oblatum vobis summo Reipublicæ tempore videtur.* (3. Membrum. *Apodosis*.) Ubi patet, totam Periodum nihil esse aliud, quem meram brevioris hujus sententiæ dilatationem: *Accidit tandem, quod optabamus.*

Alia ratio est conformandæ sententiæ in Periodum, nimirum cum sententiæ aliqua ratio subjicitur. Sit in exemplum ista sententia: *Caput meum objeci multis periculis.* Cui Cicero pro Archia, num. 14. hanc rationem adjicit, *quia nihil non ferendum esse duxi pro consectanda laude atque honestate;* et sic Periodum Trimembrem informat: *Nisi multorum præceptis multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem:* (1. Membrum) *in ea autem persequenda omnes truciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii parvi esse ducenda;* (2. Membrum, *Protasis,*) *numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem.* (3. Membrum. *Apodosis.*)

Quoties autem propositæ sententiæ ratio subjicitur, hæc plerumque collocatur in *Protasi*, sententia vero ipsa in *Apodosi.*

Id porro

Id porro ut planius fiat, laudatam modo sententiam cum subjecta ratione scilicet, *nihil in vita amico utilius, quia lætiores facit res secundas, adversas leviores,* operæ pretium est in varias omnis generis Periodos ad imitationem Ciceronianam informare, ex quibus hoc etiam commodum exurget, ut quo pacto singulæ Particulæ adhiberi debeant, uno quasi intuitu liceat observare. Ipsas vero Ciceronis Periodos non hic describimus, quia jam descriptæ sunt in Capite tertio. Satis erit Orationes, et Numerum, ubi leguntur, indicare.

## *PERIODI BIMEMBRES.*

*Pro Archia, n* 1. *Per Particulas Relativas* Quod, Id.

Quod in secundis rebus dulcissimum, in adversis multo optatissimum est, id in amici veri sincerique benevolentia invenitur.

*Pro Lege Manilia, n.* 1. *Per Particulas Pugnantes* Quamquam, Tamen.

Quamquam difficultatibus plurimis vita mortalis obnoxia, in bonis autem et in arduis rebus rara æquabilitas animi videri potest; his tamen omnibus incommodis non certum modo in amici benevolentia remedium, sed etiam suavissimum vitæ solatium offertur.

*Lib.* 1. *de Oratore, n.* 31. *Per Particulas Relativas* Is, Qui.

Quid est tam expetendum in vita, quam in secundis pariter et adversis rebus habere eum,

eum, qui has leviores, illas jucundiores efficiat?

## *PERIODI TRIMEMBRES.*

*Pro Domo sua ad Pontifices, n.* 1. *Per Partilas Distributivas* Cum, Tum.

Cum ad leniendas mortalis vitæ molestias multa nobis præsidia non desunt, tum certe nullum eo majus, quod in amici sinceri fidelisque benevolentia proponitur, quī res secundas lætiores, adversas leviores efficit.

2. *Orat. in Verrem, num.* 1. *Per Particulas Relativas* Id, Quod.

Quod erat ad suavissimum hujus vitæ solatium expetendum maxime, et quod ad ferendam æquo animo sortis utriusque conditionem imprimis juvare poterat; id nobis in jucundissima veri sincerique amici consuetudine, singulari divinæ Providentiæ beneficio oblatum datumque gratulamur.

*Pro Archia, n.* 14. *Per Particulam Conditionalem* Nisi.

Nisi tot inter, tamque varias, quibus vita hominum obnoxia est, miserias dulcissimum in amicis solatium haberetur, in iisque præsentissimum adversus utriusque sortis incommoda remedium occurreret; quem demum, quantumvis cupidus vitæ videretur, longioris ævi non pigeret?

*Pro Cœlio, n.* 28. *Per Particulas Augentes* Tam, Ut.

Datur vel inter gravissimas vitæ hujus ærumnas suavissimum in amicis solatium; et illi

et illi tam lætas blandientis fortunæ vices, tam ferendos reflantis ejusdem casus reddere solent, ut sin minus jucunda ex omni parte vita, tolerabilis saltem videri possit.

*Pro Quintio, n.* 26. *Per Particulam Conditionalem* Si, *et Relativas* Is, Qui.

Si res asperas mitiores, lætas jucundiores, vitam totam æquiorem verus ac fidelis amicus facit; necesse est profecto, ut, qui in tanta hujus vitæ varietate de comparanda amici benevolentia curandum sibi non arbitratur, is neque in adversis solatium, neque in prosperis jucunditatem, neque in omni vitæ parte tranquillitatem habere velit.

## *PERIODI QUADRIMEMBRES.*

*Pro Milone, n.* 1. *Per Particulas Pugnantes* Etsi, Tamen.

Etsi difficilioris operæ videtur, æquam in varia sortis utriusque conditione mentem retinere; multosque reperire est; cum iniquioris fortunæ telis restitissent, ejusdem illecebris fuisse superatos; tamen certissimum adversus difficultates ejusmodi subsidium semper invenias in amico fideli, qui et patientiam in adversis, et in prosperis moderationem suadere possit.

*De Provinciis Consularibus, nu.* 1. *Per Particulam Conditionalem* Si, *et Distributivas* Cum, Tum.

Si quis nosse velit, quam necessaria sit inter tantas hujus vitæ varietates fidelis amici societas, consideret ille secum, quantum in

in utraque sorte juvare amicus possit; tum certe non dubitabit, quantam in amico parando debeat operam ponere, cum sine tali præsidio vix ferendam æquabiliter cum prosperæ, tum adversæ fortunæ conditionem esse intellexerit.

## *PERIODUS DECUSSATA.*

*Pro Cæcina, n.* 1. *Per Particulas Conditionales* Si, *et Comparativas* Tantum, Quantum, non minus, Quam.

Si quantum ad mitigandas molliendasque res adversas amicus potest, tantum ad temperandas ab insolenti lætitia res secundas valet; non minus quærendus est amicus in prosperis ad servandam moderationem, quam in adversis comparari solet ad retinendam patientiam.

Quæ sequuntur in idem argumentum Periodi, etsi ad Tullianam imitationem exactæ omnino non sunt, tamen docebunt usum aliarum Particularum.

*Per Particulas Comparativas* Quam, Tam.

Quam suave est in adversa sorte solatium, in prospera lætitiam experiri; tam sedulo fidelis sincerique amici benevolentia videtur esse comparanda.

*Per Particulam Distributivam* Sive, *repetitam.*

Sive blandientem suaviter votisque aspirantem omnibus sortem experiare, sive sævientem immisericorditer et reflantem perpetuo fortunam feras in utrave vitæ conditione

tione tam dispari, studio tamen pari parique diligentia fidelis amici consuetudo conquirenda est.

*Per Particulas Augentes* Tam, Ut.

Tot ac tanta ex dulci fidelis amici commercio, tam in prosperis quam in adversis oriri commoda solent, ut sine paratissimo semper hujuscemodi præsidio amara prorsus et acerba vita videri possit.

*Per Particulas Comparativas* Quemadmodum, Sic.

Quemadmodum ventis tam æquam, quam sinistram in partem spirantibus, peritissimi moderatoris prudentia navigium eget: sic secundis pariter atque adversis in rebus veri sincerique amici commercio humana vita carere non potest.

Aliud statuamus exemplum in illa sententia; quæ rationem adjunctam habet: *Difficile est assentationibus aures occludere; quia homines vulgo se amant.* Illa poterit in Periodos pariter informari ad Ciceronis imitationem.

## *PERIODI BIMEMBRES.*

*Lib.* 1. *de Orat. n.* 31. *Per Particulas Relativas.*

Quid esset tam novum tamque insolens, quam in tanta amantium plus æquo sui hominum multitudine reperire unum aliquem, qui, quod cæteri tantopere ambiunt, nullum prædicationi laudum suarum locum esse patiatur?

*Pro*

*Pro Archia, n.* 1. *Per easdem Particulas.*

Qui mature perpenderit, quam sit amans sui indoles hominum, per omnes ætatis flexus et varias vitæ conditiones volvens oculos; is mirari desinet, plerosque et merito rerum suarum præconio, et putidis etiam assentationibus nonnumquam delectari.

*Pro Lege Manilia, nu.* 1. *Per Particulas Pugnantes* Quamquam, Tamen.

Quamquam plenas fuco atque fallacia adulatorum laudes, et illas non tam ad veritatem quam ad voluptatem intructas esse nemo non sentit; tamen, ne declinentur eorum illecebræ, non solers modo istorum hominum industria, sed etiam multo magis insitus unicuique suimetipsius amor prohibere solet.

## *PERIODI TRIMEMBRES.*

*Pro Archia, nu.* 14. *Per Particulam Conditionalem* Nisi.

Nisi erudita semper ad omne blanditiarum genus esset adolatorum natio, et ad mulcendum eum, qui singulis hominum innatus est, amorem, fingeret se totam atque accommodaret, non tamen operosum videretur ab eorum insidiis declinare.

*Oratione 2. in Verrem, nu.* 1. *Per Particulas Relativas* Id, Quod.

Quod est ad conciliandos animos potentissimum, et quod ad pertentandum suaviter eum,

eum, quo se quisque persequitur, amorem plurimum posse videtur; hoc adulantum natio solertissima non aperte quidem, sed clam et per cuniculos solet adhibere.

*Pro Domo sua ad Pontifices, n.* 1. *Per Particulas Distributivas* Tum, Cum.

Cum res est plane difficilis, assentatorum vocibus aures occludere, tum certe tanto id operosum magis, quod illi mollibus illecebris amantem sui plus æquo hominum indolem demulcere solent: ut, qui ab amando se se non possunt, neque ab excipiendis ultro adulationibus valeant temperare.

*Pro Cælio, n.* 23. *Per Particulas Augentes* Sic, Ut.

Magnam habent homines ad amandos se se propensionem, et solers adulantum genus sic insitum unicuique sui ipsius amorem palpare novit, ut assentationibus aures occludere, singulare quoddam modesti ac temperantis viri specimen videri soleat.

*Pro Quintio, n.* 26. *Per Particulam Conditionalem* Si, *et Relativas* Is, Qui.

Si condita mollibus illecebris, et ad unius cujusque sensum voluntatemque comparata solet esse omnis adulatio, necesse est profecto, ut, qui laudis est amans plus æquo, et permulceri sensus suos lubentius patitur, is ab audiendis adulatorum vocibus temperare sibi non possit.

*PERI-*

## *PERIODI QUADRIMEMBRES.*

*Pro Milone, nu.* 1. *Per Particulas Pugnantes* Etsi, Tamen.

Etsi nemo pene est qui nesciat, adulatorum gentem totam esse ad fallendum decipiendumque compositam, nihilque contingere solet viro liberali ingratum magis, quam illudi; tamen molles blandientium illecebræ vel ipsos permulcent sapientissimorum hominum animos, qui contra tam amabiles insidias vix ac ne vix quidem tueri se possunt.

*De Provinciis Consularibus, n.* 1. *Per Particulam Conditionalem* Si.

Si quis forte mirabitur, unde tam aegre homines, quotquot sunt, assentationibus aures occludant, attendat ille secum, quam pauci ab amandis semetipsis valeant temperare: tunc facile intelliget, quam ultro sibi, quisquis est, adulari patiatur, cum adulantum nationem totam esse ad mulcendum amorem proprium comparatam perspexerit.

## *PERIODUS DECUSSATA.*

*Pro Cæcina, n.* 1. *Per Particulam Conditionalem,* Si, *et Particulas Comparativas,* Tam, Quam, Non minus, Quam.

Si quam est amans sui hominum indoles, tam est comparata ad mulcendum amorem illum omnis adulatio, non minus quis potest ab excipiendis ultro assentationibus temperare, quam ab amando semetipso potest idem abstinere.

*Per*

*Per Particulas Comparativas*, Quemadmodum, Sic.

Quemadmodum mare Siculum olim navigantibus singularis cujusdam prudentiæ fuit, insidiosis Sirenum cantibus aures occludere; sic in hac vitæ consuetudine, quæ adulantum multitudine infesta est, eorum lenociniis non permulceri perfecta consummataque sapientia est.

Si cui forte prolixiores fuisse videbimur in exemplis proferendis: ignoscat tamen rem illam apertiorem facere volentibus, quam præceptionum omnium, quæ traduntur in Rhetorica, longe difficillimam Candidati experiuntur, cum ad usum atque exercitationem revocanda est.

## CAPUT VI.

### De Ratione Periodos alias cum aliis connectendi.

Egimus de Perticulis, quibus Membra cum Membris vinciuntur, et ipsa Periodi conformatio constat; nunc agendum de vinculis, quibus Periodi ipsæ, aliæ cum aliis connectuntur, sive de variis Orationis nexibus. Quæres ergo.

*Quænam sunt particulæ, per quas periodi cum periodis conjunguntur?*

*R.* Hæ præsertim adhibentur, *atque ego quidem, et vero, at enim, quæ cum ita sint, itaque, nam cum, ac primo quidem, enimvero, neque vero, quin etiam, igitur,*

*ergo, quid, quod, adde quod, accedit et illud*, et aliæ multæ, quas usus frequens ac lectio docebunt.

Atque ut Præceptum istud exemplorum appositione non careat, proponenda sunt ad imitationem quædam Ciceronis exordia, quæ tota fere Periodis constant: in quibus licebit observare, quinam nexus vinciendæ Orationi inserviant. Porro ad majorem cognoscendæ Artis facilitatem, non describemus modo Ciceronis locum, cujus ad normam exigenda imitatio sit, sed brevem ejusdem synopsim præfigemus.

## CICERONIANUM EXORDIUM.

*Pro Rabirio Perduelli.*

## *SYNOPSIS CICERONIANA.*

Cicero Judices adhortatur ad absolvendum Rabirium.

1. *Reddit rationem Cicero, cur Rabirium defendat, licet non soleat illud facere.* Periodus Quadrimembris.

2. *Dicit Cicero, cum sua in Rabirium bonevolentia, tum salute Reipubl. impelli se, ad suscipiendam ipsius defensionem.* Periodus Bimembris.

3. *Dicit Cicero; sicut est Consulis succurrere Reipubl periclitanti, ita Civium est Consulem in eo præstando adjuvare.* Periodus Bimembris.

4. *Dicit Cicero: In me labor, in Senatu debet esse studium in defendendo Rabirio.* Periodus Bimembris.

ORA-

## ORATIO. 1.

*Etsi, Quirites, non est meæ consuetudinis rationem reddere, qua de causa quemque defendam; propterea quod cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi causæ necessitudinem esse duxi: tamen in hac defensione capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirii, proponenda ratio videtur esse officii mei, propterea quod, quæ justissima mihi causa ad hunc defendendum visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri.*

*Nam me cum amicitiæ vetustas, tum hominis dignitas, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata; tum vero, ut id studiosissime facerem, salus Reipublicæ, Consulare officium, Consulatus denique ipse, mihi una vobiscum cum salute Reipublicæ commendatus, cœgit. . .*

*Quamobrem si est boni Consulis, cum cuncta Reip. auxilia labefactari convellique viderit, ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisque communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriorem salute omnium ducere; est etiam bonorum et fortium civium, quales vos omnibus Reipublicæ temporibus extitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia Reip. summum in Consulibus imperium, summum in Senatu consilium putare...*

*Quamobrem labor in hoc defendendo præcipue meus est, studium vero conservandi hominis commune mihi vobiscum esse debebit.*

*IMI-*

## *IMITATIO.*

Blanca Ludovico Filio Gallici Imperii habenas moderandas tradit.

## *SYNOPSIS IMITATIONIS.*

Blanca filium adhortatur ad moderandum rite Imperium.

1. Blanca Filium suum admonet, etsi non videtur ille egere præceptionibus.

2. Dicit Branca; cum multa solent obcæcare viros Principes, tum requiri multas virtutes ad declinandum hoc incommodum.

3. Dicit Blanca; sicut exhibuisti adolescens virtutes hujus ætatis proprias; ita Rex constitutus debes præ te ferre virtutes regias.

4. Dicit Blanca; tibi gloriosum erit Regio muneri satisfecisse, mihi non indecorum te instituisse.

## ORATIO.

Etsi, fili charissime, novi satis, non egere te maternis præceptionibus ad peragenda diligenter, quæ sunt officii tui; propterea quod innata virtutis æmulatione, quidquid est cum laude conjunctum, ultro consectaris; tamen in hoc rerum flexu, quo moderandas magni Imperii habenas suscipis, te præmonendum putavi, propterea quod, quanto sublimior est locus ille, quem capessis, tanto periculosir debet videri.

Nam cum dignitatis Regiæ majestas, populorum admiratio, deliciarum illecebræ, rerum omnium copia viros Principes in hoc sortis

sortis apice constitutos occæcare plerumque solent; tum, ut declinare tam graves scopulos valeant, animus de se modeste sentiens, continentia singularis, comis humanitas, egregius rerum humanarum contemptus requiruntur.

Quamobrem si tuarum esse partium æstimasti, dum sub disciplina matris adolescerres, ingenuum morum candorem, docilitatem mentis, pietatem in Parentes exhibere; mox, cum evectus ad solium fueris, virtutes regias, fidem incorruptam, humanitatem in tuos, æquitatem in omnes debes præ te ferre.

Ita gloriosum erit tibi muneri regio, populorum votis, Parentis expectationi satisfecisse; mihi vero non erit indecorum vitam tibi, institutionem bonam, Regnum ipsum impertivisse.

## EXORDIUM CICERONIANUM.

*Pro Lege Manilia.*

## *SYNOPSIS CICERONIANA.*

1. *Dicit Cicero deterritum se fuisse ab agendis Reip. causis, non voluntate sua, sed susceptis vitæ rationibus.* Periodus Bimembris.

2. *Dicit Cicero, cum sit tenuitatis suæ conscius, et noverit, nihil nisi perfectum afferri oportere, maluisse se aliis rebus vacare.* Periodus Bimembris

3. *Dicit Cicero, non defuturos, qui agant in Senatu, futurumque, ut ipse cum aliqua*

*aliqua amicorum utilitate et gloria pergat in instituto vivendi more.* Periodus Bimembris.

4. *Dicit Cicero, ex collato sibi Prætoris munere se intellexisse, quas sibi populus Roman. quas aliis partes injungeret.* Periodus Bimembris.

## ORATIO.

*Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites; tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt.*

*Nam cum antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem; statueremque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere; omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.*

*Ita neque hic locus vacuus umquam ab us, qui vestram causam defenderunt; et meus labor in amicorum periculis caste integreque versatus, ex vestro judicio fructum est amplissimum consecutus.*

*Nam cum propter dilationem Comitiorum ter Prætor primus conctis Centuriis renunciatus sum, facile intellexi, Quirites, et quid de me judicaretis, et quid aliis faciendum præscriberetis.*

IMI-

## *IMITATIO.*

Negat Cicero, audiendum esse de pace Antonium.

## *SYNOPSIS IMITATIONIS.*

1. Dicit Cicero, diterreri se ab accipienda pace, quam offert Antonius, non amore belli, sed Reipublicæ gloria et salute.

2. Dicit Cicero, cum noverit, quid sit e Reip. commodo, et prævideat pacem Reip. turpem et damnosam fore, illam esse bello postponendam.

3. Dicit Cicero, non defuturos, qui bellum feliciter conficiant, futurumque, ut partam meliori fato pacem sibi omnes aliquando gratulentur.

4. Dicit Cicero, cum natura sua cupidus rixarum Antonius pacem peteret, diffidere eum viribus suis, et a virtute Populi Romani sibi metuere.

## ORATIO. 4.

Quamquam suavissimum semper pacis nomen, hanc autem saluberrimam huic Urbi, Populo Romano longe optatissimam esse duxi, P. C; tamen ad rejiciendam hodie, quam obtulit pacem Antonius, non me intempestiva quædam cupido belli, sed Reip. gloria cum ejusdem utitate conjuncta permovit.

Nam cum longa temporum experientia didicerim, quid ad Reipublicæ commoda maxime pertineat, intelligamque oblatas ab Antonio

Antonio conditiones pacis turpes ac perniciosas fore, illam gravissimo quocumque bello magis metuendam esse non dubitem profiteri.

Ita neque deerunt in hac civitate clarissimi fortissimique Cives, qui bellum istud optata postmodum victoria perficiant, et partam meliori fato tranquillitatem licebit nobis aliquando gratulari.

Nam cum turbarum amans rixarumque cupidus Antonius animum tandem ad pacem adjecerit, facile potestis intelligere, Quirites, et quam parum rebus confidat suis, et quantum a vestra virtute sibi metuendum arbitretur.

## CICERONIANUM EXORDIUM.

*Oratione secunda in Verrem.*

### *SYNOPSIS CICERONIANA.*

1. *Dicit Cicero, accidisse illud, quod erat optandum maxime Reip. et ipsius plurimum intererat.* Periodus Trimembris.

2. *Dicit, inveterasse opinionem illam, hominem divitem non posse condemnari.* Periodus Trimembris.

3. *Dicit, in tanto discrimine adductum esse Verrem in judicium.* Period. Trimembr.

4. *Dicit, se Actorem huic causæ accessisse, ut Senatus existimationi consuleret.* Periodus Trimembris.

### ORATIO.

*Quod erat optandum maxime, Judices, et quod unum ad invidiam vestri Ordinis infami-*

*infamiamque Judiciorum sedandam maxime pertinebat; id non humano consilio, sed prope divinitus datum, atque oblatum vobis summo Reip. tempore videtur.*

*Inveteravit enim jam opinio perniciosa Reip. vobisque periculosa, quæ non modo Romæ, sed et apud exteras Nationes omnium sermone percrebuit, his judiciis, quæ nunc sint, pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari.*

*Nunc in ipso discrimine Ordinis Judiciorumque vestrorum, cum sint parati, qui concionibus et legibus hanc invidiam Senatus inflammare conentur, reus in judicium adductus est C. Verres, homo vita atque factis omnium jam opinione damnatus, pecuniæ magnitudine, sua et spe ac prædicatione absolutus.*

*Huic et ego causæ, Judices, cum summa voluntate et expectatione Populi Romani Actor accessi, non ut invidiam augerem Ordinis, sed ut infantiæ communi succurrerem.*

## *IMITATIO.*

Juditha redux ad Bethulienses amputato Holopherni capite.

## *SYNOPSIS IMITATIONIS.*

1. Dicit Juditha, perfectum illud esse, quod neque tentare, neque sperare licebat.

2. Dicit,

2. Dicit, sic interclusos fuisse omnes aditus Holophernis exercitui, ut arceri malum non valeret.

3. Dicit, in magno omnium metu, Imperio et vita spoliatum fuisse Holophernem.

4. Dicit, exhibere se spectandum Holophernis caput, ut gratias Deo populus referat.

## ORATIO. 4.

Quod neque humanis viribus tentari posse videbatur, neque in miserrimis rerum nostrarum angustiis sperare fas erat, Cives amantissimi; id hodie non armarum vi, aut militum numero, sed imbelli fœminæ unius manu perfectum absolutumque putatur.

Imminebant enim nostris mœnibus cum robore, tum multitudine ipsa metuendæ Holophernis copiæ, quæ non regionem modo totam, sed interclusos omnes aditus sic obsidebant, ut vel ruinam Urbis vel præsens Civium capitibus arcere malum non liceret.

Nunc in tanta omnium trepidatione, cum ad perficiendum detestabile consilium superbus hostis accederet, debitas temeritati suæ pœnas dedit, Imperio pariter ac vita spoliatus.

Hujus ergo caput hac ipsa recisum a cervicibus manu spectandum vobis exhibeo, Cives amantissimi, non ut insultetis tristibus hominis impii reliquiis, sed ut amplissimas, ut par est, omnipotenti Deo gratias referatis.

Ad absolutionem hujus Articuli subjicimus Oratiunculam ex quatuor Periodis conflatam, quæ referant imitatione Ciceronianas Periodos ex variis Orationibus depromptas.

CREUSA

## CREUSA AD AENEAM.

*Cum incensa Troja ad propulsandum commune excidium se se armis accingeret.*

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicit Creusa, addere se moram una cum filio festinanti AEneæ ad servandam Trojam, licet intilligat, quantum in ipso præsidium communis salus habeat.

*Propositio.* Neminem fore, apud quem ipse ejusque filius patrocinium inveniat, si fortuna pergat adversari.

*Confirmatio.* Dicit, non sibi minus animi fore ad procurandam patriæ salutem, quam ipse præ se ferret, si, quantam movet fiduciam ipsius magnanimitas, tantam præsens rerum status expectationem suscitaret.

*Complexio.* Dicit, si fuit olim fortis Civis patriam tueri quocumque periculo, cum spes affulgeret aliqua, jam esse boni parentis et conjugis domum tueri.

### ORATIO.

*Pro Milone, num.* 1. Etsi vereor, etc. *Period. Quadr.*

Etsi satis intelligo, Conjux amantissime, quam certum est ad hanc usque diem præsidium in te communis salus habuerit, neminemque video præter AEneam, qui præsentius ruenti patriæ afferre remedium possit: patere tamen, ut festinanti tibi ad servandam Trojam moras adjiciant mœrens uxor et infortunatus filius; qui vitam fortunasque suas tui unius in salute collocatas habent.

*Pro*

*Pro Lege Manil. n.* 1. Nam cum antea etc. *Period. Trim.*

Nam si fatorum vis inimica nobis, ut fecit hactenus, pergat adversari, teque spem gentis unicam et afflictæ domus solatium eripiat, apud quem demum in supremo rerum nostrarum discrimine opem patrociniumque inveniemus?

*Pro Cæcina, n.* 1. Si quantum in agro, etc. *Period. Quadr. Decussata.*

Equidem si quantam nobis affert animi tui magnanimitas fiduciam, tantam hodiernus rerum status fortunæ melioris moveret exspectationem; non minus ego te ad propulsandum miseriæ urbis excidium adhortarer, quam ab eadem frustra defendenda conor deterrere.

*Pro Rabirio Perid. n.* 3. Quamobrem, si est boni Consulis etc. *Period. Bimemb.*

Verum si fuit olim fortissimi Civis, cum spes avertendæ ruinæ aliqua superesset, opitulari laboranti patriæ, nullam vereri discriminis aleam, suam suarumque salutem communi salute posteriorem ducere: nunc fidi conjugis et optimi parentis est, cum jam incensa Troja spem omnem ejusdem servandæ ademisse videatur, tueri tristes miseræ gentis reliquias, arcere ferrum et faces a suis Penatibus, totumque se ad præstandos conjugem et filium incolumes reservare.

---

LIBER

# LIBER SECUNDUS.

## DE AMPLIFICATIONE PERIODI.

Quoniam Liber iste secundus pertinet adhuc totus ad conformandam Elocutionem, quæ cum delectu ac compositione verborum, tum sententiarum gravitate maxime constat: non hic attingimus istud Amplificationis genus, quæ ex argumentorum varietate rebusque cæteris ad faciendam fidem accommodatis nata Orationi ipsi dilatandæ inservit. Sed spectamus solam Periodorum amplificationem, aut potius sententiarum ipsarum dilatationem, ex quibus Periodi conficiuntur. Nam cum sententia plerumque sit brevior, quam ut ex ea Periodus informari commode possit: hic breviter exponemus, quibus modis dilatari illa debeat.

## CAPUT PRIMUM.

### Quibus præcipue modis fiat Periodorum amplificatio.

Hic spectari potest vel Membrorum Periodi, vel Periodi ipsiusmet amplificatio.

*Quomodo fit amplificatio Membrorum Periodi?*

*R.* Fit illa vulgo adjectione synonymarum vocum, nominum adjectivorum, vel sententiæ alicujus, quæ sit præcedentis ratio, aut explicatio.

*Quot sunt amplificandæ Periodi rationes?*

*R.* Quatuor præcipue modis amplificari Periodus potest. 1. Per Definitionem. 2. Per Enumerationem partium: 3. Per Interpretationem. 4. Per Auxesim seu Incrementum.

Primo igitur amplificabitur Periodus per Definitionem, quæ propositæ rei naturam explicat; vel per interpretationem singularum vocum subjectæ Orationis, et sententiæ. Exemplum istud esto. Sit Periodus conficienda ex hac brevi sententia. Rhetoricam oportet perdiscere. Rhetoricæ definitionem afferes. Nempe est Ars bene dicendi; deinde explicabis, quid sit perdiscere Rhetoricam; nimirum legendo, scribendo et audiendo illi operam dare; mox per Definitionem ita Periodum conficies.

Ars illa nobilissima, cujus est tradere præcepta bene ornateque dicendi, non tantum est assidue legenda in summorum Rhetorum monumentis, aut a Doctore perito audienda, sed etiam crebra scriptione et frequenti exercitatione perdiscenda.

Ita Tullius Oratione pro Milone, nu. 90. qui cum vocem illam *Curiam* amplificandam haberet, ita dilatat per varias Curiæ definitiones: *Vidimus templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo Populo Romano concessam uni Ordini inflammari, exscindi, funestari.*

Sic

Sic in Pisonem, num. 43. postquam Naufragium, exsilium, mortem, et cætera fortunæ tela negavit supplicii loco esse ducenda; delapsus ad Pisonis Gabiniique scelera, definit, quid sit proprie supplicium: contenditque, ipsorum furorem atque audaciam vera esse supplicia, quæ Deus ab illis exigat. *Quæ est igitur pœna? Quod supplicium? Id mea sententia, quod accidere nemini potest, nisi nocenti. Suscepta fraus, impedita et oppressa mentis conscientia, bonorum omnium odium, nota inusta a Senatu, amissio dignitatis.*

Secundo per Enumerationem partium. Quando ejusdem rei et sententiæ partes variæ recensentur. Ita Cicero pro Milone, num. 20. cum per Ironiam hoc tantum haberet dicendum: Omnes lugent Clodium, ita vocem illam *Omnes* dilatat per Enumerationem partium; *P. Clodii mortem æquo animo ferre nemo potest; luget Senatus, mœret Equester Ordo, tota Civitas confecta senio est, squalent Municipia, afflictantur Coloniæ, agri denique ipsi, tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.*

Sic in Pisonem, num. 96. ostendit, illum fuisse omnium sententiis damnatum: vocem et illam *omnes* ita dilatat per Enumerationem: *Omnes memoriam Consulatus tui, mores, facta, etc. detestantur. Legati, qui una fuere, alienati: Tribuni millium, inimici: Centuriones, et, si qui ex tanto exercitu milites reliqui existunt, non dimissi abs te, sed dissipati, te oderunt,*

*runt, tibi pestem exoptant, execrantur, etc.*

Et Orat. post reditum in Senatu brevem hanc sententiam, *Mihi omnia bona reddidistis*, ita per Enumerationem amplificat, num. 1. *Mihi fratrem optatissimum, me fratri amantissimo, Liberis nostris Parentes, nobis Liberos, dignitatem, ordinem, fortunas, amplissimam Remp. patriam, qua nihil potest esse carius, denique nosmetipsos nobis reddidistis.*

Tertius amplificandæ Periodi modus per Interpretationem, sive Synonymiam, et verborum idem pene significantium congeriem: cum id, quod semel uno verbo dictum est, idem aliis verbis ejusdemque significationis, sed cum majore emphasi dicitur. Nam cavendum inprimis in hac Synonymia, ut postremæ voces augeant priorum significationem. Ita Cicero Orat. Post reditum in Senatu, brevem hanc sententiam, *Vestra in me beneficia explicari dicendo non possunt*, ita per Interpretationem dilatat, n. 1. *Qui tanta potest existere ubertas ingenii; quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus Orationis, quo quisquam possit vestra in nos universa promerita non dicam complecti orando, sed percensere numerando?*

Et Phillppica 2. num. 68. sententiam illam brevem. *Tu Pompeji domum ingredi ausus es?* qua increpat Antonium, ita amplificat: *Tu ingredi domum illam ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare?*

*trare? tu illarum ædium Diis Penatibus os importunissimum ostendere etc.*

Quartus amplificandæ Periodi modus per Auxesim seu Incrementum, cum per gradus crescit Oratio et ad summum pervenit. Ita Orat. in Verrem 3. num. 8. scelera Verris per Incrementum amplificat: *Non enim furem, sed ereptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque; non sicarium, sed crudelem carnificem Civium sociorumque in vestrum judicium adduximus.*

Et pro Roscio Amer. num. 12. *Eo prorumpere hominum cupiditatem et scelus et audaciam, ut non modo clam, sed etiam hoc in Foro, ante Tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, Judices, inter ipsa subsellia cædes futuræ sint.*

Et Philip. 2. Antonii vinolentiam per Incrementum sic amplificat, nu. 63. *Tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in conspectu Populi Romani vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam, in immanibus illis tuis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in cœtu vero Populi Rom. negotium publicum gerens, Magister Equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum, et totum tribunal implevit.*

EXER-

## EXERCITATIO.

Divi Ambrosii Mediolanensis Episcopi ad Theodosium Imperatorem Oratio, cum is post peractam Thessalonicæ cædem Templum ingredi voluisset.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Per Apostrophen petet a Theodosio, quo pergat, et vocem illam, *pergat*, amplificabit per Interpretationem. Tune sanctissimum illud limen ingredi audeas? quam sententiam ad exemplum Ciceronis Philip. 2. num. 63. pariter dilatabit, subjiciendo voces synonimas, quæ idem significent cum majore emphasi.

*Propositio.* Jubebit ipsum procul recedere sacris ab ædibus, nisi velit Templum Domini novo scelere polluere: et vocem illam, *Templum*, per definitiones varias amplificabit, ad exemplum Ciceronis pro Milone, nu. 96. ubi Curiam per definitiones varias amplificat.

Venit ad Confutationem, qua cædis causam elevabit. At enim occisus Tribunus? violata Principis Majestas? etc. An debuit culpa illa tot Civium sanguine expiari? quid illi commiserant? et vocem, *illi*, amplificabit per Enumerationem ad Ciceronis exemplum, qui pro Milone, num. 20. vocem, *Omnes* amplificat.

*Conclusio.* Per Incrementum ad exemplum Ciceronis Actione 2. in Verrem, num. 8. Et tui te non pudet? sed insolescis, sed etc. Ah! respice, etc.

ORA-

## ORATIO. 6.

Quo pergis, Theodosi? quod tendis? quid mihi superbus incessus ille? quid fluctuantes oculi? quid cædem spirans ac sanguinem vultus minatur? Tu civium tuorum adhuc stillans cruore sanctissimum istud lumen ingredi? tu verendos penetrare aditus? tu metuendum inhabitantis ibi divini Numinis aspectum subire non pertimescas?

Procul hinc secede sanctis ab ædibus: non capiunt tanti flagitii reum tam religiosa penetralia: castissimus hic sanctissimorum virorum cœtus parricidas non admittit, nisi forte nova amens iracundia, novo inflammatus furore, augustissimum supremæ Majestatis tabernaculum, domicilium sanctitatis, pietatis asylum, afflictæ innocentiæ perfugium, locum sacris mysteriis consecratum, cædi et sanguini per summum nefas destinasti.

Hanc igitur expectationem fecerant initia moderatissimi Principatus? Hanc te sævitiam sapere docuit illa Religio, quam ejurato falsorum Numinum cultu suscepisti? tam cruenti mores, tam harbari Christianum Imperatorem decebant? An enim violata Principis Majestate non est reveritus populus Ministrum Imperatoris? occisus turbas inter ac tumultus plebis militum Tribunus? Esto; an debuit paucorum scelus tot Civium sanguine expiari? an æquum fuit innocentes luere perduellium pœnas? Nam quid commiserant tot expertes purique seditionis viri, quos occidisti? quid fecerant tot nobiles matronæ,

matronæ, quas immisericorditer interemisti? quod eluebant scelus tot pudicæ virgines, quas militum furori pariter ac libidini permisisti? Quid peccaverant tot pueri, tot infantes, quos e parentum complexibus, quos matrum ab ubere tortor ac parricida abstraxisti? Denique quid habebant cum seditiosis quibusdam commune tot religiosi Sacerdotes, quibus ad sacra templorum penetralia confugientibus, et aras amplexantibus non pepercisti?

Et tui te non pudet? et factum non doles? et admissi parricidii veniam supplex non petis? et iratum tibi, seque ad vindictam accingentem Deum non placas? sed etiam intra sacratos recessus admitti postulas? Ah! resipisce potius, si sapis, et devotum non brevibus modo vitæ hujus ærumnis, sed sempiternis etiam suppliciis caput provide, quamprimum ut subtrahas.

## ALIA EXERCITATIO.

Moysis ad Israelitas Oratio, cum illi longioris viæ laboribus deterriti reditum in AEgyptum cogitarent.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Quæret ab Israelitis, quid cogitent, quid meditentur? etc. quod amplificabit per Interpretationem.

*Propositio.* Petet, quid tantum ipsis placeat in AEgypto? et per Definitiones varias dicet, quid sit AEgyptus, ærumnarum domicilium, etc.

*Confir-*

*Confirmatio.* Petetur 1. ab iis ærumnis, quas passi sunt in AEgypto, quæ per Enumerationem amplificabuntur. 2. Ab illa Terra, quam se daturum illis Deus promiserat; et Terra illa designabitur variis Definitionibus.

*Conclusio.* Per Auxesim. Quo igitur vos appellabo nomine? an dementes, etc.

## ORATIO.

Quid agitis, Israelitæ miseri? quo vos cæcitas immanis agit oblitos vestri, Deique? Excutite torporem vestrum, et quæ vestris mentibus tenebras offundit, caliginem depellite: quid enim in AEgypto quæritis? quid consectamini? quid vobis tantum sapit in hoc tristissimo laborum, ærumnarum, luctus, lacrymarum domicilio? Quid infelix exilium placet? quid perpetuæ servitutis habitaculum juvat libertati destinatos? Itane vero tam cito obliti estis dolores vestros, nihil ut vobis injecerit infelicis illius soli, quod misere deperitis, fastidium? non labores, quos exanthlatis? non procellæ, quas pertulistis? non pericula, quæ subiistis, non calamitates, non miseriæ, non AEgyptiorum odia, non furor, non verbera et cætera malorum agmina, quibus jactati, conflictati, profligati estis, insanabile, quo flagratis, infortunatæ regionis desiderium extinguere poterunt?

An ergo vestris excidit animis, Israelitæ, fortunatæ illius terræ memoria, quam supremus rerum omnium arbiter, Deus ille, quem colitis, fideli populo destinavit? nihil vos

movet

movet beata illa quietis, pacis, gaudii lætitiæque mansio? nihil sapit tutissimus post tot exhaustas tempestates, et placidissimus, qui vos expectat, portus? non placet felix illa patria, quam fœcundissima rerum omnium ubertate fluentem ac manentem esse didicistis?

Nam quo vos appellabo nomine, si spreto tam felicis ævi domicilio, infelix malorum omnium receptaculum pergitis furiose consectari? an dementes? an vestri, rerumque vestrarum oblitos? an potius vitæ ac salutis hostes infensissimos, pene dixerim vestri ipsorum crudeles parricidas?

## ALIA EXERCITATIO.

Marci Attilii Reguli ad Carthaginenses Oratio, cum infecta re, quam ipse dissuaserat, Carthaginem reversus esset.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet, non timuisse se reverti Carthaginem infecta re, quamvis non ignoraret, quam gravia sibi parata essent supplicia.

*Propositio.* Per Interpretationem: dicet, non negare se, aut dissimulare, fuisse se unum auctorem, ne fœdus illum Romani cum Carthaginensibus sancirent.

*Confirmatio.* Dicet, eo propendisse omnium animos, ut remitterentur Carthaginem, qui Romanorum in vinculis tenebantur. Et vocem illam *Omnes* per enumerationem amplificabit. Addet, nulla re potuisse se inflecti,

inflecti, ut communibus votis responderet, quod Enumeratione pariter dilatabit.

Concludet, permittendo se Carthaginensium furori. Hortabitur etiam, ut nocentem plectant; suppliciis, morte, afficiant; quod Interpretatione et Incremento amplificabit.

## ORATIO.

Etsi, Viri Carthaginenses, minime ignorabam, quam grave capiti meo exitium accerserem, nisi permutandos utrinque captivos esse, quod volebatis omnes, Romanis persuasissem; tamen infecta re non modo revertor ad vos obligatæ fidei memor, sed neque vereor etiam tam insolentis consilii unum me auctorem profiteri.

Sic est; non veni in hunc locum, Carthaginenses, ut, quod est a me factum laudabiliter, aut inficiari, aut dissimulare, aut excusare velim.

Unus omnium obstiti, prohibui, vetui, ne tam indignum Romana gente vobiscum fœdus sanciretur. Ego labentes jam et inclinantes ultro pudendam in pacem animos confirmavi: fecit mea unius Oratio, ne turpissima nostro nomini labes, ex tam iniquis conditionibus, æternum adhæresceret.

Nam, si nescitis, vidi cum universa pene civitas, paucorum hominum studiosa magis, quam gloriæ suæ memor, dedi sibi postularet, quos habetis vestris in vinculis parata vicissim, quos captivos fecisset, Carthaginem remittere: vidi, et videre puduit in eandem ire sententiam, quod erat apud nos maxime

sanctum

sanctum atque integrum, partem nobilitaris longe maximam clarissimos Reipubl. nostræ Ordines, Senatum ipsum molli nescio quo commiserationis sensu miserabiliter inflexum assentiri votis communibus, et exiturum in patriæ dedecus ac ruinam Decretum pacis ac fœderis meditati. Reclamatum est a me viriliter, pugnavi in omnes, vici, persuasi. Non me tot matronarum orbitas, aut conjuges, aut liberos requirentium, non desolatæ multitudinis obsecrationes, non urbis totius comploratio, non familiæ meæ dolor ac luctus, non parata mihi reduci supplicia, et cruentum quodlibet mortis genus commoverunt.

Agite ergo, Carthaginenses, irritum per me fœdus meo sanguine compensate. Sum reus: in me unum manus ac furores vertite. Mulctare sontem, macerate, perdite. Tentate in Regulum novum aliquod supplicii genus. Jam præcepi mecum ante, quicquid durum est atque asperum: non vincetis expectationem: neque aut mori timidum, aut quacumque mortis imagine pavescentem invenietis.

## CAPUT II.

### Quibus verbis constare debeat Amplificatio.

*Quænam præcipue verba vim habent Amplificandi?*

*R.* Hæc præsertim recenset Tullius libro Partitionum Oratoriarum, num. 53. Sic enim ait: *Est igitur amplificatio, gravior quædam*

*quædam affirmatio, quæ motus animorum conciliet dicendo fidem. Ea et verborum genere conficitur et rerum. Verba ponenda sunt, quæ vim habeant illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, Gravia, Plena, Sonantia, Juncta, Facta, Cognominata; non vulgata, Superlata, imprimisque Translata, nec in singulis verbis, sed in continentibus Soluta, quæ dicuntur sine coniunctione, ut plura videantur. Augent etiam Relata verba, Iterata, Duplicata, et ea quæ ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora, omninoque semper quasi naturalis et non explanata oratio, sed gravibus referta verbis, ad augendum accommodatior.*

De singulis operæ pretium est pauca dicere, et singula illustribus exemplis commendare.

Primo, Verba debent esse *Illustria*, ita tamen, ut ab omnibus intelligantur, nec abhorreant a sensu communi. Illustris est ea Ciceronis exclamatio pro Planc. nu. 99. *O acerbam mihi memoriam temporis illius ac loci, cum hic in me incidit, complexus est conspersitque lacrymis, nec loqui præ mœrore potuit? o rem cum auditu crudelem, tum visu nefariam! o reliquos omnes dies noctesque eas, quibus iste a me non recedens, Thessalonicam me in Quæstoriumque perduxit!*

Sic pro Milone, n. 33. *Tu P. Clodi cruentum cadaver ejecisti, tu spoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.*

Secundo. Debent esse *Gravia*, hoc est plena sententiarum et majestatis. Ita Cicero pro Milone, nu. 97. *Ex omnibus præmiis virtutis, si esset habenda ratio præmiorum, amplissimum esse præmium, gloriam esse hanc unam, quæ brevitatem vitæ posteritatis memoria consolaretur; quæ efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus: hanc denique esse, cujus gradibus etiam homines in cælum videantur ascendere.*

Porro verba illa graviora sunt, quæ majorem vim bonitatis ostendunt, ut charitas et pietas, quam amor et benevolentia. Hinc Cicero L. 1. Epist. 9. *Perjucundæ mihi fuerunt Litteræ tuæ, quibus intellexi, te perspicere meam in te pietatem: quid enim dicam benevolentiam, cum illud ipsum sanctissimum et gravissimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis esse videatur?*

Graviora sunt pariter, quæ majorem vitiositatis vim præ se ferunt; ut latro, prædo, raptor, quam fur, carnifex, quam sicarius; parricida, quam homicida; impius ac nefarius, quam improbus; profligator, quam malus. Ita et quæ majorem nocendi vim habent; ut vulnerare et ferire, quam percutere; exterminare, quam ejicere; trucidare, quam occidere, etc.

Tertio. Debent esse *Plena*, qualia sunt illa pro Milone, num. 98. *De me semper Populus Rom. semper omnes gentes loquentur, nulla unquam obticescet vetustas.*

Quarto.

Quarto. Debent esse *Sonantia.* Talia sunt illa, quæ leguntur in Miloniana, nu. 87. *Polluerat stupro sanctisimas Religiones; Senatus gravissima Decreta perfregerat; pecunia se palam a Iudicibus redemerat; vexarat in Tribunatu Senatum; omnium Ordinum consensu pro salute Reip. gesta rescinderat; me patria expulerat; bona diripuerat, etc.*

Et pro Plancio, n 102. *Huc exurge tamen, quæso, retinebo, et complector, nec me solum deprecatorem fortunarum tuarum, sed comitem sociumque profitebor.*

Quinto. Debent esse *Cognominata,* hoc est ejusdem pene significationis, ut pro Milone, nu. 101. *Hæc tanta virtus ex urbe expelletur, exterminabitur, ejicietur?* Et pro Plancio, n. 101. *Quid me aspectas? Quid mea promissa repetis? quid meam fidem imploras?*

Sexto. Vim habent amplificandi verba *Juncta,* quæ non simplicia, sed composita sunt, ut perhorrescere, excruciare, contrucidare, etc.

Septimo. Augent Orationem *Facta* verba; quæ Orator ipse fingit, ut acrius et vehementius dicat. Ita Cicero scribens ad Appium Lib. 3. Famil. Ep. 7. dicit. *Nullam Appietatem, nullam Lentulitatam valere plus, quam ornamenta virtutis.* Sic malus poeta per contemptum Poetaster nuncupari potest.

Octavo. *Non vulgata,* quæ supra vulgarem dicendi morem efferuntur, ne humilis videatur Oratio, ut pro Milone, num. 85.

*Vos*

*Vos Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obtestor! vosque Albanæ aræ Sacrorum Populi Romani sociæ et æquales, quas ille præceps amentia cæsis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat.*

Hæc aliquando substituuntur vulgaribus, et ex collatione videntur ampliora.. Exemplum dabit hic locus ex Verrina 3. n. 6. *Non enim furem, sed ereptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque: non sicarium, sed crudelissimum carnificem Civium sociorumque in judicium vestrum adduximus.*

Nono, *Superlata* dicuntur, quæ veritatem excedunt, et dicunt plus, quam revera est, ut pro Mil. nu. 105. *O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit! hanc ingratam, si ejecerit! miseram, si amiserit.* Idem pro Archia, nu. 19. *Saxa et solitudines voci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt.*

Et pro Marcello, n. 8. *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.*

Et pro Lege Manil. nu. 28. de Pompejo loquens: *Qui extrema pueritia miles fuit summi Imperatoris; ineunte adolescentia maximi ipse exercitus Imperator: qui sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit, quam cæteri legerunt, plures Provincias confecit, quam alii concupierant.*

Decimo.

Decimo. Multum valent cum ad illustrandam, tum ad augendam Orationem *Translata* verba, qualia sunt illa, lumen Orationis, splendor generis, concionum procellæ, Orationis fulmina, incensus ira, inflammatus cupiditate, errore lapsus, etc. Pro Mil. n. 5. *Equidem cæteras tempestates ac procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas.*

Ibid. n. 35. *Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suæ gloriæ, præter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus?*

Monet autem Tullius, abhibendam esse *Disjunctionem;* quod fit, cum unumquodque Membrum suum verbum habet ac sensum. Talis est locus ille supra jam laudatus pro Mil. nu. 87. *Me patria expulerat, bona diripuerat, domum incederat, liberos, conjugem meam vexaverat, Cneo Pompejo nefarium bellum indixerat.*

Fit etiam Disjunctio singulis in verbis, ut pro Mil. n. 103. *Quodnam concepi tantum scelus, aut quod in me tantum facinus admisi, cum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protudi, extinxi?*

Et pro domo sua, n. 106. *Jus igitur statuetis esse uniuscujusque vestrum sedes, aras, focos, Deos, Pœnates subjectos esse libidini Tribunitiæ?*

Maximam quoque, si Tullio credimus, vim habent amplificandi *Relata verba, Duplicata, Iterata,* et quæ ascendunt ab humilioribus ad grandiora.

Quod

Quod spectat ad *Relata* verba, illa tribus modis possunt intelligi. 1. Cum paria paribus referuntur. Pro Mil. n. 10. *Est enim hæc non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus; etc.*

2. Cum contraria contrariis nectuntur, ut pro Sexto, nu. 133. *Sed mihi omnis oratio est cum virtute, non cum desidia; cum dignitate, non cum voluptate; cum ratione, non cum amentia; cum iis, qui se patriæ, qui suis Civibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui somno et conviviis et delectationi natos se arbitrantur.* Pro Marc. n. 7.

3. Cum ad unum verbum multi casus per *Adjectionem* referuntur, ut pro Cluentio, n. 12. *Ita flagrare cœpit amentia, sic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiæ, non hominum fama, non filii dolor, non filiæ mœror a cupiditate revocaret.*

*Iterata* dicuntur ea, quæ sæpius initio Membrorum vel Incisorum repetuntur; ut pro Milon. n. 94. *Ubi nunc Senatus est, quem secuti sumus? ubi Equites Romani illi, inquit, tui? ubi studia Municipiorum?* 2. Phil. nu. 19. pro Lege Manil. n. 30.

*Duplicata* verba sunt ea, quæ geminantur, ut pro Mil. n. 91. *Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis.*

Plu-

Plurimum valent quoque ea verba ad augendum, quæ ab humilioribus ad grandiora perveniunt. Ita pro Mil. n. 103. *Utinam Dii immortales fecissent! pace tua, patria, dixerim; (metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie) ut P. Clodius non modo viveret, sed etiam Prætor, Consul, Dictator esset, antequam hoc spectaculum viderem.*

Et Verrina 7. nu. 169. *Facinus est vincire Civem Rom. scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?*

Denique consectanda est in verbis consonantia, Cicerone teste. Hinc superlativa melius ponuntur pro absolutis. Pro lege Manil. nu. 1. *Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus.* Et pro Flacco, num. 1. *Cum in maximis periculis hujus urbis atque imperii, gravissimo atque acerbissimo Reipub. casu, socio atque adjutore consiliorum, periculorumque meorum L. Flacco, cædem a vobis, conjugibus, liberis vestris, vastitatem a templis, delubris, urbe, Italia depellebam, etc.*

Pluralia pro singularibus; ut pro Balbo, n. 2. *Si auctoritates patronorum in judiciis valerent, ab amplissimis viris L. Cornelii causa defensa est; si usus a peritissimis, si ingenia ab eloquentissimis, si studia ab amicissimis, et cum beneficiis cum L. Cornelio, tum maxime familiaritate conjunctis.*

Verba-

*Verbalia* pro absolutis consonantiora sunt, ut si dominatrix animi cupiditas, pro domina vitæ: *Philosophia Dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, et Artium procreatrix*, lib. 5. Tuscul. Quæst. n. 5.

## EXERCITATIO.

*Luctus Jacobi, cum tinctam Josephi sui, ut ferebatur, sanguine tunicam aspexisset.*

Per verba Illustria, Gravia, Plena, Sonantia, Cognominata, Juncta, Facta, non Vulgata, Superlata.

## *SYNOPSIS.*

1. Ordietur a triplici Exclamatione verbis illustribus expressa, qua suum et Josephi fatum deplorabit.

2. Dicet, nihil fore deinceps, quod acerbi funeris memoriam consoletur. Per verba Gravia.

3. Per verba Plena, obversaturam semper animo cruentæ cædis imaginem.

4. Per verba Sonantia queretur, quod adfuerit nemo in solitudine, qui rabiem ferarum compesceret.

5. Filios increpabit per Cognominata verba, quod Fratri opem non tulerint.

6. Per verba Juncta dicet, præsentire eos debuisse Josephi fatum, nisi prohibuisset ipsos malus in fratrem livor.

7. Per non Vulgata semetipse incusabit, qui per deserta loca filium pergere solum permiserit.

Denique

Denique per verba Superlata dicet, futurum fuisse, ut ipse feris valentior, earum ferociam repressisset.

## ORATIO.

(*Illustria pro Planc.* 99.) O acerbum misero parenti nuncium, quod refers, cum tunicam hanc mihi laceram miserabiliter, et cruentatam objicis! o luctuosum deplorandumque Josephi fatum! o reliquos mihi, quibus vivere ulterius dabitur, dies flebiles et amaros!

(*Gravia pro Mil.* 97.) Nam quid mihi deinceps contingat in hoc ærumnosæ vitæ curriculo, quod acerbissimi illius funeris memoriam possit consolari?

(*Plena pro Mil.* 98.) Obversabitur semper ante oculos cruentæ illius cædis imago tristissima, et gravibus stimulis usque confixus animus misero luctu contabesceret.

(*Sonantia pro Mil.* 87.) Ergo ne vel desertas inter solitudines nullus adfuerit, qui ferarum immanium impetum arceret? sævitiam ac rabiem comprimeret? se se destitutæ innocentiæ patronum defensoremque profiteretur?

(*Cognominata pro Mil.* 101.) Et vos, Fratres infidi ac perduelles, non adfuistis? non tulistis opem? fratrem vestrum e cruentis bellnarum faucibus non eripuistis, non defendistis, non servastis?

(*Juncta*) Præsentire debuisset vestra pietas tam luctuosum miseri Josephi fatum, et periculi magnitudinem antevertere. Erat hic locus contestandæ apud omnes vestræ in frat-

fratrem charitatis, nisi mala vos æmulatio et degener livor continuissent.

(*Non vulgata pro Mil.* 85.) Sed quid Filios accusas tuos, infelix parens? tuam ipsius socordiam argue, et expertem humanitatis omnis animum accusa. Nam cur Josephum tuum per saxa invia et inhospita, per vastas desertasque nemorum solitudines; per metuenda ferarum spelæa solum incomitatumque permittebas?

(*Superlata pro Mil.* 105. *Pro Archia* 19.) Ah! si puero fidelis comes adfuisses, si te viæ socium adjunxisses, filium ab omni periculo tutum et incolumen præstitisses. Tu Leonum ferocitatem perdomuisses, Tigrium asperitatem mitigasses, contra vim atque impetum amor ipse fortior ac valentior insolitum robur et arma vinci nescia suflecisset.

## ALIA EXERCITATIO.

Insectatio Neronis, cum Britannicum sub amicitiæ specie ad Epulas invitatum veneno interfecisset.

### *SYNOPSIS.*

1. Triplici exclamatione Illustribus verbis expressa Neronis facinus insectabitur.

2. Per verba Gravia Britannicum consolabitur gratissima posteritatis recordatione.

3. Per verba Plena et Sonantia petet a Nerone, num potuerit morientis Britannici vultus sustinere?

4. Per verba Juncta dicet, perhorruisse ipsos sceleris administros.

5. Per verba Facta, fingenda esse nova vocabula, ad Sævitiam Neronis designandam.

6. Quæret a Nerone per verba Cognominata, qua fuerit injuria provocatus, antequam scelus istud perageret?

7. Per non Vulgata eumdem exagitabit, quod non habuerit satis Britannico eripere Imperium, nisi in ejus vitam grassaretur.

Denique per Superlata, non esse Neronem amandandum ad feras, ne easdem faciat consortio suo crudeliores.

## ORATIO.

(*Verba illustria*) O ferale luctuosumque Populo Romano spectaculum, Britannicus geniales inter epulas crudelissimo fato sublatus! o funestam bonis omnibus acerbamque hodiernæ diei memoriam! o facinus nullo posteritatis odio, nulla execratione satis detestandum!

Tamen ne doleas tantuum, Juvenis fortissime; (*Gravia*) nec præcisum tibi ab inani parricida brevis fragilisque vitæ curriculum acerbius desideres. Non extinxit Nero perfidus una cum corpore gratissimam rerum a te gestarum recordationem; et dum sævissimi Imperatoris immanitatem omnis ætas execrabitur, nulla de tuis laudibus unquam conticescet.

(*Plena et Sonantia*), Ten' vero; mortalium omnium crudelissime, sustinuisse irretortis oculis tristissimam tui sceleris imaginem? inspexisti sine horrore quodam ac fremitu squalidos ac liventes vultus, extinctos flagitio tuo fratris oculos, revolutum inter

mensas

mensas incruentum cadaver, flebilem et amaram omnium complorationem?

(*Juncta*) At perhorruerunt ad tam immane spectaculum detestabiles tui furoris administri; ipsi feralis aulæ parietes visi sunt contremiscere, et ad novum parricidii genus commoveri.

(*Facta*) Crudelis! sed quid ego te crudelem dico, quasi vox sit aliqua, quæ parricidii tui atrocitatem adumbrare possit? fingenda sunt nova vocabula, quæ criminis novitati respondeant. Non jam crudelis Nero, sed crudelitas ipsa Neronis nomine vocabitur, ut tuo deinceps nomine nuncupata, majorem animis terrorem incutiat.

(*Cognomina*) Sed age! qua lacessitus injuria, qua provocatus contumelia, quo Britannici flagitio stimulatus ad committendum tale parricidium te comparasti? cum barbarum illud consilium concepisti, an eras apud te satis? an fueras sceleris gravitatem meditatus? an Juvenis innocentissimi dignitatem, merita et propinquam tibi cum eo affinitatem expenderas?

(*Non vulgata*). Parum igitur erat, quod debitum Britannico solium malis Agrippinæ matris artibus eripueras? quod ipsius bona, fortunas, munera sustuleras, nisi in ipsius vitam immedicabili veneno grassareris?

(*Superlata*). O scelus! o impietas! et adhuc peracto tali flagitio conspectum hominum sustines? I, pete recessus nemorum, inter saxa cautesque asperas cum immanibus feris immorare. Quamquam et illud cave, ne commisceris: Tu contage crudeli-

crudelitatis immaniores feras, tu rupes præsentia tua duriores efficeres, qui immanitate feras, rupes duritie superasti.

## EXERCITATIO.

*Extolletur Prudentia Ciceronis, qui cessit in exilium, ne Rempublicam in discrimen adduceret.*

Per Translata verba, Dissoluta, Relata, Iterata, Duplicata et Gradationem.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicas, non potuisse temperare vel in privato communique luctu ab extollenda Ciceronis ultro cedentis prudentia.

2. Per Translata verba dices, magnæ fuisse prudentiæ, cedere tempestati, et se privato potius, quam publico naufragio exponere.

3. Describes per Disjuncta, seu Dissoluta verba luctum totius civitatis, abeunte Cicerone.

4. Dices per Relata verba, pugnandum fuisse Ciceroni, non cum ratione, sed cum amentia, etc.

5. Per Iterata verba, vidisse Ciceronem, si pugnaret cum Clodio, periculis infinitis Remp. esse exponendam.

6. Per Duplicata verba, appellabis Ciceronis prudentiæ testes Senatores: Vos, vos, etc.

Denique dices, Ciceronis prudentia servatam urbem, Remp. Italiam, idque per Gradationem.

ORATIO.

Qnamvis, Marce Tulli, multo satius arbitrarer cum civitate universa dolori meo indulgere, quam inutili, nec conveniente huic tempori præconio abeuntem prosequi; tamen vel in hac ipsa, in quam te ultro conjecisti, fuga tam singularem prudentiam demonstrasti, ut ad eam prædicandam, ut par est, publicam interpellare tantisper comploratione nem non pertimescam.

(*Translata verba pro Mil. num.* 5.) Quantæ enimvero prudentiæ fuit, cum perturbatam causa tua variis animorum æstibus civitatem cerneres, ita cessisse non invitum tempestatibus ac procellis, ut adires ipse quidem naufragii periculum, Rempublicam vero totam tranquillo in portu collocares?

(*Disjuncta seu Dissoluta pro Mil. num.* 87. *Domo num.* 106.) Nam quis meminisse possit sine lacrymis tristissimam illius diei imaginem, cum te deposcente ad pœnas nefaria P. Clodii conjuratione, lugeret Senatus, mœreret Equester Ordo, boni omnes afflictarentur, tota civitas proprii corporis oppositu imminentem capiti tuo perniciem, ferrum, faces, arma, gladios depellere conaretur?

(*Relata pro Mil. num.* 10. *Sex. num.* 138. *Mar. num.* 7.) Tamen, quoniam pugnandum tibi erat, Marce Tulli, non cum ratione, sed cum amentia, non cum æquitate, sed cum furore, non cum homine, sed cum pecude, putasti esse prudentiæ tuæ illud subire pugnæ genus, in qua si vicisses, sine gloria vicisses, vinci autem non posses, quin

quin summum nomini tuo dedecus, fatalem ipsi Reip. ruinam accerseres.

(*Iterata 2. Phil. num. 2. 19. pro Lege Manilia, num. 30.*) Videbas enimvero pro singulari mentis tuæ perspicacia, quantis Rempub. periculis objiceres, si furenti Clodio molem opponere aggredereris. Videbas, eversis legibus, nullum fore consiliis tuis, aut etiam divinæ facundiæ locum: videbas sublata Magistratuum auctoritate nullum in Foro præsidium; nullam in æquissimis Judicibus spem esse positam; videbas, exulante justitia, dominante ubique libidine, nullum afflictæ innocentiæ contra scelus atque audaciam patrocinium superesse.

(*Duplicata 7. Verrina, num. 161. Cat. 1. 4.*) Quod igitur neque vis, neque facundia perfecisset, hoc tu prudentia tua consecutus es, Marce Tulli, ut communibus malis mederere. Vos, vos appello, clarissima Reipublicæ Lumina, vos amplissimi hujus Ordinis Principes, vos sapientissimi rerum nostrarum Moderatores, qui cedentem ultro tempori Ciceronem palam extulistis. (*Per Gradationem pro Mil. num. 103. 7. Verr. nu 169.*) An erit quisquam vestrum, qui profiteri dubitet, singulari ipsius prudentia factum esse, ut ferro, facibusque ereptam hanc urbem, Rempublicam ab excidio communi, Italiam totam a suprema vastatione, universum denique Imperium ab imminenti ruina conservatum, contra spem omnem, expectationemque nostram, videremus?

## ALIA EXERCITATIO.

*Marco Tullio Ciceroni post suum in urbem Romam reditum, Oratio Gratulatoria per laudata modo verba.*

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet, Rempubl. voluisse in publico gaudio singulare aliquod lætitiæ suæ testimonium Ciceroni dare.

2. Dicet, longe dissimilem esse faciem Civitatis ab ea quæ fuerat, cum Cicero ex urbe cederet, per Translata verba.

3. Per relata explicabit, ut mœror mutatus fuerit in gaudium; et per Dissoluta, lætitiam ad omnes pertinuisse.

4. Per Iterata, non excidisse memoriam beneficiorum, quæ Cicero contulerat in Rempub. Cum, etc.

5. Per Duplicata, Ciceronem invitabit, ut excipiat plausus totius Civitatis.

Denique per Gradationem explicabit Ciceronis merita in Remp.

### ORATIO.

Etsi sincerus gestientis undique Populi Romani plausus et læta omnium Ordinum acclamatio satis significant, quantum universa civitas ex tuo in hanc urbem reditu gaudium perceperit, Marce Tulli; tamen suæ erga te propensissimæ voluntati numquam se Respublica nostra fecisse satis existimet, nisi hoc publico lætitiæ suæ testimonio redeuntem prosequatur.

Proh!

Proh! Dii immortales, Marce Tulli, quam mutata Civitatis hujus facies, ex quo suavissimo conspectu tuo unumquemque nostrum recreasti! Quam dissimilis hodiernæ lucis festivitas ab eo tristissimi illius diei apparatu, (*Translata*) cum perturbatis seditionum fluctibus cedendum esse ratus, ne Remp. certissimo naufragii periculo exponeres, te te immanissimis sævientis belluæ furoribus subtraxisti!

(*Relata, Dissoluta*). An non enimvero sentis ipse, M. Tulli, quantam in omnibus et singulis conversionem animorum adventus tuus effecerit? Non intelligis per temetipsum, ut mœrorem gaudium, risus lacrymas, festas gratulantium voces tristissimos planctus exceperint? Ad quem porro tam singularis lætitiæ pars non pervenit? Lugebat Senatus abeuntem, jam redeunti gratulatur. Mœrebat Equester Ordo, qui te maximum decus suum atque ornamentum deperderet; nunc te recepto ac sospite, plaudit ac triumphat. Afflictabantur omnes boni, dum se patrono suo ac defensore destitutos cernerent; exultant hodie cum restitutum te sibi fuisse gloriantur. Tota Civitas confecta luctu atque senio salutis vindicem ac libertatis suæ assertorem requirebat; nunc erecta tandem et recreata novum sibi a te præsidium adpromittit.

(*Iterata.*) Neque enim excidit gratissima tuorum erga Civitatem hanc meritorum memoria, cum perniciosa in Rempub. consilia detegeres; cum nefarios sceleratorum civium impetus reprimeres; cum pro salute publica gravis-

gravissimis periculis caput opponeres; cum urbem hanc ab incendio, scelere, ferro, servitute eriperes.

(*Duplicata.*) Excipe ergo, Marce Tulli; excipe dignas prudentia, dignas pietate, dignas constantia triumphantis in causa tua Civitatis universæ gratulationes. (*Gradatio*). Nam si multum tibi debet, quod illam facundiæ tuæ laude ornaveras; si multo plura, quod eamdem tam prudenter administraveras; si plurimum, quod consilio atque vigilantia multas ab ea calamitates depuleras; quantnm debere tibi dicenda est, quam ab exitio funestissimo salvam et incolumem præstitisti?

## CAPUT III.

### Quibus e Locis eruenda sit Amplificatio.

Hactenus de verbis egimus, ex quibus Amplificatio constat; reliquum, ut de rebus, seu de Locis, ex quibus eruitur Amplificatio, dicamus. Nam illa, etsi ex omnibus Locis tum insitis seu intrinsecus petitis, tum assumptis seu extrinsecus accersitis haberi potest, de quibus dicemus postea; tamen ex his præcipue decem Locis repetitur.

Primus est a *Definitionibus conglobatis*, seu a congerie Definitionum, per quas rei cuiuslibet explicatio, quæ aut naturam ipsius. aut partes, vel causas et effecta, vel officia et adjuncta continet, vel propriis vocibus vel translatis designatur. Ita Cicero pro Lege Manil. num. 36. definit Imperatorem ab iis virtutibus, quæ in eo adesse debent, et quas deinde

deinde in Cn. Pompejo reperiri demonstrat. *Est hæc divina atque incredibilis virtus Imperatoris, quid cæteræ, quas paulo ante commemoravi, quantæ et quam multæ sunt? Non enim solum bellandi virtus in summo atque perfecto Imperatore quærenda est, sed multæ sunt artes eximiæ hujus administræ comitesque virtutis. Ac primum quanta innocentia debent esse Imperatores, quanta deinde in omnibus rebus temperantia, quanta fide, quanta felicitate, quanto ingenio, quanta humanitate, quæ breviter qualia sunt in Cn. Pompejo, consideremus.*

Sic in oratione post reditum ad Quirites, per varias Definitiones enumerat magnitudinem beneficiorum, quæ a Populo Romano acceperat, num. 5. *Quorsum igitur hæc disputatio? quorsum? ut intelligere possitis, neminem umquam tanta eloquentia fuisse, neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui vestrorum magnitudinem, multitudinemque beneficiorum, quæ in me fratremque meum, liberosque nostros contulistis, non modo augere, aut ornare oratione, sed enumerare aut consequi possit. A parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus, a vobis natus sum Consularis, illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt, vos spectatum et incredibili pietate cognitum reddidistis. Remp. illis accepi temporibus eam, quæ pene amissa est, a vobis eam recuperavi, quam aliquando omnes unius opera servatam judicarunt. Dii immortales mihi*

*liberos*

*liberos dederunt, vos reddidistis. Multa præterea a Diis immortalibus optata consecuti sumus; nisi voluntas vestra fuisset, omnibus divinis muneribus caruissemus. Vestros denique honores, quos eramus gradatim assecuti, nunc a vobis universos habemus, ut quantum antea parentibus, quantum Diis immortalibus, quantum vobismetipsis, tantum hoc tempore universo cuncta Pop. Rom. debeamus.*

Et pro Cæcinna, n. 77. et 78. probat Aquilium esse virum probum a prudentia, humanitate, fide, justitia.

Et 2. Oratione in Rullum, num 7. ait se Remp. afflictissimam recepisse, quam describens, per omnes calamitatis circumstantias definit.

Ibidem n. 97. avaritiam et ambitionem Rulli damnat per Definitiones conglobatas.

Secundus Locus a *Frequentatione Consequentium*, cum proferuntur bona seu mala, quæ oriri possunt ex aliqua re. Hunc locum tractat Cicero pro Murena, num. 85. *Sed quid tandem fiet, si hæc elapsa de manibus nostris in eum annum, qui consequitur, redundarint? Unus erit Consul, et is non in administrando bello, sed in sufficiendo Collega occupatus. Hunc jam qui impedituri sint, parati sunt. Illa pestes immanis, importuna Catilinæ prorumpet, qua poterit, et jam Populo Romano minatur: in agros suburbanos repente advolabit: versabitur in castris furor, in Curia timor, in Foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vastitas; omni autem in sede*

*sede ac loco ferrum flammamque metuemus. Quæ jam diu comparantur; eadem ista omnia si ornata suis præsidiis erit Resp. facile et Magistratuum consiliis, et privatorum diligentia opprimentur.*

Et Catil 4. num. 11. *Videor enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium subito uno incendio concidentem: cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium. Versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi et furor in vestra cæde bacchantis.*

Tertius *a Contrariis*, in quo contraria multa congeruntur. Pro Murena numero 89. *Ibit in exilium miser? Quo? Ad Orientisne partes, in quibus annos multos legatus fuit, et exercitus duxit, et magnas res gessit? At habet magnum dolorem, unde cum honore decesserit, eodem cum ignominia reverti. An se in contrariam terrarum partem abdet; ut Gallia Transalpina, quæ nuper summo cum Imperio libentissime viderit, eumdem lugentem, mœrentem, exsulem videat? In ea porro Provincia, quo animo C. Murænam fratrem suum aspiciet? quis hujus dolor, illius mœror erit? quæ utriusque lamentatio? Quanta autem perturbatio fortunæ atque sermonis, quod, quibus in locis paucis ante diebus factum esse Consulem Murænam nuntii litteræque celebrassent, et unde hospites atque amici gratulatum Romam concurrerint, repente eo accedat ipse nuncius calamitatis suæ?*

Sic

Sic pro Milone num. 99. Judicum benevolentiam sibi conciliat commemoratione sui in illos amoris et memoris animi; quibus irasci non possit ob vulnus acceptum: *Nec vero si mihi eriperis, reliqua est illa tamen ad consolandum querela, ut his irasci non possim, a quibus tantum vulnus accepero; non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi; non male aliquando de me meriti, sed semper optime. Nullum umquam, Judices, mihi tantum dolorem inuretis (etsi quis potest esse tantus?) sed ne hunc quidem ipsum, ut obliviscar, quanti me semper feceritis.*

Et pro Cœlio nu. 78. probat Tullius a Contrariorum conflictione Cœlium numquam Reip. defuturum; et comparatione inter illum et Clodium, qui non ita pridem absolutus fuerat, instituta, Judices ab ejusdem damnatione deterret.

Quartus locus est a *Dissimilitudine*, in quo multa dissimilia adhibentur, ut. 2. Catil. n. 24. ubi probat Cicero a Dissimilibus, non esse metuendos Catilinæ socios: *O bellum magnopere pertimescendum, cum hanc sit habiturus Catilina scortatorum cohortem prætoriam! Instruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias vestra præsidia vestrosque exercitus, et primum illi confecto ac saucio Consules Imperatoresque vestros opponite. Deinde contra illam naufragorum ejectam et debilitatam manum, florem totius Italiæ ac robur educite. Jam vero urbes Coloniarum ac Municipiorum respondebunt Catilinæ*

*linæ tumulis sylvestribus. Neque vero cæteras copias, ornamenta, præsidia vestrarum illius latronis inopia atque egestate debeo conferre.*

Et Verrina 6. nu. 115. *Conferre hanc pacem cum illo bello, hujus Prætoris adventum cum illius Imperatoris victoria: hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto; hujus libidines, cum illius continentia; ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.*

Et ibid. nu. 31. *Sic habetote, plures esse a Syracusanis istius adventu Deos, quam victoria Marcelli homines desideratos.*

Quintus Locus a *Repugnantibus.* Pro Milone nu. 103. *Nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahar ab iis per quos restitutus sum?* Et num. 104. *Hiccine vir patriæ natus, usquam, nisi in patria morietur? aut si forte pro patria: hujus vos animi monumenta retinebitis. corporis in Italia nullum sepulchrum esse patiemini? hunc sua quisquam sententia ex urbe expellet, quem omnes urbes expulsum a vobis ad se vocabunt?* ubi probant a contentione Repugnantium, Milonem in Italia retinendum esse.

Et pro Comœdo, num. 18. probat Saturium pugnantia loqui: *Quid tu, Saturi, qui contra hunc venis, existimas aliter? Nonne, quotiescumque in causa in hujus viri nomen incidisti, toties hunc et virum bonum esse dixisti, et honoris causa appellasti,*

*lasti, quod nemo nisi aut honestissimo aut amicissimo facere consuevit?* Et ibid. num. 19. *Qua in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eumdem et læderes et laudares; et virum optimum et hominem improbissimum esse diceres. Eumdem tu et honoris causa appellabas et virum primarium esse dicebas, et socium fraudasse arguebas. Sed, ut opinor, laudem veritati tribuebas, crimen gratiæ concedebas. De hoc, ut existimabas, prædicabas: Chereæ Arbitratu causam agebas.*

Et pro Mil. n. 41. *Quem igitur cum omnium gratia nolit, hunc voluit cum aliorum querela; quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere.*

Et pro Cœlio, num. 47. probat a Repugnantibus, Cœlium non potuisse fractum deliciis atque voluptatibus videri, qui Eloquentiam professus fuisset. *An hic, si se se isti vitæ dedisset, Consularem hominem admodum adolescens in judicium vocavisset? hic, si laborem fugeret, si obstrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie versaretur? appeteret inimicitias, in judicium vocaret, subiret periculum capitis, ipso inspectante Populo Romano tot menses aut de salute aut de gloria dimicaret?*

Sextus a *Causis* ducitur, quando vel excusatur aliquis, vel vituperatur a variis causis, propter quas videtur excusandus, aut vituperandus. Ita Cicero pro Sextio a num. 46. ad

ad num. 50. causas affert, propter quas sibi depugnandum aut etiam moriendum pro salute publica non censuerit; sed maluerit exilium subire. Locus hic totus diligenter legendus, in quo etiam reddit rationes, propter quas multis venisset in odium, et ad mortem deposceretur.

Et pro Mil. n. 73. probat a Causis, cur Clodius cæsus jure videri possit, etiamsi insidiator non fuisset, qui tanta impunitate per omnia facinora diripiendis civium bonis, faciendis cædibus, admittendis quibusque flagitiis grassatus esset: sic, ut gloriari Milo posset cæde Clodii, et palam dicere, *Occidi, occidi . . . Eum, cujus supplicio Senatus solemnes sæpe religiones expiandas censuit: eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse Luc. Lucullus juratus, se, quæstionibus adhibitis, dixit comperisse: eum, qui civem, quem Senatus, quem Populus, quem omnes gentes urbis ac vitæ civium conservatorem judicabant, servorum armis exanimavit; eum, qui regna dedit, ademit orbemterrarum, quibuscum voluit, partitus est; eum, qui pluribus cædibus in foro satis, singulari virtute et gloria civem donum vi et armis compulit; eum, cui nihil umquam nefas fuit in facinore, nec in libidine; eum, qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicæ recensionis tabulis publicis impressam extingueret.*

Ibidem multis rationibus Milonem vindicat ab insidiarum suspicione: et cædis odium in Clodium rejicit a congerie Causarum;

quia Clodius erat scelestus, quia Milonem oderat, quia honores ambiebat, quia sperabat impunitatem, a nu. 24.

Ita pro Lege Manilia a nu. 20. ad 27. probat, bellum esse difficile ac periculosum a Causis: scilicet, quia concurrunt ad illud Reges potentissimi; quia renovant agitatæ nationes, suscipiunt gentes integræ; novus Imperator bello præficitur.

Septimus Locus ab *Effectis* petitur sive eventis, quorum multitudo in laude admirationem parit, in vituperio ciet indignationem. Ita Cicero in Libro de Senectute nu. 40. miserabiles Effectus voluptatis enumerat ad amplificandos maturæ ætatis fructus, quæ habet, unde pessimos ac libidinibus perditæ ætatis motus reprimat ac coerceat. *Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem dicebat a natura datam hominibus, cujus voluptatis avidæ libidines, temere et effrœnate ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc Rerump. eversiones, hinc cum hostibus clandestina consilia nasci dicebat; nullum denique scelus, nullum facinus magnum esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra vero et adulteria, et omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptate. Cumque homini sive natura, sive Deus nihil mente præstabilibus dedisset, huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem.*

Et Verrina 3. num. 78. Verris libidines ab Effectis amplificat: *Tantæne tuæ, Verres, libidi-*

*libidines erunt, ut eas capere ac sustinere non Provinciæ Populi Romani, non nationes externæ possint? tunc quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi ad nutum tuum præsto fuerit, nisi libidini tuæ cupiditatique paruerit, imitentur homines, expugnabuntur domus? civitates non modo pacatæ, verum etiam sociorum atque amicorum ad vim atque ad arma confugient, ut abs se, a liberis suis legati Populi Romani scelus atque libidinem propulsare possint?*

Philippica 14. n. 8. crudele bellum Antonii, pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta omnibus denuntiantis pariter ab Effectis amplificat: *Bellum inexpiabile infert quatuor Consulibus unus omnium latronum teterrimus: gerit idem bellum cum Senatu Populoque Rom. Omnibus, quamquam ruit ipse suis cladibus, pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta, denuntiat. Dolabellæ ferum et immane facinus, quod nulla barbaria posset ignoscere, id Deorum consilio factum esse testatur, etc. Refugit animus eaque formidabat dicere, quæ L. Antonius in Parmensium liberis et conjugibus effecerit, etc.*

Sic et a rebus gestis Pompejum laudat pro Lege Manil. num. 61. *Quid tam novum, quam adolescentulum privatum exercitum difficili Reip. tempore conficere? confecit. Huic præesse? præfuit. Rem optime ductu suo gerere? gessit. Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus a Senatorio gradu ætas longe*

*longe abesset, Imperium atque exercitum dari, Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea administrandum? Fuit in his Provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute, etc.*

Octavus Locus petitur a *Similitudine.* Ita Cicero pro Archia num. 19. probat eos, apud quos loquitur, moveri debere orantis Archiæ precibus; quandoquidem ipsa saxa Poetarum voce movebantur: *Saxa et solitudines voci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur; nos instituti rebus optimis. Poetarum voce non moveamur?*

Et pro Roscio Amerino nu. 131. Syllam cum Jove comparat, et a Simili probat, ignoscendum Syllæ, si quid animadvertere non potuerit in tanta rerum cum multitudine, tum magnitudine, quas administrandas haberet; quandoquidem nec ipsi imputabantur Jovi, si quando imbres ac tempestates urbibus atque hominibus nocerent.

Et 1. Catilinaria num. 3. probat a Simili non esse ferendum Catilinam: *An vero vir amplissimus Pub. Scipio Pontifex maximus T. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipub. privatus interfecit; Catilinam vero orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupientem nos Consules perferemus? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod Q. Servilius Hala Sp. Melium novis rebus studentem sua manu occidit: fuit, fuit ista quondam in hac Rep. virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus Senatusconsultum*

*sultum in te, Catilina, vehemens et grave: non deest Reip. consilium, neque auctoritas hujus Ordinis, nos, nos, dico aperte, Consules desumus.*

Nonus Locus ab *Exemplis*, quibus nihil solet esse efficacius ad movendum. Observandum est tamen, ea non esse in Amplificatione enucleatius explicanda: nam Amplificatio minores circumstantias non patitur, nec admittit quidquam, nisi magnum sit illud vel usu, vel natura. Hæc porro quoties adhibet Tullius in Amplificatione, quási punctis quibusdam ac stimulis utitur ad urgendum.

Sic pro Archia, num. 19. quem admittendum in civitatem esse contendebat, affert congeriem exemplorum petitam a multis civitatibus, quæ Homerum, vel mortuum, suum esse defendebant æmulatione quadam dignitatis, quam in Poetis esse positam arbitrarentur. *Homerum Colophonii civem esse dicunt suum; Chii suum esse vindicant; Salamini repetunt; Smyrnæi vero suum esse confirmant, itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt; permulti alii præterea pugnant inter se atque contendunt: Ergo illi alienum, quia Pœta fuit, post mortem etiam expetunt; nos hunc vivum, et qui voluntate, et legibus noster est, repudiabimus?*

Et in laudato paulo ante Catilina 1. num. 3. multis exemplis probat, non esse ferendum Catilinam apertum hostem, et Senatus Consulto jam damnatum: dignumque esse illum

illum suppliciis, quæ ab aliis multo minus nocentibus repetita fuerunt.

Et pro Milone num. 76. et sequentibus probat multorum exemplis Livii, Drusi, Publ. Africani, Pompeji, de quorum morte, etsi de Repub. bene meriti fuissent, nulla habita fuerat quæstio, multo minus de Clodii nece decerni debuisse. Idem argumentum tractat num. 7. ubi confutat præjudicia, quæ contra Milonem jactabantur; scilicet in Repub. bonis legibus instituta plectendum esse morte, qui hominem occisum a se fateretur, exemplis utriusque Gracchi ac Saturnini; qui jure cæsi habebantur.

Decimus Locus petitur a *fictis personis*, et Prosopopœia nuncupatur; qua fit, ut homines, vel belluæ; vel etiam res inanimatæ loquentes inducantur. Frequentissimus toto Cicerone iste Locus, de quo suo tempore dicemus fusius in Libro qui de Figuris inscribitur. Sic pro Mil. num. 93. ita Milonem loquentem inducit: *Me quidem, Judices, exanimant, et interimunt hæ voces Milonis, quas audio assidue, et quibus intersum quotidie. Valeant, inquit, vel valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati, stet hæc urbs præclara mihique patria charissima, quomodo merita de me erit: tranquilla Repub. Cives mei (quoniam mihi cum illis non licet) sine me ipsi, sed per me tamen perfruantur. Ego cedam atque abibo. Si mihi Rep. bona frui non licuerit, at carebo mala: et quamprimum tetigero bene moratam*

*tam et liberam civitatem, in ea conquiescam.*

Et 1. Catil. nu. 27. ita Patriam loquentem facit: *Etenim si mecum Patria, quæ mihi vita charior est, si cuncta Italia, si omnis Resp. loquatur, Marce Tulli, quid agis? Tune eum, quem hostem esse comperisti; quem ducem belli futurum vides; quem expectari Imperatorem in castra hostium sentis; auctorem sceleris; Principem conjurationis, evocatorem servorum et civium perditorum exire patieris; ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? Nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? Mosne Majorum? At persæpe etiam privati in hac Rep. perniciosos cives morte mulctarunt. An leges, quæ de Civium Rom. supplicio rogatæ sunt? At numquam in hac urbe ii, qui a Repub. defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? Præclaram vero Populo Romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam, aut alicujus periculi metum, salutem civium tuorum negligis, etc.*

De his decem Locis atque aliis tam insitis, quam assumptis, ex quibus Amplificatio petitur, quoniam singillatim acturi sumus in quarto Libro, supersedemus in præsentia suis singulis accommodare pro instituti nostri ratione

tione Exercitationes. Satis habebimus unicam hic apponere, quæ ad præceptiones et regulas in hoc articulo traditas exacta sit.

## EXERCITATIO.

*Christiani apud Neronem perduellionis accusati ab homine Ethnico defenduntur.*

A Definitione, a Frequentatione Consequentium, a Contrariis, a Dissimili, a Repugnantibus, a Causis, ab Effectis, a Simili, ab Exemplis, a Prosopopœja.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet, non afferre se Christianorum querelas, qui detinentur in vinculis, ad propulsandam illatam perduellionis accusationem, ne eorum defensio minus ponderis habeat in propria causa, sed accedere se hominem Ethnicum, Christianæ gentis Patronum. Tractabitur Exordium per Prosopopœjam, et per Causas; inducentur enim loquentes Christiani, et criminationis illatæ causas a se amolientes.

*Propositio.* Dicet homo Ethnicus, non potuisse sibi temperare, quin eorum defensor accederet, quorum innocentiam noverat.

*Confirmatio.* Petetur a Repugnantibus, a quibus ostendet, alienos esse a perduellionis crimine. Et 1. quidem a Religione, quam Christiani profitentur; quam definiet per Effectus, nimirum per leges et instituta, quibus constat tota, quæ contrarie pugnant cum illo crimine, cujus rei accusantur. Illa

præ-

præcipit suis sectatoribus obsequium, amorem, reverentiam suos in Principes. 2. A Dissimili; illi scelerata moveant suos in Principes arma, qui, etc. 3. Ostendet Repugnantiam cum Christianorum moribus, qui dociles semper visi sunt, qui laudem pro contumelia, amorem pro odio, etc. solent rependere; tractabitur etiam hic locus a Contrariis. 4. Id confirmabit a simili, revocando Christianorum memoriam, qui pro defensione suæ Religionis tam sæpe, tam multi mortem subierunt. 5. A Testimoniis: appellabit omnium fidem, si auctores aut participes turbarum, tumultus, aut seditionis argui Christiani possint. Neronem ipsum testem appellabit. 6. Repugnat, ut Christiani sine armis, sine opibus, sine Ducibus quidquam ejusmodi moliti sint.

Concludet. Dehortando ab inferenda Christianis contumelia, vel pœna, et a frequentatione Consequentium demonstrabit, quid metuendum habeat, si Christianos innocentes pergat ulterius persequi.

## ORATIO.

Non adduco tuum ad Tribunal, Princeps æquissime, unum aliquem infortunatis illis ex hominibus, quos in vinculis habes, et cruentæ morti destinas, suam ut sociorumque suorum peroret causam, et inustam toti Christianorum genti accusationis labem depellat. Non queruntur illi suis ex ergastulis, tuamque testantes æquitatem flebiliter clamant. (*Prosopopœja.*) Insontes nos sumus, accusamur perperam, et nihil meriti umquam,

umquam, male per summum nefas damnamur. Nam quis est tam injustæ criminationis artifex? aut quibus vel argumentis, vel testibus illa revincitur? (*A Causis.*) An egimus quidquam, quod perduellionis suspicionem moveat? an fuit nostris in moribus et vivendi consuetudine sceleris vel umbra, quæ facere suspectam fidem possit? Tam justa Christianorum expostulatio, etsi valere potest apud æquissimum Principem, ad propulsandum iniquæ accusationis probrum; tamen ab iis profecta, quos utilitatis propriæ et propensæ in suos voluntatis ratio extimulat, minus habere ponderis forte videatur. (*A Dissimili.*) At qui, studio contrariarum partium, et alienus semper a peregrinis novæ sectæ opinionibus vixerit, is non aliis, quam solius æquitatis rationibus impulsus ad dicendum pro Christiana gente debet videri.

Licet igitur mihi pauca dicere Christianorum in gratiam, quos probe cum intelligam expertes esse prorsus illius criminis, cujus in invidiam vocantur, non potui mihi temperare, quin innocentiæ patronus ac defensor accederem, et illatam contra fas omne perduellionis calumniam amolirer.

(*A Repugnantibus.*) Ac primum quidem quam alienum perduellionis crimen censeri debuit ab iis, qui Christiani nuncupantur, atque Christum Religionis suæ Principem atque auctorem colunt? Nam quid ille commendat imprimis ac præcipit suis sectatoribus? quibus institutis ac legibus nititur Religio tota, quam tradidit, et communem omni-

omnibus pioque cultu servandam edixit? Nihil hæc occultum continet, nihil per ambages, aut cum fuco loquitur. Palam est, et in ipsis Christianorum expressum moribus, (*A Definitione per Effecta*) quodcumque profitetur ac prædicat. At illa, si nescis, fidelem ac nativam suis in Principibus Dei præpotentis imaginem agnoscit; singularem iisdem cultum ac reverentiam, sincerum amorem, devotissimum obsequium jubet exhiberi; pro iis tuendis quodlibet adiri periculum, sanguinem ac vitam profundi imperat. An ergo nefaria legitimum in Principem consilia meditentur, quibus ipsa Religio præcipit, moderatores suos sinceris animorum studiis demereri?

(*A Dissimili.*) Illi, illi scelerata moveant in Imperatores arma, quos religio nulla retinet, quos una sollicitat ambitio, incendit avaritia, regnandi libido per omne flagitium rapit ac præcipitat: qui nullas leges agnoscunt, nullam dominationem reverentur, cum violari jus potest impune, neque ulla sceleris pœna nocentes expectat. At, qui expressam suis in Imperatoribus sui ipsorum Dei similitudinem venerantur, qui eosdem proprio capitis periculo totiusque effusione sanguinis, nisi Religionem suam abnegent, debent tueri; qui fortunas, dignitates, vitam nullo ponunt in loco; illi Neronis in caput, in salutem conjurent. Non cadit gentem in istam tam detestabile facinus, neque Christianorum instituta sceleris hujus vel umbram pitiuntur.

(*A Si-*

(*A Simili.*) Nam quid simile auditum unquam de ipsis est? quis nefarias molitiones, turbas, seditiones, tumultus exprobret? quam habuisse partem in variis civium nostrorum totiusque Italiæ motibus arguuntur? Exurgant illi, quotquot sunt Christiani nominis accusatores, et in ipsorum moribus vivendique consuetudine quid reprehendant, quod habere affinitatem cum perduellione videri possit? Nam quis eos perduelles putet, (*A Contrariis*) aut ad inferendam injuriam comparatos, qui laudem pro contumelia, pro odio amorem, beneficia pro suppliciis, preces et vota pro cruenta morte rependunt? (*Ab Exemplis.*) Patere, Princeps æquissime, ut cum ea, quam debeo Imperatori meo, reverentia, ad tuum ipsius testimonium appellem; nostri enimvero et tuis ipse usurpasti oculis, quam dociles illi animos moderatoribus suis afferant, quam patientes in laboribus, quam constantes in cruciatibus perferendis, quam parum cupidi retinendæ vitæ, quoties Religionis causa postulat, aut patriæ salus Imperatorumque jussa reposcunt.

Sed quid ego diutius immoror in ea confutanda calumnia, quæ nullis nixa fundamentis ruit ex se se ac subvertitur? (*A Repugnantibus.*) Sit ita sane, uti accusatores imperiti clamitant: hoc informare animo tam detestabile consilium Christiani potuerint, habuerint illi conjurandi in patriam et in Imperatorem ipsum voluntatem; quibus tandem rationibus meditatum scelus exequerentur? quas illi copias, quos exercitus, quas

quas facultates habent? quibus se tueantur armis, quibus Ducibus in aciem prodeant, quas urbes ad defensionem, quæ propugnacula nobis ostendet Christianorum paucitas ex plebeculæ quisquiliis ac colluvie ferme congregata?

Ah! cave, Princeps æquissime, (*Antecedentibus*) ne, si gentem innoxiam persequeris ulterius, præter commune odium nihil quidquam reportes, et dum populi tuæque securitati videris allaborare, non apud Romanos modo, sed etiam apud universum orbem crudelitatis ac sævitiæ famam incurras.

# LIBER TERTIUS.

## DE FIGURIS,

### seu de Elocutionis dignitate.

Vertitur totum Artis Oratoriæ momentum in hoc Libro, qui de Figuris inscribitur. Cum enim Artis Oratoriæ seu potius Rhetoricæ sit finis apte ornateque dicere ad persuadendum, nulla ratione perveniri securius potest ad propositum exitum, quam scientia et artificio Figurarum, aliorumque Orationis ornamentorum, in quibus tota dicendi vis ac majestas posita est.

Figura porro apud Rhetores nihil est aliud, quam Orationis ornatus, seu sermonis conformatio, a communi ratione dicendi remota: in quo differt a Tropo, qui Orationis ornatus est, per quem sensus alicujus verbi aut sententiæ propius ad alium sensum deducitur.

Igitur Elocutionis ornamentum ac dignitas in Tropis et Figuris versatur et consistit; et quemadmodum sunt Figuræ quædam verborum, quædam sententiarum, ita Tropi alii verborum, alii sententiarum nuncupantur.

## CAPUT PRIMUM.

### De Tropis, ac de iis primum, qui in uno verbo positi sunt.

*Quid est Tropus?*

*R.* Est verbi vel Orationis a propria significatione ad aliam cum aliqua virtute ac digni-

dignitate Translatio. Hoc ipsa vox indicat. Tropus enim dicitur a verdo τρέπω, id est converto, sive immuto.

*Quot sunt in uno verbo Troporum genera?*

*R.* Septem vulgo recensentur: Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Catachresis, Antonomasia, Onomatopœja, Metalepsis.

*Quid est Metaphora?*

*R.* Est translatio verbi a propria significatione ad aliam cum aliqua similitudine. Verbi gratia; cum quis dicitur incensus ira, inflammatus cupiditate, lapsus errore: sic et dicitur lumen Orationis, generis claritas, gloriæ leges, concionum procellæ, virtutum concentus: quæ omnia similitudinem habent aliquam cum iis rebus, a quibus denominantur.

*Quis esse debet usus Metaphoræ?*

*R.* Cavendum est, ne sit frequentior, ne inverecundus, ne apud Oratores tam audax, quam apud Poetas; ne Metaphora procudatur nova, quæ auctorem bonum non habeat.

*Quid est Synecdoche.*

*R.* Est Tropus, in quo totum pro parte, vel pars pro toto sumitur; vel ex antecedentibus consequentia intelliguntur. Ita totum pro parte sumsit Virgilius, cum dixit, *fontemque ignemque ferebant.* Hoc est, aquam e fonte, carbones ex igne decerptos. Partem pro toto, cum pro navi puppim usurpat. Consequentia vero ex antecedentibus intelliguntur, ut si quis, *jam boves ab agricolis reducuntur domum,* pro, nox adest.

*Quid*

*Quid est Metonymia?*

*R.* Est Tropus, qui causam per effecta, vel effecta per causam, vel id quod continet, pro eo quod continetur, vel rem e signo declarat, verbi gratia: *Dona laboratæ Cereris*, pro, frumentum in panem redactum, est exemplum Metonymiæ, quæ per causam effecta designat, quia Ceres inventrix frumenti dicitur. *Scelus et sacrilegium deprehensum est*, id est scelestus et sacrilegus. Hic causa per effecta declaratur: id vero quod continet pro eo, quod continetur, ut *lectitare Platonem*, pro, lectitare Platonis opera. Denique signum pro re signata sumitur, ut si quis bellum per *arma*, pacem per *togam* indicet.

*Quid est Catachresis?*

*R.* Est tropus, qui verbo simili aut propinquo, pro certo ac proprio utitur; v. g. cum *Parricidam* appellamus, qui matrem interfecit; quod ipsa vox Catachresis inquit, significat enim abusum quemdam.

*Quid est Antonomasia, sive Pronominatio?*

*R.* Est Tropus, qui pro nomine ipso, aliquid æquivalens nomini, aut etiam significantius substituit; ut cum dicitur *Eversor Carthaginis*, pro Scipione, *Asiæ domitor*, pro Alexandro; *Orator*, pro Cicerone.

*Quid est Onomatopœja?*

*R.* Est fictio vocis ad rem significatam nativa aliqua sui soni similitudine accedentis, ut *mugitus, boatus, sibilus*, et similia.

*Quid est Metalepsis, sive Transumptio?*

*R.* Est Tropus, quo ex alio ad aliud veluti per gradus ascenditur, ut cum dixit Vir-

Virgilius, *Post aliquot mea regna videns mirabor aristas,* id est, post aliquot annos, nam ex aristis spicas, ex segetibus æstates, et ex æstatibus annos intelligimus.

## CAPUT II.

### De Tropis qui in oratione, hoc est in pluribus verbis fiunt.

*Quot sunt Tropi in oratione, sive in pluribus verbis?*

*R.* Quatuor: Allegoria, Periphrasis, Hyperbole: quibus addi potest Ironia.

*Quid est Allegoria, sive Inversio?*

*R.* Est Tropus, quo aliud verbis, aliud sensu ostenditur, ut pro Milone n. 5. *Equidem cæteras tempestates ac procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas.* Ubi per tempestates ac procellas, significat perturbationes ac tumultus, quibus Milo obnoxius fuerat.

Habes alia Allegoriæ exempla apud Ciceronem pro Marcello, num. 4. in Pisonem, num. 20. pro Murena, num. 35. Illustris est etiam in Allegoria, qua Horatius Rempublicam nova bella molientem, sub navis nomine, cui desunt omnia ad felicem navigationem, compellat, et ab hujusmodi consilio deterret, Lib. 1. Ode 14. *O navis, referent te in mare novi fluctus, etc.*

Hæc porro Allegoria omnium est præstantissima, quæ similitudinis et translationis gratia permixta est. Talis est illa, quæ legitur

tur num. laudato, 35. pro Murenæ: *Quod fretum, quem Euripum tot motus tamque varias habere putatis fluctuum agitationes, quantas perturbationes, et quantos æstus habet ratio Comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita sæpe perturbat omnia, et totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris.* Ubi vides Comitia per similitudinem Freto et Euripo comparari; dici perturbationes et æstus de Comitiorum strepitu ac negotiis per Allegoriam: et rationem pro modo translatitio usurpari. Item pro Sextio num. 21. Allegoria insignis.

Observandum autem est in Allegoria, ut, quo genere cœperis translationem, eodem finias. Quis enim non improbet initium a tempestate sumptum, ruina, vel incendio concludi?

*Quid est Periphrasis, seu Circumlocutio?*

*R.* Est Tropus, quo pluribus verbis dicitur, quod potest paucioribus exprimi; ut sit oratio plenior et significantior.

*Quid est Hyperbaton, seu transgressio?*

*R.* Est Tropus, quo in perpetua Orationis serie ordo verborum cum decore perturbatur, ut *mecum*, pro cum me, *quibus de rebus*, pro de quibus rebus.

*Quid est Hyperbole?*

*R.* Est Tropus qui rem auget, vel minuit supra, vel infra veritatem; supra veritatem quidem, ut pro Marcello n. 4. *Nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare,*

*C.*

*C. Cæsar, res tuas gestas possît.* Ibid. num. 11. *Vereor, ut hoc, quod dicam; non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio: ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti.* Alia sunt ejusdem Tropi exempla illustria pro Lege Manilia num. 28. Phil. 2. num. 67. Ver. 7. num. 144.

Exemplum vero Hyperboles quæ rem minuat infra veritatem, habes pro Roscio Com. num. 20. ubi facete jocatur in Fannium Chæream. *Oro atque obsecro vos, qui nostis, vitam inter se utriusque conferte; qui non nostis, faciem utriusque considerate. Nonne ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa olere malitiam et clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum, ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur; qui idcirco capite et supercilliis semper est rasis, ne ullum quidem pilum viri boni habere videatur?* Item in Pisonem n. 55. pro Flacco n. 41.

*Quid est Ironia?*

*R.* Est Tropus qui aliter illusio vocatur, et sensum indicat contrarium iis verbis, ex quibus conflatur, ut si quis diceret, *O pium et mitem ac gratum animum!* de eo, qui hominem in se beneficum trucidasset.

Frequens est Cicero in Ironia, præsertim si jocari in aliquem mordacius voluerit.

Sic Verr. 6. n. 86. *Erat hyems summa, tempestas perfrigida, imber maximus, cum iste imperat lictoribus, ut Sosopatrum de porticu, in qua sedebat, præcipitem in fo-*

*rum*

*rum deficiant. Vix erat hoc etiam imperatum, cum illum spoliatum stipatumque lictoribus videres. Omnes ideo putabant, ut miser atque innocens virgis cæderetur; fefellit hæc homines opinio; virgis iste cæderet sine causa socium Populi Rom. atque amicum? non usque eo est improbus, et non omnia in eo uno sunt vitia: nunquam fuit crudelis: leniter hominem clementerque accepit.* Quo in exemplo simulatio tota fit in singulis verbis a sua significatione in contrariam mutatis. Nam narrat postea Cicero, quam cruentum in modum Sosopatrum illum Verres cruciasset.

Et pro Rabirio Perd. n. 13. T. Labienum irridet ironice, quod popularem se esse dixisset: *Namque hæc tua, quæ te clementem popularemque delectant? I, lictor, colliga manus: quæ non modo hujus libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilii, sed Tarquinii superbissimi atque crudelissimi Regis ista sunt cruciatus carmina; quæ tu homo lenis, tu popularis libentissime commemoras; caput obnubito, arbori infelici suspendito.*

Item Cat. 2. n. 24. pro Lig. n. 1. in Pisonem n. 56. pro Mil. n. 20.

Observandum autem, Ironiam facile intelligi vel ex modo, quo pronunciatur, qui irrisionem sonant, vel ex persona aut rei natura verbis, quæ proferuntur, contraria.

EXER-

## EXERCITATIO

*In parissimos Beatæ Virginis Conceptus.*

Per Allegoriam, Hyperbolem, et Ironiam.

### *SYNOPSIS.*

1. Socios invitabit ad celebrandos sanctissimæ Virginis ortus purissimos. Laudemus enimvero, etc. Gratulemur Parenti amantissimæ, etc. Adjunget definitiones aliquas allegoricas, easdemque Virgini honorificas.

2. Per Hyperbolem dicet, neminem esse, non hominem, non cœlestem Genium, non aliam quamlibet creaturam, quæ perfectiones animæ illius vel in ortu primo explicare possit. Solius esse Dei patris, qui Mariam in Filiam; Filii, qui in Parentem, Spiritus Sancti, qui in Sponsam elegit, enarrare dotes illas, etc.

3. Per Ironiam junctam cum Allegoria quæret a Dæmone, cur otiaretur, cum felicissima illa anima corpori conjuncta est? Quin tu Sidus illud obscurabas, etc.

4. Per aliam Ironiam extollet lenitatem ac comitatem Dæmonis, qui non tantum Virgini præceperit, sed ultro etiam passus fuerit caput suum ab eadem conteri.

Concludet gratulando sibi et sociis, qui talem Parentem nacti sint.

## ORATIO.

Laudemus enimvero, o socii, fortunatissimam illam post homines natos Virginem, quæ singulari omnipotentis Dei beneficio communis expers maculæ, pulcherrima tota,

tota

tota purissima exoritur. Gratulemur Parenti amantissimæ, quæ Deum aliquando nobis fratrem est editura. Recolamus horam illam, qua hæc anima e præpotentis Dei manibus, tamquam opus numeris omnibus et partibus absolutum, tamquam cœlestis potentiæ ac sapientiæ specimen prodiit. Hodie primum Sidus illud emicat, cujus splendidissima luce orbis terrarum universus aliquando collustrabitur: (*Allegoria*) hoc illud lilium est, cujus purissimum candorem nullus unquam nævus inquinavit; hoc illud speculum est, cujus nitorem tartarei serpentis halitus pestifer numquam infecit, inquinavit, afflavit.

Quamquam quis a nobis assequi dicendo possit dotes illas incontaminatæ Virginis, quæ omni commendatione major est? (*Hyperbole.*) Quis, non hominum dico, sed beatarum etiam mentium explicet, quot et quantis ornata virtutibus in hoc primo vitæ limine refulserit? O Tu, summe rerum omnium Moderator Deus, qui illam tibi dilectissimam in filiam adoptaveras: Tu æqualis in omnibus Patri Fili Unigenite, qui reliquas inter fœminas assumpseras illam in Matrem: Tu, divine Spiritus, qui in Sponsam tibi charissimam Mariam elegeras, dicite, quam singulari perfectionum omnium comitatu destinatum vobis habitaculum adornastis.

Tu vero quid agebas interea, humani generis hostis infensissime? quid cessabas? quid otiabare? Adeone resederant iræ veteres, et insatiabilis animi tui furor quieverat? (*Ironia, Allegoria.*) Quin tu Sidus illud

illud lucidissimum, cum statim exortum est, spissa noctis illius, quam incolis, caligine obscurabas? Quin glaciem illam nitidissimam infecto pollutionis halitu maculabas? Quin fontem illum limpidissimum venenata impurissimi pectoris peste inficiebas? Quin in hortum illum amœnissimum omni florum genere fragrantem ac redolentem pro tua subtilitate irrepebas; quin speciosissimum illum florem, pretiosissimum naturæ partum medias inter sentes ac spinas enatum atro pollice demetebas?

Sed quid in te pristini furoris vestigia requirimus? Admiremur potius indolem ad omnem humanitatem comparatam; extollamus comitatem incredibilem: (*Ironia*) lenitatem nullo umquam elogio satis prædicandam! Parum est, quod vel ad primum Virginis intactæ conspectum trepidaveris, quod sacratissimos ipsius ortus veneratus fueris, quod ab inferenda animæ ipsius labe temperaveris, nisi calcari te totum ab eadem Virgine, nisi conteri caput tuum, agni instar mitissimi, impune permisisses. O patientiam admirabilem! O incredibilem modestiam! o raram in hoste tam jurato mansuetudinem!

Gratulemur igitur nobis in felicibus natam auspiciis Parentem optimam; celebremus ortus ipsius purissimos; et primigeniæ labis expertes; et nulla vox, aut lingua ab ipsius laudibus unquam conticescat.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

*Defenditur Adolescens accusatus in Areopago, quod Coturnicis oculos effodisset.*

Per Ironiam, et Hyperbolem.

### *SYNOPSIS.*

Exordium et Propositio. Dicet ironice et hyperbolice, novum crimen illatum fuisse Adolescenti qui accusetur, quod aviculæ oculos effodisset.

Deinde Ironicam præ se feret sollicitudinem, incertus unde repetat Adolescentis miseri defensionem, nam crimen patet; ipsa volucris æquitatem Judicum implorat, etc.

3. Refutabit ironice, quod adversarius dixerat, non tam petendam esse accusationis gravitatem ex ipso facto, quam ex malitia, quam facinus illud argueret; designari scilicet patranda olim ab eo Adolescente gravissima quæque flagitia. 1. Extollet initem Accusatoris animum, qui commissum in avicula piaculum ipsum excuset. 2. Exagitabit eumdem, quasi vidisset intimos Adolescentis census, ut malitiam, quam exprobrat, deprehenderet. 3. Per aliam Ironiam illudet adversario, qui certum de rebus olim eventuris ferre judicium videatur.

Conclusio Ironica. Dicet nihil esse relictum Clienti suo, nisi ut misericordiam Judicum imploret, quod omnium voce, si quid accusatori creditur, sit condemnatus.

ORA-

## ORATIO.

Novum crimen, Judices, et ante hunc diem inauditum, (*Ironia, et Hyperbole*) quod nulla legum severitas, nulla atrocitas suppliciorum, nullum satis grave mortis genus eluat unquam aut expiet, Adversarius meus, homo religiosus mirum in modum ac perspicax ad vos detulit; Adolescentem minime malum oculos aviculæ ludendo effodisse.

Quid agam, Judices, quo me vertam? (*Ironia*) Res patet: negare factum nequeo; habetis confitentem reum; perdidit oculos nullo suo scelere infelix volucris, et vestram omnium æquitatem implorat, vindicem manum repetit, dignum tanto parricidio supplicium efflagitat.

Quamquam, fallor, levis vel ista cupla videri possit, inquit Adversarius, nisi perversitatem animi non ferendam in Adolescente argueret; nisi perpetrandis olim flagitiis majoribus viam sterneret. O mutatam bene Accusatoris indolem! o placidum ultra, quam sperare fas erat, et mitem animum! Confide tandem, infelix Adolescens, et dubiis in rebus noli spem abjicere. (*Ironia:*) Ecce causam agit tuam, qui te acrius accusabat; et quem Adversarium senseras, jam patronum experiris. Quod fecisti cunque, leve est, si quid accusatori creditur, nec meretur pœnam. At te cordis tui perversitas quolibet supplicio dignum efficit, nec ducere ulterius vitam patitur. Morieris ergo, miserrime Juvenis; nam quis tutari te possit,

aut vim accusationis ejusmodi deinceps elevet?

Vidit enim vero, quasi oculis cerneret, et animi tui naturam atque indolem Accusator perspicax penetravit pro sua sagacitate, abditos quosque pectoris tui recessus, et implicatissimos sinus resolvit. Tu malus eo judice atque arbitro, licet nihil unquam edideris, unde quis suspicari id possit. Frustra traducta tibi feliciter ad hunc usque diem adolescenta est: nihil est, quod probatam omnibus suavitatem indolis, morum continentiam, in tota vitæ consuetudine amabilitatem prætendas. Non te juvat, quod gratus parentibus, charus amicis, dilectus æqualibus habearis. Vincit constans de te totius urbis judicium nova et insolens hominis unius opinio, qui cæteris oculatior vidit in te mala quædam improbitatis semina, quæ nemo hactenus deprehenderat.

Neque vero oculatus, ille tantum, sed et peritus Augur, quod aliquando futurum est, certo percipit: habet hoc singulare Superum munus, ut, quæ cæteros mortalium latent, unus noverit atque intelligat. Jam objectas menti et quasi præsentes oculis intuetur cædes, rapinas, populationes, parricidia, aliaque id genus, ab Adolescente misero committenda olim flagitia, et multo ante sontis capite plectenda arbitratur.

Quid igitur superest, nisi ut, crimen ejusmodi cum excusari non possit, vestram misericordiam obtester, et quem Accusatoris voce, tamquam vestris omnium sententiis damna-

damnatum intelligo, in eumdem partem vestræ bonitatis aliquam derivare pertentem?

## CAPUT III.

### De Figuris.

*Quid est Figura?*

*R.* Est conformatio quædam sermonis remota a communi et primum se offerente dicendi ratione.

*Quotuplex est Figura?*

*R.* Duplex: altera Verborum, altera Sententiarum.

*Quid est Figura Verborum?*

*R.* Est ornatus quidam in verbis ipsis positus, nimirum in eorum ordine, iteratione, et aliis id genus.

### ARTICULUS PRIMUS.

### De Figuris verborum, quæ Repetitione constant.

*Quid est Repetitio seu Anaphora?*

*R.* Est Figura, qua ab una eademque voce Oratio sæpius inchoatur: *Ut, Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non videam, planeque sentiam.* Pro Quintio n. 82. *Quid hæc amentia, quid hæc festinatio, quid hæc maturitas tanta significat? Non vim? non scelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam jus, quam officium, quam pudorem?* Ibid. n. 51. et 52.

Vide

Vide et n. 21. Divinatione in Verrem. Pro Roscio Amerino n. 13. Pro Lege Manilia 40. 2. in Rullum n. 9. 1. Catilinaria n. 1. Philippica 2. n. 19. Pro Milone 94. et 100.

*Quid est Conversio sive Epiphora?*

*R.* Est Figura Repetitioni contraria, qua Oratio in eadem voce sæpe finitur. Sit exemplum illud Ciceronis Orat. in Vaticinium n. 37. *Atque illud etiam audire a te cupio; quare, cum ego legem ex Senatus Consulto de ambitu tulerim, sine vi tulerim, salvis auspiciis tulerim, salva lege Ælia et Fusia tulerim, tu eam esse legem non putes?*

Item et illud Philippica 2. n. 55. *Doletis tres exercitus Populi Romani interfectos? interfecit Antonius; desideratis clarissimos Cives? eos quoque vobis eripuit Antonius: Auctoritas hujus Ordinis afflicta est? afflixit Antonius.*

*Quid est Complexio seu Symploce?*

*R.* Est Figura Repetitione simul et Conversione constans; ita ut ab eadem voce inchoetur Oratio, et eadem sæpius finiatur. Celebre est Illud exemplum Lib. 4. Auctoris ad Herennium n. 18. *Qui sunt, qui fœdera ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui Italiam deformaverunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui sibi postulant ignosci? Carthaginenses.* Et Oratione pro Milone n. 59. *Sed quæstiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ nunc in atrio libertatis. Quibusnam de servis*

*tervis rogas? de P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio.*

*Quid est Traductio?*

*R.* Est Figura, quæ facit, ut cum ibidem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem Orationem reddat. Lib. 4. ad Herennium num. 19. *Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute non potest vitam colere.*

Ibid. *Eum tum hominem appellas, qui si fuisset homo, numquam hominis vitam tam crudeliter petiisset. At erat inimicus. Ergo inimicum sic ulcisci voluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus.*

Ibid. *Divitias finem divitum esse: tu vero virtutem præfer divitiis; nam si voles divitias cum virtute comparare, vix satis idoneæ tibi divitiæ videbuntur, quæ virtutis pedissequæ sint.*

Ex eodem genere exornationis est, cum idem verbum in diversa significatione ponitur. Ibid. num. 19. *Cur eam rem tam studiose curas, quæ multas tibi dabit curas?*

Item: *Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari.*

*Quid est Conduplicatio?*

*R.* Est Figura, qua idem verbum geminatur, ut Catiliniana 1. num. 4. *Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.*

Interdum verba repetuntur in fine sententiæ, quæ posita fuerant initio. Pro Sextio

tio num. 6. *Ademit Albino soceri nomen mors filiæ; sed charitatem illius necessitudinis et benevolentiam non ademit.*

Item pro Marcello num. 17. *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vagina in una id urbe vacuum non vidimus.*

Item pro Milone num. 95. Philippica 2. num. 88.

*Quid est Gradatio seu Incrementum, sive Climax?*

*R.* Est Figura, in qua Oratio per certos gradus ad aliquid summum et ultimum veluti ascendit, aut ad aliquid infimum descendit. Ita pro Roscio Amerino num. 75. *In urbe luxuries creatur, ex luxuria existat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia, inde omnia scelera ac maleficia gignuntur.*

Et pro Quintio num. 95. *Miserum est exturbari fortunis omnibus, miserius est, injuria; acerbum est ab aliquo circumveniri; acerbius a propinquo: calamitosum est bonis everti, calamitosius cum dedecore: funestum est jugulari a forti et honesto viro, funestius ab eo, cujus vox præconio quæstu prostet. Indignum est a pari vinci, indignius ab inferiore atque humiliore. Luctuosum est tradi alteri cum bonis, luctuosius inimico: horribile est causam capitis dicere, horribilius, priore loco dicere.*

Et Verrina 7. num. 75. num. 269. Pro Milone num. 61. Pro Archia num. 4. Pro Sextio num. 32.

*Quid*

*Quid est Figuris istis præcipue cavendum?*

*R.* 1. Ne sæpius adhibeantur. 2. Ne assumantur illæ, quæ frequentiori usu viluerunt. 3. Ne per vim intrudantur. Hinc Quintilianus Lib. 9. cap. 3. notat, Figuras illas, etsi non parum venustatis habent, quia tamen affectatam artem et apertam nimis continent, rarius usurpari a magnis Scriptoribus, nec fere nisi res ipsas successionem habere et certos gradus, cujus rei hoc profert exemplum: *Africano*, inquit, *virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.*

## EXERCITATIO.

*Defenditur Diogenes, qui media luce hominem Athenis quæreret accensa face.*

Per Repetitionem, Conversionem et Complexionem.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet, plenum sapientia fuisse facinus illud Diogenis, quod ineptum plurimis ac ridiculum visum est.

*Propositio.* Dicet, vel in populosa civitate paucos extitisse, qui nuncupari vere homines possent.

*Confirmatio.* 1. Per Repetitionem dicet, non meruisse illos appellari homines, qui ambitioni, qui avaritiæ, qui voluptatibus unice servirent, et unius curandi corporis solliciti animam negligerent.

2. Solos illos esse homines, qui rationem ducem sequerentur. Quod tractabit per Complexionem. Age, quod facit hominem? Ratio, etc.

*Contentio.* Per Conversionem. Da mihi aliquem, qui nihil agat, nihil loquatur, nihil meditetur, nisi ex præscripto rationis, et illum hominem reputabit Diogenes.

*Conclusio.* O si revivisceret Diogenes, an multos in hac ampla civitate homines inveniret?

## ORATIO.

Etsi visa est illa plurimis ridicula Philosophi insanientis ostentatio, quod Athenis ipsa luce meridiana accensam facem circumferens hominem Diogenes quæreret; tamen qui causas facti illius rationesque scrutari penitus voluerit, is summam in eo consilio sapientiam cogetur admirari.

Enimvero quos putatis, vel in ampla illa ac populosa civitate extitisse, quos homines esse vere diceres, et tam honorifica appellatione merito nuncupandos arbitrareris?

An erant homines illi, talesve merebantur appellari, quibus nunquam erat satis, quod habebant, sed cumulandis quotidie novis opibus inhiarent? (*Repetitio.*) An erant homines illi, qui inani gloriolæ cujusdam accensi fumo, nihil præter fragiles titulos et ambitiosa honorum insignia quærerent ac venarentur? An erant homines illi, qui mollibus inescati deliciarum illecebris voluptatem unam in pretio ponerent? An erant homines illi, qui in curanda fovendaque cuti-

cuticula, et in iis, quæ ad corpus pertinent, vigiles et attenti, unius animæ bona, decorem ornatumque negligerent? Denique an homines erant illi, qui fraudibus, insidiis, cædibus se se mutuo peterent, et ad suam ipsi ruinam exitiumque incumberent?

(*Conduplicatio.*) Age, te ipsum compello, age, qui Diogenem accusas, et in ipsum, tanquam parum sanæ mentis hominem, insurgis: Dic mihi, quæso, quid facit hominem, aut eo dignum reddit nomine? opinor, Ratio. (*Complexio.*) Quid tantum ipsi pretium, tantam supra res omnes creatas excellentiæ prærogativam arrogat? Ratio. Quid eum discernit a belluis, mutisque pecoribus segregat? Ratio. Quid inter homines ipsos tantam affert vim discriminis, ut alii habeantur in pretio, alii contempti jaceant? Ratio. Et tu homines appellabis, aut etiam efferes insolentius, quorum in moribus vix ullum rationis vestigium agnoscas? qui rationem bene monentem et ad saniora inflectentem audire non sustineant? qui pravis cupiditatibus obsequi, quam rectæ rationi obtemperare malint?

Da, da mihi quempiam, qui meditetur nihil, nisi quod rationi sit consentaneum, (*Conversio*) et illum reputabit hominem Diogenes. Cedo aliquem qui nihil loquatur, nisi quod ratio ipsa dictet, et illum ultro volensque fatebitur hominem Diogenes. Prodeat unus aliquis e tanta multitudine, qui nihil agendum sibi putet, nisi quod ad rectæ rationis normam ac regulam fuerit exactum; nec dubitabit illum agnoscere

cere hominem, atque ut talem venerari Diogenes.

O si revivisceret hodie sapientissimus ille Philosophus, et civitatem istam, tam amplam, tam confertam lustraret circumcursans, credis, tot inter homines, qui non modo gloriosum istud nomen usurpant, sed quidpiam sibi præter vulgarem hominum sortem arrogant insolentius, credis inveniendos ab eo plurimos, quos homines appellaret?

## ALIA EXERCITATIO.

*In Brutum Cæsaris interfectorem.*

Per Repetitionem, Conversionem, Complexionem et Gradationem.

## *SYNOPSIS.*

1. Dicet; mirum esse, quod Brutus ad occidendum Cæsarem adduci potuerit.

2. Per repetitionem: Nihil erat ergo, Brute, quod a tanto scelere te averteret? ad imitationem Ciceronis Cat. 1. num. 21.

3. Per Conversionem dicet, Brutum fuisse causam malorum omnium, quæ Cæsaris necem consecuta sunt.

4. Per Complexionem: Tamen, quod mirum est, Brutus sibi ignosci postulat, et affectat nomen Liberatotis patriæ.

*Conclusio.* Per Gradationem: Quis ergo Brutum non sceleratum modo, sed etc. appellet? Nam si facinus est Civem Romanum interficere; scelus innocentem trucidare, etc.

ORA-

## ORATIO.

Quamquam ea est sceleris omnis funesta quædam et numquam pene evitandà conditio, ut eos, qui flagitiosum quidpiam meditantur, cæcos statim efficiat: mirum est tamen eo cæcitatis atque dementiæ venire Brutum potuisse, ut Cæsarem inaudito hactenus et novo crudelitatis genere interficeret.

At unde tanta animi ferocitas? Unde in humano pectore tam implacabilis furor exarsit? (*Repetitio.*) Ergo nihil erat, o Brute, nihil quod te ab immani facinore revocaret? Nihil loci sanctitas, nihil majestas Principis, nihil oris vultusque dignitas, nihil beneficiorum memoria, nihil paternæ cujusdam benevolentiæ vis, nihil orbitas Reipublicæ, et in tanti viri fato jam jam interituræ commiseratio moverunt?

Nam quem alium, Patres conscripti, malorum illorum, quæ jam patimur, auctorem nisi M. Brutum appellabimus? (*Conversio.*) Doletis extinctas Cæsaris victoria Civilis Belli faces fuisse denuo suscitatas? Suscitavit M. Brutus. Desideratis expulsam urbe nostrisque finibus tranquillitatem ac pacem? Expulit M. Brutus. Expostulatis sublatas armorum licentia leges, violatam Senatus auctoritatem, libertatem Reipublicæ gravissimo vulnere sauciatam? Sustulit, violavit, sauciavit M. Brutus.

(*Complexio.*) Et tamen post tot ac tanta scelere in uno commisa flagitia, quis facti conscientia superbit? M. Brutus. Quis amissam

sam libertatem in pristinum decus restituisse gloriatur? M. Brutus. Quis miseris ac perditis civibus insultat? M. Brutus.

Quis ergo, M. Brute, non sceleratum tesolum, sed impium: neque impium modo, seb etiam parricidam, (*Gradatio.*) neque parricidam tantum, sed etiam totius Reipublicæ interfectorem non appellet? Nam si facinus est, Romanum Civem etiam nefarium occidere; scelus, innocentem trucidare, parricidium, optimum Principem de medio tollere; quid dicemus, Patrem Patriæ totiusque Imperii Romani columen ac præsidium sustulisse?

## ARTICULUS II.

### De Verborum Figuris, quæ constant similitudine.

*Quot sunt Figuræ verborum, quæ constant similitudine?*

*R.* Quatuor. Compar sive Isocolon, Similiter Cadens, Similiter Desinens, Annominatio.

*Quid est Compar, seu Isocolon?*

*R.* Est Figura, in qua ponuntur Membra sive Commata simillimæ magnitudinis, v. g. Pro Lege Manilia num. 35. *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum Cn: Pompejus exeunte hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, extrema æstate confecit.*

Sic et pro Sylla num. 14. *Multum hæc vox deberet valere ejus hominis, qui Consul insidias Reipublicæ consilio investigasset,*

*set, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicasset.*

Item in Vat. num. 5. Philippica 5. n. 44.

*Quid est Similiter Cadens, sive Homœoptoton?*

*R.* Est Figura, qua iidem casus sæpe in fine Commatis, aut sententiæ ponuntur: v. g. pro Roscio Amerino num. 27. *Quid tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis?* Ubi vides tria nomina in dandi casu posita.

Idem pro Marcello num. 5. *Soleo sæpe ante oculos ponere, idemque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero prœliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri.*

Item pro Cecina num. 1.

*Quid est Similiter Desinens?*

*R.* Est Figura, qua duæ vel plures sententiæ, seu Orationis membra simili terminationis modo finiuntur. Cicero pro Lege Manilia num. 48. *Itaque non sum prædicaturus, quantas res ille domi, militiæque, terra marique, quantaque felicitate gesserit, ut ejus voluntatibus non modo cives semper assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint.*

Et Verrina 3. num. 9. *Quis hoc non perspicit, prœclare nobiscum actum iri, si*

*Populus Romanus istius unius supplicio contentus erit, ac non sic statuerit, non istum majus in se scelus concepisse, cum fana spoliarit, cum tot homines innocentes necarit, cum cives Romanos morte, cruciatu, cruce affecerit, cum prædonum duces accepta pecunia dimiserit, quam eos, si qui istum tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertum jurati sententia sua liberarint?*

Et pro Milone num. 35.

*Quid est Paronomasia, sive Annominatio?*

*R.* Est similitudo verborum in sententia dissimili, ut Philippica 3 num. 21. *En cur Magister ejus ex Oratore, Arator factus est.*

Et de Haruspicum responsis num. 6. *Non modo vincere, sed vincire oporteret?*

Alia habes Exempla Catil. 1. num. 93. pro Rabirio Perd. num. 72. in Verrem, num. 5.

## EXERCITATIO.

*Augustissimum JESU nomen celebratur.*

Per Paronomasiam, Isocolon, Similiter Cadens et Similiter Desinens.

## *SYNOPSIS.*

1. Elevabit ac deprimet Imperatorum illorum vanitatem et ambitionem, qui non tam a beneficiis, quam a maleficiis sibi nomen quæsierunt. Idque tractabit per Paronomasiam.

2.

2. Hoc ipsum probabit exemplo Romanorum, quorum alius Achaicus, alius Macedonicus, alius Asiaticus ob expugnatam Achajam, Macedoniam, Asiam appellati sunt; idque tractabit per Similiter Cadens; et aliorum qui nomen habuere, quod eversionem, depopulationem, vastationem intulissent.

3. Dicet, Nomen JESU nihil præ se ferre præter bonitatem, beneficentiam, salutem, felicitatem; idque tractabit per Isocolon.

4. Id confirmabit recensendo mirabiles effectus, qui ex Nomine JESU oriuntur. In Cœlo Deum placat, misericordiam conciliat, etc. In terris morbos pellit; vetustatem tollit, etc. In Inferis hostem humani generis coercet, etc. Id porro tractabitur per Similiter Desinens.

*Conclusio.* Quid ergo tam dulci ac benefico Nomine nobis debet esse charum et acceptum magis?

## ORATIO.

(*Paronomasia.*) Valeant enimvero, valeant ambitiosum homines genus, qui non tam a rebus gestis, quam a perditis ac profligatis, non tam a beneficiis, quam a maleficiis nominari se volunt; quibus cæsi exercitus, deletæ civitates, direptæ Provinciæ, extinctæque gentes ac nationes nomen imponunt; quos feritatis potius atque injuriæ, quam fortitudinis et munificentiæ monumenta nominant.

Est scilicet, qui quod evertisset Græciam, sit ex eo appellatus Achaicus; (*Similiter Ca-*

*Cadens.*) est, qui devicta Macedonia, magnam cladem genti Macedonum cum attulisset, dictus est Macedonicus: est qui a Senatu Populoque Romano, quod partem orbis tertiam vastasset bello, ac perdidisset, vocatus sit Asiaticus: est qui, eversa ferro armisque Numidia, sit nuncupatus Numidicus.

Nam quid sexcentos appellem alios aliis nominatos vocabulis, (*Similiter Cadens.*) quia urbibus excisionem, agris inflammationem, Provinciis eversionem, populis desolationem, publicis ac sacris locis populationem intulissent; non in venia danda, aut in gratia miserorum et innocentium ineunda probatum ac liberalem animum demonstrassent?

At JESU Nomen ambitiosis illis nominibus quam dissimile est! Quid enim aliud, nisi meram sine cujusquam damno præ se fert benefaciendi voluntatem? (*Isocolon*) Quid aliud loquitur, nisi communem sine ulla exceptione salutem? Quid aliud clamat, nisi perpetuam, id est immortalis animi felicitatem? Externum idemque non mediocre bonum tribuere alteri, liberalitas est; vitam dare, multo plus aliquid, quam magnificentia; diutissime propagare vitam, et ipsam vitæ immortalitatem conferre, quo id tandem, nisi nomine, optime JESU, tuo appellabimus? Fruere igitur tandem Nomine, sine ullius invidia, quod tu tibi sine ullius injuria ascivisti; retine cum omnium gratulatione, quod ad omnium salutem accepisti; maxima gloria tua posside, quod maximis rebus gestis peperisti.

Agite

Agite enim, quantam putatis vim esse atque efficientiam illius nominis, cujus pulcherrimis et uberrimis fructibus nulla pars orbis universi vacua videatur? Quid in altissimo Dei domicilio non molitur? Iratum humano generi Numen placat, divinam benignitatem atque misericordiam conciliat, lætissimos beneficiorum omnis generis fontes in nos derivat. (*Similiter Desinens*) Quid nos perficit in terris? Hujus nominis auditione freta fides subsistit, erecta spes augescit, amor instigatus ad omne erga Deum atque homines officiorum genus exardescit. Mentis vero caligo plerumque hujus cogitatione nominis nonne discutitur? ægritudines nonne sedantur? gestientes deliciæ indomitæque libidines nonne tanquam fræno cohibentur? Quid loquar nunc, ut ore tantum prolatum nomen infestos humano generi adversarios, et ad nostrum interitum animorumque perniciem ex Inferis imminentes propulset; ut cunctas fraudes conatusque refutet, ut audaces debilitet, ut omni jam supplicio maceratos de integro excruciet?

Nos ergo jucundius aliquid, quam Jesu nomen audiemus? frequentius aliquid, quam hoc nomen loquemur? libentius aliquid, quam hoc nomen scribemus? Habitet in oculis, hæreat in medullis atque visceribus; vivat atque spiret imustum cordi: ut nos ante vita ac spiritus, quam nominis tanti grata recordatio deficiat.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO,

Per easdem Figuras.

Burrhi ad Neronem Oratio, ut a Britannici cæde abstineat.

### *SYNOPSIS.*

Exordium et Propositio. Dicet temperare sibi non posse, quin vel cum periculo capitis Neronem dehortetur a tam pernicioso exitialique consilio.

Confirmatio petetur 1. a funestiffimis illius parricidii effectis, quod Populus Romanus, Exteri, Superi ipsi, quibus acceptissimus erat Britannicus, execrabuntur, idque per Isocolon tractabitur.

2. Ab ea fama, quam sibi Nero virtutibus suis pepererat, quas facinus ejusmodi non possit non obscurare. Tractabitur illud per Similiter Cadens.

Rationem illam illustrabit demonstratione publica, quam suæ in Neronem benevolentiæ Populus Romanus dederat; idque amplificabit per Similiter Desinens.

Concludet hortando Neronem, ut potius redeat in gratiam cum Britannico, ipsique amice reconcilietur.

### ORATIO.

Etsi detestandum illud, quod iniisti de Britannico interficiendo consilium, non possum palam incusare, quin gravissimum ipse capitis periculum adire videar, Imperator fortissime; tamen ita me dies noctesque stimulat incredibile, quo semper exarsi, gloriæ tuæ

tuæ studium; ut tantam inuri nomini tuo labem segnis ac lentus non feram.

Enimvero liceat mihi, cum ea, quæ debetur tanto Principi, reverentia sciscitari; an cogitasti satis apud te facinoris illud genus, quod moliris? An perpendisti tecum diligenter, eam adhærescere inaudito hactenus parricidio atrocitatem, quam universus Populus Romanus perhorrescat, (*Isocolon.*) exteræ gentes detestentur, ipsi Superi impunitum non sinant? Prævidisti Britannicum extingui a te non posse, quin præcipuum sibi decus eripi nobilitas valeat, suo se privari præsidio exercitus expostulet, tota civitas dulcissimos adimi sibi amores conqueratur?

Ten' vero, Princeps fortissime, quem vetus et implacabile (*Similiter Cadens.*) Juvenis innocentissimi odium intendit, ten' partæ tot rebus præclare gestis gloriæ jam piget? tantum ne te cepit laudum tuarum fastidium, ut tuam extolli probitatem, prædicari palam humanitatem, ut omnium ore jactari pietatem non patiaris?

An ulla possit esse tibi vox suavior, an jucundior auribus concentus unquam accidat, quam cum imis pariter gratus ac summis, quo te ageres cumque, medios inter exultantium populorum plausus incederes? cum virtutum tuarum fama omnium in te oculos, gratiam, admirationem concitares? (*Similiter Desinens.*) cum sublatus honoris causa comitantium humeris, quasi parta de singulorum animis atque voluntatibus victoria triumphares? cum suum te miseri subsidium,

dium, afflicti solatium, perditi refugium appellarent? cum te ostentare senes, jactare juvenes, prædicare universi ordines properantibus studiis certarent? cum te semel viso, te compellato, te laudato, felices se omnes, beatosque existimarent?

Ah! ne, Princeps fortissime, tam lætam rerum tuarum segetem unius facinoris labe contamines, ac corrumpas: placare potius Britannico fratri: vincat veteres inimicitias concordia, simultates amor superet, odio jampridem insito constans ac perennis benevolentia succedat.

## ARTICULUS III.

### De Figuris verborum, quæ aliquo conflictu constant.

*Quid est Antitheton, seu Antithesis, ut est Figura verborum?*

*R.* Est Figura, qua verba verbis opponuntur, ut Ver. num. 115. *Conferte hanc pacem cum isto bello; hujus Prætoris adventum, cum illius Imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto.* Item Orat. pro Milone num. 10. *Est enim hæc non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.*

Sunt et alia hujus Figuræ exempla illustria, Ver. 6. num. 111. Can. 2. num. 10. ibid. n. 25. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum;*

*prium; hinc honestas, illinc turpitudo, etc.* Phil. 2. num. 12. 3. Ver. num. 3. Pro Font. num. 32.

Est alia Figura huic pene similis, quæ Antithesis dicitur, et inter Figuras sententiarum reponitur; quæ in sententiarum oppositione posita est; sed de illa suo loco tractabitur.

*Quid est Antimetathesis seu Antimetabole?*

*R.* Est Figura, in qua procurrit sententiæ contrarietas, cum transpositione verborum. Ita Cicero Lib. 3. de Legibus num. 2. dicit: *Magistratum esse Legem loquentem, Legem autem, mutum Magistratum.*

Et pro Quintio num. 51. *Mavult commemorari de se, cum posset perdere, pepercisse; quam, cum parcere potuisset, perdidisse.*

*Quid est Synœciosis?*

*R.* Est Figura, qua res eadem contrariis rebus tribuitur, ut, *Pessima res est, et nimia servitus, et nimia libertas.*

*Quid est Oxymoron?*

*R.* Est Figura, qua idem de seipso negatur, ut fatue dictum videatur illud, quod postea dictum acute cognoscitur. Ita Cicero Lab. de Amic. num. 23. ita de amicis loquitur, *Amici et absentes adsunt, et egentes abundant, et imbecilles valent, et mortui vivunt.*

Simile est ejusdem de Sicilia testimonium, postquam illam expilasset Verres: *Sic erat deformis atque horrens ager siculus, ut in ipsa Sicilia Siciliam quæreremus.*

Lucu-

Luculentum est illud Figuræ illius exemplum, quod Epigrammate concluditur, in veteres urbis Romanæ ruinas.

Qui veterem in veteri quæris novus advena Romam,
Et Romæ in Roma nil reperis mediа?
Aspice murorum moles disjectaque saxa,
Obrutaque ingenti vasta Theatra situ.
Hæc sunt Roma: videns, velut ipsa cadavera tantæ
Molis, adhuc spirent imperiosa minas!
Vicit ut hæc mundum, voluit se vincere: vicit,
A se non victum ne quid in orbe foret.
Albula Romani permansit nominis index,
Quique etiam rapidis fertur in æquor aquis.
Discе hinc quid possit fortuna; immora labascunt,
Et, quæ perpetuo sunt agitata, manent.

## EXERCITATIO.

*Philippi Macedonis et Alexandri Magni natura dispar atque indoles demonstrat, non reperiri semper in indole, quæ in sanguine est, similitudinem.*

Per Antitheta.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet, mirandum non esse, si perentibus similes liberi procreantur propter sanguinis communionem.

*Propositio.* Id porro videri mirum posse, si nullam habeant liberi cum parentibus simili-

similitudinem. Addet, non esse illud tam infrequens, ut illustribus exemplis demonstrari non possit.

*Confirmatio.* Petetur ab exemplo Philippi Macedonis, et Alexandri Magni, qui non in virtutibus modo, sed etiam in vitiis dissimiles extitere; quod Antithetis variis illustrabitur.

*Conclusio.* Adeo vel in ipsa sanguinis communione disparitas indolis reperitur.

## ORATIO.

Cum nihil est ad efficiendam in moribus atque indole similitudinem potentius, quam ejusdem sanguinis communio; et ipsa natura pares amat in eis dotes contemplari, quos paribus, ut sic loquar, cœmentis confinxerit: tum certe nemo est, cui mirum videri debeat, si liberi parentibus plerumque similes procreentur.

Verum, si quando talis e parentum sinu soboles prodeat, ut non modo nullam habeat cum progenitoribus suis similitudinem, sed oppositos etiam affectus et contrarias voluntatum inclinationes præ se ferat; tunc oriri jure possit admiratio non levis, et latentes tanti discriminis causæ curiosius inquiri.

Tamen etsi contra rerum naturam illud accidat, neque legitima satis subjici ratio videatur illius, quæ liberos inter et parentes cernitur, discrepantiæ; non est illud nihilominus tam infrequens, ut illustribus exemplis demonstrari non possit.

Tes-

Testis mihi sit unus inter cæteros Magnus Alexander, qui Philippo parente procreatus, et ab eodem adeptus Imperium Macedonum, ita vixit, ita regnavit, ut tam in virtutibus, quam in vitiis, nihil paternæ indolis aut naturæ accepisse videretur.

Fuit enimvero utrique vincendi ratio diversa; Philippus clam et arte, Alexander aperto Marte bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo illustrior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere; filius ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat. (*Antitheta.*) Vini nimis uterque cupidus, sed ebrietatis diversa vitia. Philippo mos erat etiam de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se offerre; Alexander non in hostes, sed in suos sæviebat: illum sæpe vulneratum prælia remiserunt; hic amicorum interfector convivio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, filius metui. Litterarum cultus utriusque similis. Majoris ille solertiæ, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus; Alexander rebus moderatior; parcendi victis, filio animus et promptior et honestior. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Denique orbis Imperii fundamenta Philippus, operis totius gloriam Alexander consummavit.

Adeo vel ex ipsa sanguinis communione magna interdum indolis ac morum disparitas exurgit!

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

### *Christianos Heroas profanis Heroibus præstare.*

Per Antitheta.

### *SYNOPSIS.*

*Exord. et Prop.* Dicet, nihil habere heroicam fortitudinem, quod cum Christiana virtute comparari possit.

*Confirmatio.* Petetur ex comparatione rerum a profanis Heroibus gestarum in adeundis periculis, aut debellandis hostibus, cum constantia Christianorum Martyrum in ferendis patienter tormentis, vincendisque Tyrannorum furoribus; quod Antithetis illustrabitur.

*Concludet.* Dicendo, ne illos quidem fortes esse appellandos, qui se cupiditatibus vinci ac superari passi fuerint.

### ORATIO.

Etsi multa legimus ab Heroibus profanis edita fortitudinis exempla, quæ consequentium deinde ætatum laudem atque admirationem meruerunt, hæc tamen, quantacunque sunt, aut æstimare, aut etiam mirari desinet, quisquis illa voluerit cum invicta Christianorum Heroum constantia comparare.

(*Antitheta.*) Prodeant enimvero quotquot olim animi magnitudine conspicui, aut præclaris facinoribus illustres exstitere, suasque victorias cum Martyrum nostrorum triumphis conferant. Illi dicis, incertisque

periculis, isti certis, apertisque doloribus caput devovebant. Illi hostes quidem ferocissimos, sed freti sociorum auxiliis, sed muniti armis aggrediebantur. Isti soli atque inermes Tyrannis crudelissimis dilaniandos se se permittebant. Illi conquiescebant identidem a laboribus, et beatæ pacis otio fruebantur. Isti ad extremum usque spiritum trajectam gravissimis ærumnis vitam præferebant. Illi evertendas arces, urbes exscindendas, vastandas Provincias; isti frangendas cupiditates, vincendum animum, mortem ipsam superandam sibi proponebant. Illi arcano quodam superbiæ fastu stimulati; isti solius divini amoris studio incensi. Illi ut sibi apud posteros fortis animi famam compararent; isti ut Deo Superisque gratiosi haberentur.

Eat ergo nunc ostentatrix sui vetus Roma, et Heroas suos cum nostris conferat, aut etiam fortes appellandos putet, qui timidi plerumque, qui desides et ignavi nihil veræ sinceræque virtutis retinebant; qui cum hostes vincerent, seipsos vincere minime sustinebant. Illi, illi fortes soli et tam glorioso nuncupandi nomine, qui nullis cruciatibus corporis, nullo vel exilii vel mortis metu, nullis crudelissimorum Tyrannorum furoribus a suscepta semel Christi fide deterreri potuerunt.

## ARTICULUS IV.

### De reliquis verborum Figuris.

*Quid est Adjunctio sive Zeugma?* R.

*R.* Est Figura, qua ad unum verbum, seu primum, seu medium, seu postremum, plures sententiæ referuntur. Cicero Lib. de Oratore ad Brutum: *Quid tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis?* ubi vox illa *commune*, multis vocibus inservit, ad quam illæ referuntur. Item pro Lege Manil. num. 40. *Sed hæ res, quæ cæteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.* Ubi multa vocabula ad unum, idemque verbum, *revocavit*, referuntur. Pro Quint. num. 25. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Et Orat. pro Marcello, num. 7. *Nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Præfectus, nihil Cohors, nihil turma decerpit.*

*Quid est Disjunctio?*

*R.* Est Figura Adjunctioni contraria, qua unicuique Orationis membro suum verbum apponitur, cum unum toti Orationi possit sufficere. Ita Cicero pro Archia num. 26. *Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

Ibidem num. 19. *Homerum Colophonii suum esse civem dicunt, Chii suum vindicant,*

*cant, Salamini repetunt, Smyrnæi vero suum esse confirmant.*

*Quid est distributio?*

*R.* Est Figura, qua ita distribuuntur Orationis membra, ut singula singulis respondeant; quæ Figura eadem pene est ac Isocolon, de quo jam diximus. Cicero pro Lege Manil. num. 35. *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longe, lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.*

Et pro Sylla num. 14. *Multum hæc vox deberet fortasse valere ejus hominis, qui Consul insidias Reipublicæ consilio investigasset, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicasset.*

Et Phil. 5. num. 44. in Vat. num. 5.

Hæc Figura in sententiis efferendis vim habet et gratiam; sed eadem parce utendum Oratori, qui fastidium parit propter nimiam artis affectationem.

*Quid est Synonimia, sive Interpretatio?*

*R.* Est Figura, qua plura idem significantia congeruntur instandi urgendique gratia. Cat. 1. num. 10. *Nobiscum versari jam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam.* Cat. 6. num. 1. *Tandem aliquando Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefarie molientem; ex urbe, vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe prosecuti sumus; abiit, excessit, evasit, erupit.*

Habes

Habes alia Figuræ hujus exempla pro Mil. n. 33. in Pisonem n. 47.

Observandum porro 1. magnum habendum esse verborum delectum, ne Orationem potius onerent, quam ornent. 2. Ut quæ verba ponuntur extremo loco, sint gravíora prioris, imo aliquid paulo diversum sonent.

*Quid est Synathrœismus seu Congeries?*

*R.* Est multarum rerum, seu potius verborum congeries, qua præsertim utimur, cum aliquid amplificare, aut vehementius instare volumus. Sit illud exemplum Orat. post Reditum in Senatu, num. 1. *Quæ potest existere tanta ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile Orationis genus, quo quisquam possit vestra in nos universa promerita, non dicam complecti orando, sed percensere numerando? qui mihi fratrem optatissimum, me frarri amantissimo, liberis nostris parentes, nobis liberos: qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui amplissimam Rempublicam, qui patriam; qua nihil potest esse jucundius; qui denique nosmetipsos nobis reddidistis?*

Et Catilinaria 1. num. 10. *Quæ cum ita sint, Catilina; perge quo cœpisti, egredere tandem aliquando ex urbe: patent portæ, proficiscere: nimium te diu Imperatorem tua illa Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, sin minus, quamplurimos: purga urbem, magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit: nobiscum versari jam diutius non potes; non feram, non patiar, non sinam.*

*sinam.* Vide et n. 20. Item pro Cœlio num. 12. 46. pro Mil. 69.

*Quid est Paradiastole, sive discriminatio?*

*R.* Est Figura, qua res inter se similes distinguuntur. Ita Seneca de pigro homine loquens dicit: *Non diu vixit, sed diu fuit.* Item, *Pergimus, non quo eundum est, sed quo itur, nec ad rationem vivimus, sed ad similitudinem.*

*Quid est Polyptoton?*

*R.* Est Figura, qua nomen idem variis in casibus vel generibus iteratur. Cicero Orat. de Haruspicum Resp. num. 38. *Tibi vero, si diligenter attenderis, intelliges, hominum pœnas deesse adhuc, non Deorum. Homines te in re fœdissima defenderunt; homines turpissimum, nocentissimum laudaverunt; homines propter pecuniam judicio liberaverunt; hominibus injuria tui stupri illata in ipsos, dolori non fuit. Homines tibi arma, alii in me, alii post in illum invictum civem dederunt. Hominum beneficia prorsus concedo tibi, ac majora non esse quærenda.*

Et pro Archia num. 14. *Pleni omnes sunt libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas.* Item 7. Ver. num. 78. *Est certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reservetur.*

*Quid est Polysyntheton?*

*R.* Est Figura, qua multæ conjunctiones simul in eadem Orationis parte ponuntur. Cicero, Lib. 1. Offic. num. 109. *In sermonibus alium quidem videmus, quamvis præpotens sit, efficere, ut unus de multis esse*

*esse videatur. Quod in Catullo, et in patre, et in filio, itemque in Mutio vidimus.*

## EXERCITATIO.

*Christus Infans Orator disertissimus.*

Per supra laudatas Figuras.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Mortales invitabit ad audiendum cœlestem Oratorem a Deo missum in terras ad homines erudiendos: quod tractabit per Congeriem et Synonymiam sive Interpretationem.

2. Dicet, Christum Infantem, quamquam silere videatur, loqui tamen disertissime; neque ipsum tantum, sed quæ circum adjacent omnia, stabulum, fenum, pannos, etc. quod illustrabit Adjunctione.

3. Addet, disertius loqui ipsum e stabulo, quam olim e monte locutus est, qui exemplo suo erudiat homines ad rerum terrenarum contemptum: idque tractabit per disjunctionem. Jam beatos pauperes clamat, jam, etc.

4. Rationem afferet per Adjunctionem. Nam quis commendanti paupertatem non credat, quem viderit, etc. Quis repudianti honores, fidem deroget, etc.

Concludet per Distributionem. Quis ergo jam divitias ambiat, quis honores sectetur, quis, etc.

ORA-

## ORATIO.

Adeste, mortales, quotquot estis, venite, properate frequentes: (*Synonymia.*) ecce promissus vobis tot ab hinc sæculis, desideratus ab innumeris gentibus, orbi universo tamdiu expectatus, e pulcherrimo Cœli domicilio delabitur cœlestis Orator, qui obsitas veteris Ignorantiæ tenebras depellat, mentes erudiat, et depromptam ex ipso Dei omnipotentis sacrario doctrinam impertiat. Accedite igitur propius, succedite in ipsa loci illius penetralia, quæ sibi ad perorandum elegit; et cavete sedulo, ne quid eorum vobis excidat, quæ ab ipsius ore divino promanabunt.

Quamquam ludimur! nam quæ nova se oculis nostris species subjicit? Quærimus Oratorem, ecce reclinatum in præsepio, pannis involutum, constrictum fasciis, unius denique diei Infantem ostendimus. Quin, et quem venimus auditum, is silet, aut nihil emittit præter vagitus miserabiles, certissima paupertatis, angustiæ, dolorum ac miseriarum, quas patitur, argumenta.

Tamen ne vos inanis species decipiat; vel in Infante, (*Adjunctio*) vel in silente Oratorem agnoscite disertissimum. Neque vero loquitur ipse tantum, sed et quæcumque hic adjacent, omnia loquuntur. Stabulum, præsepe, panni, vagitus, lacrymæ, minuta corpusculi membra, ipsum denique, quod miramur, silentium disertissime loquitur.

Imo,

Imo, imo excipite diligenter auribus cœlestis illius, quam tradit, doctrinæ oracula; jam enim exemplo suo melius, quam oratione (*Disjunctio*) beatos pauperes clamat, beatos, qui lugent, prædicat, beatos, qui patiuntur ultro vitæ hujus ærumnas ac calamitates, profitetur. (*Polysyntheton.*) Nunc hodie primum divitias improbat, et ambitionem arguit, et molles delicatioris vitæ delicias execratur. Nunc e stabulo melius quam olim e monte facturus est, reconditioris sapientiæ fundamenta ordit et jacit.

Nam quis, amabo, commendanti paupertatem non credat, quem ad extremas egestatis angustias redactum et rebus spoliatum omnibus noverit? (*Adjunctio*) cui procul a cognitis, notis, amicis posito, nullum comitatum, nullum auxilium, nihil eorum, quæ miserrimis quibusque numquam desunt, videat suppetere? quem sine tecto, sine foco, nihilo sane commodius, quam foris, in aperto ac propatulo loco natum et educatum sciat? Quis repudianti honores ac dignitates fidem derogaret, dum ipse sciens volensque vilissima quæque, spreto, conculcatoque mundano fastu amplectitur? Dum patrem opificem, matrem peræque in vulgus ignotam, tenuissimis utrumque fortunis elegit, dum emendicato ostiatim diversorio spretus insigniter, et per summam contumeliam exclusus undique, ad desertas, inhabitabilesque attegias, ad merum cespitem, meram maceriam, ad brutorum animantium vitam, societatem ac veluti contubernium se demittit? Quis diffluentem dili-

deliciis, voluptuosampue vitam increpanti contradicere audeat, quem gravissimos acerbitatum casus intelligat subiisse, et innumeris, quibus hæc vita conflictatur, ærumnis obnoxium ac subditum esse fateatur?

(*Distributio.*) Erit ergo deinceps, qui divitias tantopere conquirendas putet, dum Christus exemplo suo paupertatem commendat? Erit, qui honores ac dignitates consectetur, duui Christus abjecta sæculi pompa obscuræ vitæ opprobrium amandum esse reclamat? Erit, qui mollioribus vitæ illecebris studeat impensius, dum Christus inter acerbissimos dolorum aculeos natus consectandas, aut saltem ferendas molestiarum acerbitates esse demonstrat?

## ALIA EXERCITATIO.

*Servandam esse etiam in appetenda gloria moderationem.*

Per easdem Figuras.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet, tam exitiosam esse nimiam gloriæ cupiditatem, quam esse solet fluvius, qui præscriptos sibi fines excedit.

2. Discurrendo per multa vitia ostendet, nullum esse, quod tam gravem Reipublicæ ruinam afferat, quam nimia gloriæ libido; idque tractabit per Adjunctionem.

3. Demonstrabit nullam esse ætatem, nullum ordinem, quem non corrumpat, idque per Disjunctionem.

4.

4. Per Distributionem contendet nihil esse tam sanctum, quod non illa violet, nullum esse vitium, ad quod non impellat.

Concludet per Adjunctionem providendum omni Reipublicæ, ut in suis immoderatum gloriæ desiderium reprimat.

## ORATIO.

Quemadmodum Fluvius leni ac temperato agmine profluens agris fertilitatem, urbibus merces peregrinas, populis ac regionibus ubertatem invehit; idem si exundans et impatiens suis ripis teneri erumpit, sata læta evertit, campis vastitatem, perniciem ipsis urbibus importat: ita gloriæ cupiditas quamdiu tenebit modum, et præscriptos intra limites se continebit. Lucro erit ac laudi, sin vero ultra fines illos prosilierit, quos illi ratio virtusque posuerint, incredibile dictu est, quas afferat calamitates, quantam perniciem publicis privatisque rebus importet.

Cedo mihi enimvero aliam tam metuendam Reipublicæ perniciem, quam cupido gloriæ esse solet, ubi semel justos moderatæ virtutis fines prætergressa est. (*Adjunctio.*) Non alieni semper appetens avaritia, non ignavia civium; non effrænata voluptatum libido, non iræ, non simultates, non ipsæ, quæ alios in alios acuunt, civiles discordiæ, tam gravem, tam apertam, tam fatalem Reipublicæ ruinam moliuntur.

(*Disjunctio.*) Nam cui demum parcit, cui non imperat, cui non dominatur impotens gloriæ libido? Adolescentes urit, viros inflammat, senes etiam accendit, nobiles acuit,

acuit, plebejos exstimulat, barbaris etiam et incultis gentibus faces subjicit, et gravissima importat incendia.

(*Distributio.*) Sed quid ista commemoro? Nihil est tam altis defixum radicibus, quod non evellat; nihil tam firmum, tam defensum, quod non perfringat; nihil tam indomitum, quod non subjiciat; nihil tam sancte institutum, quod non rescindat; nihil denique tam sacrum, quod non polluat.

Hoc igitur præcavere sedulo debet omnis bene morata Respublica. (*Adjunctio*) ut si dociles, modestos, obsequentes, pacis ac tranquillitatis studiosos cives habere voluerit, eam in ipsis cupiditatem temperet, quæ audaciæ, temeritati, iræ, vindictæ, rebellioni, impietati, innumeris denique vitiis quasi vexillum solet præferre.

## CAPUT IV.

### De Figuris Sententiarum.

*Quid sunt Figuræ Sententiarum?*

*R.* Sunt Orationis ornamenta, quæ non in verbis, sed in ipsis sententiis collocatam habent suam dignitatem.

*Quæ sunt Figuræ Sententiarum?*

*R.* Præcipuæ sunt illæ.

Interrogatio, Responsio, Subjectio, Prolepsis, Correctio, Dubitatio, Communicatio, Prosopopœja, Emphasis, Sustentatio, Prætermissio, Licentia, Concessio, Parenthesis, Distributio, Permissio, Antithesis, Deprecatio, Optatio, Execratio, Epiphonema, Exclamatio.

Age-

Agemus de singulis suo ordine; atque ut uberior rerum seges Exercitationibus contingat, plures Figuras Articuli singuli complectantur.

## ARTICULUS PRIMUS.

### De Interrogatione, Responsione et Subjectione.

*Quid est Interrogatio?*

*R.* Est Figura, qua Orator vel adversarium, vel alium quemlibet, vel semetipsum interrogat ob aliam, quam simplicem sciscitandi causam. Hujus porro Figuræ tot sunt apud Ciceronem exempla, ut in singulis pene paginis occurrant.

Catilin. 1. n. 1. *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu nos etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem se se effrenata jactabit audacia? Nihil te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil munitissimus habendi Senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere consilia tua non sentis? Constrictam jam horum omnium conscientia teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiori nocte egeris, ubi fueris, quos convocaris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?*

Et pro Plancio num. 48. *Est ne hæc vera contentio? Placet ne sic agi? Non possum magis pedem conferre, ut ajunt, aut propius*

*pius accedere. Quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector, posco, atque adeo flagito crimen; quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius, tu ostendito, si poteris, vitium.*

Verrina 7. n. 15. 146. Pro Cælio num. 11. Ver. 1. n. 21. Ver. 5. n. 160. Pro Flacco n. 79. Pro Cluent. n. 62. Pro Sextio n. 73.

*Quis est Interrogationis usus?*

*R.* Frequentissimus est in omni genere causarum, in Exordio, Narratione, Confirmatione, et Peroratione. Valet autem præcipue in laudando et vituperando, in votis ac desideriis. Usurpatur autem maxime, cum urgendus est adversarius vehementius.

*Quid est Responsio?*

*R.* Est Figura, qua unum interroganti aliud, quod utilius est, respondetur. Cicero pro Rosc. Amer. n. 143. *Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in re voluntatem tuam a me lædi putas? Ubi tuis commodis officio? Quid tibi obsto? Si spoliorum causa vis hominem occidere? spoliasti. Quid quæris amplius? si inimicitiarum? quæ sunt tibi inimicitiæ cum eo, cujus antea prædia possedisti, quam ipsum cognovisti? sin metuis? ab eo ne aliquid metuis, quem vides ipsum ab se se tam atrocem injuriam propulsare non posse? etc.*

Et pro Murena n. 73. *Quid enim, num Senatus obviam prodire crimen putat? non, sed mercede convince. Num sectari multos? non,*

*non, sed conductos doce. Num locum ad spectandum dare? aut ad prandium invitare? minime, sed vulgo, passim: quid est vulgo? universos.* Item pro Flacco n. 4.

*Quid est Subjectio?*

*R.* Est Figura, qua Orator, vel interrogat seipsum, et respondet sibi; vel cum alium interrogavit, non expectat ejus responsum, sed aliud addit de suo. Ita Cicero. *An domus tibi deerat? at habebas. An pecunia? at abundabas. An arma? at non ita pridem ad te missa fuerant.*

Et pro Lege Manil. n. 61. *Quid tam novum, quam adolescentulum privatum exercitu difficili Reipublicæ tempore conficere? confecit. Huic præesse? præfuit. Rem optime ductu suo gerere? gessit. Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus a Senatorio gradu ætas longe abesset, imperium atque exercitum dari, Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea administrandum? Fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit.*

Habes alia hujus Figuræ exempla pro Quintio n. 43. 44. 79. Pro Rosc. Amer. n. 54. 74. 2. In Rul. n. 45. Ver. 4. n. 192.

*Quis est usus hujus Figuræ?*

*R.* Usurpatur illa maxime in Amplificatione cum ad laudem, tum ad vituperium, seu cum urgetur adversarius, aut suadetur aliquid vel dissuadetur. Egregium hujusce rei exemplum offert Oratio pro Muræna n. 88.

Ubi

Ubi Cicero dissuadet Judicibus exilium Murænæ. *Si, quod Jupiter omen avertat, hunc vestris sententiis afflixeritis, quo se miser vertet? domum ne, ut eam imaginem clarissimi viri parentis sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eamdem deformatam ignominia, lugentemque videat? An ad matrem, quæ misera modo Consulem osculata filium suum, nunc cruciatur, et sollicita est, ne eumdem paulo post spoliatum omni dignitate conspiciat? sed quid ego matrem aut domum appello, quem nova pœna legis et domo et parente et omnium suorum consuetudinem conspectumque privat? Ibit igitur in exsilium miser: quo? ad Orientis ne partes, in quibus multos annos legatus fuit, et exercitus duxit, et magnas res gessit? At habet magnum dolorem, unde cum honore discesserit, eodem cum ignominia reverti, etc.*

## EXERCITATIO.

*Veturia Coriolani Mater ad Filium Romæ excidium meditantem.*

Per Interrogationem, Responsionem, Subjectionem.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Queretur Veturia repulsas Senatus pr e es, petetque per Interrogationem, num deprecantem matrem paret rejicere?

2. Per aliam Interrogationem, quæret ab eo, quid velit? quid meditetur?

3.

3. Per Interrogationem cum Subjectione junctam ostendet consilii ipsius iniquitatem, qui devotam sibi urbem, pœnitentem facti, et paratam ad omnia velit perdere.

4. Per Interrogationem et Responsionem dicet, Vis nocentes plectere; punies innocentes. Hostes persequeris; perdes amicos, etc.

Denique minabitur, nisi ille iram ponat, futurum ut excidium urbis a suorum strage incipiat.

## ORATIO.

Certum igitur deliberatumque est, Coriolane, (*Interrogatio*) cupidum cædis et appetentem vindictæ animum explere? Hodiernus dies nobis ultimus illuxit? Nihil Senatus preces, nihil vota populi, nihil totius civitatis mœror ac comploratio animum inflectunt? Tuos ne etiam durus abjicies ac respues? Tu parentis afflictæ gemitus, tu conjugis piæ lacrymas, tu miseræ sobolis orbitatem aspicies siccis oculis, et inexorabili mente etiam perferes?

Sed quid agis? quid moliris? quid cogitas? quis est sensus armorum tuorum? quid sibi volunt districti illi gladii? quid accensæ faces meditantur? Mane, an sponsam, an filios petunt? Adeo ne veteris injuriæ memor atque iræ impotens, nihil ut avidum ultionis animum placare valeat?

At enim te civem, te benemeritum de patria, (*Subjectio*) te innocentem ingrata civitas damnavit? Sed ipsam facti piget. Te expulit? sed revocat. Te Magistratibus spoliavit?

liavit? sed ampliores restituit. Te probro, te contumelia, te dedecore per summum nefas notavit? at devota jam tibi tota et ad omne obsequii genus parata, quidquid est admissum flagitii, ultro volensque expiabit.

Quamquam si cædes placet, si te pereuntis patriæ funera delectant, saltem ah! distingue sontes ab insontibus, hostes ab amicis, alienos a tuis. (*Interrogatio et Responsio.*) Nocentes vis perdere? perdes innocentes. Infensos tibi persequeris? mactabis amicos. Civium ingratorum sanguinem appetis? tuorum cruorem fundes. Nescis ergo, Coriolane, nescis quia sub istis mœnibus, quæ jam evertes, in his laribus, quos incendes, intra illius urbis penetralia, quam excidio destinas, nescis, inquam, quia filii charissimi, fidelis uxor, et tua quondam cura infelix mater, tegitur?

Ne dubita; nisi pacem annuis; nisi te amor, fides, pietas furentem retinent; idem qui patriam tumulus, et nos obruet. Ibo, ibo, et infestos inter gladios occurram nudato pectore; liberos tibi objiciam tuos; primos portarum aditus uxor et mater defendent. Aut arma pones nobis rogantibus; aut, si vindicta magis placet, prima cademus tibi victima; nec nisi nostro cruentum sanguine in civium tuorum corpora ferrum exiges.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

Andromache ad Ulyssem, cum is Astyanacta mactandum repeteret.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Ulyssi gratulabitur, quod supplicem et advolutam genibus Priami nurum et Hectoris conjugem videat.

2. Sententiam corriget, petetque ab Ulysse veniam, cujus in misericordiam salutem Astyanactis sui positam fatebitur.

3. Per varias interrogationes, quæret an non satis graves pœnas Trojani dederint incensa Troja, Priamo atque Hectore interfectis? cur ultra Græci veteres injurias vindicent? cur puerum innocentem perdere meditentur?

4. Ostendet per Interrogationem et Subjectionem, nihil esse metuendum a puero, inermi, captivo, qui nec hostes, nec amicos noverit.

5. Jubebit Ulyssem securum esse ab omni metu, unumque rogabit, ut sibi vitam in tenebris trahere in gloriam liceat.

### ORATIO.

Quod hactenus nec incensa Troja, nec ereptis hujus Imperii defensoribus, nec ipso Hectore amantissimo conjuge interfecto Græci consecuti sunt, ut advolutam cujusquam ad pedes Andromachen, aut supplices manus protendentem viderent, id hodie, felici, dicam, fato tuo, Ulysse, an tua potius sagacitate perfecisti?

Gra-

Gratulare igitur tibi, Imperator sapientissime. Illa tot Regum neptis Andromache, illa magni Priami nurus, et fortis conjux Hectoris tua amplexari genua non erubescit. Quid in longa obsidione illustrius, quid in victoria gloriosius, quid in præda magnificentius sperare potuisti?

Quamquam ubi sum? aut quem alloquor? (*Interrogatio et Responsio.*) Supplex dominum, victorem captiva, vitæ necisque arbitrum, victima crudelibus fatis mancipata! Pone ingentes animos, Andromache, et quos dedit fortuna sensus, indue. Hi spiritus olim stante Troja decebant, lapsa non decent. Da veniam, Ulysse, ignosce, si me pristinæ sortis recordatio vel afflictam ac jacentem exstimulet. Ad te confugio, tibi permitto totam; in tua bonitate atque clementia vitam ac salutem repono. Te, per istam animi tui lenitatem, per communes Deos, per spem surgentis Telemachi, oro atque obtestor; noli perdere, quos potes tueri; serva mihi sospitem Astyanacta, et innocentis illius victimæ miserescе.

Nam quid ultra nos persequeris? num ergo satis graves pœnas miseri Troes luimus? (*Interrogatio.*) num abunde veteres injurias ulti Græci sunt? Heu! quos ego dolores vel una non sensi? Patriam ferro flammisque evertistis; propinquos ac consanguineos iuterfecistis; Hectorem meum crudelem in modum raptastis! Quid innocentem puerum, unicum afflictæ matris solatium ad pœnas repetitis? An vestras ille tur-

turmas profligavit? an vestris subjecit ignes navibus? an Græcorum sanguine manus cruentavit?

(*Interrogatio, et subjectio.*) Sed quid ego hæc? Frustra sum! Timemur, Astyanax; neque se Græci securos aut victores putant, dum vixerit! Itane vero est, Ulysse? nihil fingis? nihil dissimulas? Ah ne te ista cura maceret; nos jacemus miseri, ut facere cuiquam metus valeamus. Timetis, ne residens incensæ Trojæ cineres Astyanax exsuscitet? at puer est: veremini, ne suos olim pristinam in libertatem vindicet, at in vinculis, at captivus est. Pertimescitis, ne parentis et avi mortem ulciscatur? at nec patrem, nec avum novit, aut vidit.

Egregium enimvero timoris argumentum Victores Græci victos, armati inermes, Ulysses puerum, universus exercitus tristes desolatæ familiæ reliquias extimescunt. Esto solutus ab illo metu, Ulysse; plus miserandi, quam timendi sumus. I, repete Patriam, et reportatæ victoriæ gloriam nostri securus refer. Hoc unum exorem ab humanitate tua, ut ingloriam perpetuis in tenebris vitam trahere filio matrique liceat: sic tu faventibus Superis Ithacam sospes et incolumis appellas! sic tibi Telemachus longum vivat, et avum patremque factis ingentibus æmuletur! sic Laertem charissimum, sic Penelopem tuam revisas, et diu multumque, utriusque amplexibus perfruare?

ARTI-

## ARTICULUS II.

### De Prolepsi, Correctione, Dubitatione, Communicatione.

*Quid est Prolepsis sive Anteoccupatio?*

*R.* Est Figura, qua Orator occupat id, quod adversario objici posset. Usum habet frequentem in Exordiis. Divinat. in Ver. n. 1. *Si quis vestrum, aut eorum qui adsunt, forte miratur, me, qui tot annos in causis judiciisque publicis ita versatus sim, ut defenderem multos, læserim neminem, subito mutata voluntate ad accusandum descendisse; is, si mei consilii causam rationemque cognoverit, una et id, quod facio, probabit, et in hac causa profecto neminem præponendum esse mihi actorem putabit.*

Item pro Rosc. Amer. n. 1. Ver. 6. n. 2. Ver. 7. n. 2. Pro Rab. Posth. n. 1. Pro Sextio n. 3.

*Quot modis fieri potest Prolepsis?*

*R.* 1. Cum fatemur verum id esse, quod ab adversario objicitur; ut in Orat. pro Rab. Posthumo n. 1. *Si quis est, Judices; qui C. Rabirium, quod suæ fortunæ fundatas præsertim atque optime constitutas opes potestati Regiæ libidinique commiserit, reprehendendum putet, adscribat ad judicium suum, non modo meam, sed hujus etiam ipsius, qui commisit, sententiam; neque enim cuiquam ejus consilium vehementius, quam ipsi displicet.*

2. Cum aliquid sibi objicit Orator, et refellit statim, ut pro Archia n. 15. *Quæret quispiam, quid? Illi summi viri, quorum virtutes litteris proditæ sunt, istane doctrina, quam tu effers laudibus, eruditi fuerunt? Difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, natura ipsius habitu prope divino, per seipsos et moderatos et graves extitisse fateor; atque illud adjunge, sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quædam, confirmatioque doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solere existere.* Item Ver. 7. n. 2.

3. Cum aliquid Orator præsumit, quod ab adversario objici posset, ut pro Cœlio n. 39. *Dicet aliquis, hæc est igitur tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit et tradidit, ut in amore et voluptatibus adolescentiam collocaret, et hanc tu vitam, atque hæc studia tu defenderes? Ego, si quis, Judices, hoc animi robore atque hac indole virtutis ac continentia fuit, ut respueret omnes voluptates, omnemque vitæ suæ cursum in labore corporis atque animi contentione conficeret, quem non quies, non æqualium studia, non ludi, non convivia delectarent, nihil in vita p[illegible]aret expetendum, nisi*

*quod*

*quod esset cum laude et cum dignitate conjunctum, hunc mea sententia divinis quibusdam bonis instructum atque ornatum puto.*

Talis est locus ille pro Lege Manilia n. 22. *Requiretur fortasse nunc, etc.*

4. Cum Orator emendat aliquid; priusquam id dicat, ut in Orat. pro Sextio n. 4. *Itaque si aut acrius egero, aut liberius, quam qui ante me dixerunt, peto a vobis, ut tantum Orationi meæ concedatis, quantum et pio dolori et justæ iracundiæ concedendum putetis.*

Item pro Quintio n. 5.

5. Denique cum dicit Orator aliquid, antequam id dicere videatur, ut 6. Ver. n. 2. *Magnum videor dicere; attendite etiam, quemadmodum dicam; non enim verbi, neque criminis, augendi causa complector omnia, cum dico, nihil justum ejusmodi rerum in tua Provincia reliquisse.*

Hujus autem figuræ sunt illæ apud Tullium formulæ: *Forsitan quæretis; Forte dicet quis: Etiam dicere audebis; Ac etiam sunt, qui dicant: Sed quæ exaudio dissimulare non possum; At ne quis a nobis; Reprehendo igitur? minime vero; neque enim, etc.*

*Quid est Correctio?*

*R.* Est Figura, qua Orator dictam sententiam, alia magis idonea corrigit. Hac utitur Tullius imprimis, si quem pungere acrius velit. Ut pro Cœlio n. 32. *Quod quidem facerem vehementius, nisi mihi intercederent inimicitiæ cum istius mulieris viro,*

*viro, fratrem volui dicere, semper hic erro; nunc agam modice, non longius prograediar, quam me mea fides, et causa coget.*

Alia est Correctio verbi, alia sententiæ; in priori dictum verborum Orator emendat, et aliud subjicit; in posteriori sententiam ipsam corrigit.

Verum *Corrigit*, loco jam laudato, pro Cœlio, item n. 71. *O stultitiam! stultitiam ne dicam, an impudentiam sigularem?*

Et pro Rosc. Am. n. 134. *In hac vita quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quæ vero convivia? honesta, credo, in hujusmodi domo, si domus hæc habenda est potius, quam officina nequitiæ, et diversorium flagitiorum omnium.*

Item pro Ligario n. 26. Pro Sextio n. 110. 2. Philip. n. 10.

Hæc Figura multum leporis habet cum in Paronomasia luditur, ut, *Tum iste vir optimus, opimum volui dicere.*

Corrigit sententiam Cicero pro Lig. n. 24. *Veniebatis igitur in Africam Provinciam, unam ex omnibus huic victoriæ maxime infestam, in qua erat Rex potentissimus, inimicus huic causæ, aliena voluntas, conventus firmi atque magni. Quæro, quid facturi fuissetis? quamquam quid facturi fueritis non dubitem, cum videam, quid feceritis.*

Item Phil. 2. n. 42. *Quamquam hoc maxime admiratus sum mentionem te hæreditatum ausum esse facere, cum ipse hæreditatem patris non adiisses. Hæc ut colligeres, homo amentissime, tot dies in*

*altera villa declamasti. Quamquam tu quidem, ut tui familiarissimi dictitant, vini exalandi, non ingenii acuendi causa declamitas.*

Item 1. Catilin. n. 22. et 24. Pro Comœdo n. 18. Pro Domo sua n. 121. Pro Plancio n. 2. Offic. n. 76.

Hac porro Figura non utitur modo Tullius ad vituperandum, sed etiam ad laudandum, ut 3. Philip. n. 3. *Cajus Cæsar adolescens, pene potius puer, incredibili, ac divina quadam mente atque virtute, tum maxime cum arderet furor Antonii, cum ejus a Brundusio crudelis ac pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis ea fieri posse non videbatur, firmissimum exercitum invicto genere veteranorum miitum comparavit, patrimonium suum effudit. Quamquam non sumus usi eo verbo, quo decuit; non enim effudit, seu in salute Reipublicæ collocavit.*

Item pro Dejot. n. 16. *Ac credo, hoc homo inconsultus et temerarius non videbat: quis consideratior illo? quis rectior? quis prudentior? Quamquam hoc loco Dejotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitæ defendendum puto.*

Ex laudatis jam locis facile est intelligere, quænam formulæ huic tractandæ Figuræ deserviant.

*Quid est Dubitatio?*

*R.* Est Figura, qua Orator fingit nescire se, quid dicere debeat, aut quam in partem animum convertat. Dubitatio autem altera verbo-

verborum, altera rerum dici potest. Verborum quidem, cum de nomine Orator dubitat, ut pro Quintio n. 56. *Si ista causa abs se tota per summam fraudem et malitiam ficta est; si vadimonium omnino tibi cum Quintio nullum fuit; quo te nomine appellemus? Improbum? at etiamsi vadimonium desertum esset, tamen in illa postulatione et proscriptione bonorum improbissimus reperiebare. Num malitiosum? negas. Fraudulentum, jam idem quidem arrogas tibi, et præclarum putas. Audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria et obsoleta sunt, res autem nova et inaudita.*

Item et 6. Eer. n 1.

Illustre est exemplum apud Livium Lib. 8. Decade 3. ubi Scipio loquitur: *Apud vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat, quos, nec quo nomine appellare debeam, scio. Cives? qui a patria vestra descivistis. An milites? qui imperium auspiciumque abnuistis. Sacratos? Religionem rupistis? Hostes? corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco; facta, dicta, consilia, animos hostium video.*

Dubitatio vero rerum ea est, cum ex pluribus rebus Orator quærit, quid agere debeat. 6. Ver. n. 88. *Unum hoc crimen videtur esse, et ad me pro uno ponitur de Mercurio Tyndaritano. Plura sunt, sed, ea quo pacto distinguere, aut separare possim, nescio. Est pecuniarum captarum, quod signum a sociis pecuniæ magnæ sustulit. Est peculatus, quod publice*

*Populi*

*Populi Romani Signum, de præda hostium captum, positum Imperatoris nostri nomine non dubitavit auferre. Est majestatis, quod Imperii nostri gloriæ, rerumque gestarum monumenta evertere atque adsportare ausus est. Est sceleris, quod religiones maximas violavit. Est crudelitatis, quod in homimem innocentem, in socium nostrum atque amicum novum, ac singulare supplicii genus excogitavit. Illud vero quid sit, jam nequeo dicere; quo nomine appellem, nescio etc.* Totus ille locus egregius est.

Item pro Rosc. Amer. n. 29. *Hoc consilio atque adeo hac amentia impulsi, quem ipsi, cum cuperent, non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis tradiderunt. Quid primum querar; aut unde potissimum exordiar? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorum ne immortalium? Populi ne Romani? vestram ne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem?*

Habes alia ejusdem Figuræ exempla 2. Ver. num. 32. 7. Ver. n. 2. Philip. n. 19. Pro Cluentio n. 4.

*Quis est usus illius Figuræ?*

*R.* Multiplex. Valet in Orationibus Panegyricis, quando ea rerum gestarum ubertas occurrit, aut virtutum alicujus et ornamentorum magnitudo, ut Orator fingat nescire se, unde potissimum debeat ordiri, et quid primum dicere. In genere judiciali, cum indignitas alicujus facinoris est exponenda, aut vitia alicujus redarguenda. In genere deli-

deliberativo, quando rei gerendæ tot occurrunt rationes, ut, quam primo loco ponat, fateatur Orator se nescire.

*Quid est Communicatio?*

*R.* Est Figura, qua Orator vel adversarios, vel auditores, vel Judices ita consulit, ac compellat, ut eos rei judices quasi constituere velle videatur, adeo bonitati causæ suæ confidit.

Cicero pro Rab. Perd. n. 22. *Tu denique Labiene, quid faceres tali in re, ac tempore; cum ignaviæ ratio te in fugam atque in latebras compelleret; improbitas et furor L. Sæturnini in Capitolium arcesseret. Consules ad patriæ salutem ac libertatem vocarent? Quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus sectam sequi, cujus potissimum imperio parere velles?*

Pro Muræna n 9. *Quod si licet definire, si te auctore possum, si nulla inertiæ, nulla superbiæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur: ego vero libenter desino, sin autem fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit. Nimiram hæc causa est hujusmodi, quam nec industrius, nec misericors, vec officiosus deserere possit. Atque hujusce rei conjecturam de tuo ipsius studio, servi, facile ceperis. Nam si tibi necesse putas, etiam adversariis amicorum tuorum de jure consulentibus respondere; et si turpe existimas, te advocato, illum, quem contra veneris, causa cadere; noli esse tam injustus, ut, cum tui fontes vel inimicis tuis pateant,*

*teant, nostros rivulos etiam amicis putes clausos esse oportere.*

Habes alia hujus Figuræ exempla 1. Ver. num. 37. 7. Ver. num. 165. Pro Cæcin. num. 32. 35. Pro Quinctio n. 54. Pro Rosc. Amer. 104. Pro Sextio num. 43. 81. 3. Agraria num. 20. Pro Domo sua num. 130. Pro Plancio n. 7. Philip. 2. n. 34.

Sunt autem hujus Figuræ vulgares apud Tullium formulæ: *Nunc ego vos consulo, quid mihi faciendum putetis, etc. Quæro, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines et armati non modo limine tectoque ædium tuarum, sed primo aditu vestibuloque prohiberent, quid acturus sis, etc. Vide, Antoni, quid tibi futurum sit, etc.*

## EXERCITATIO.

*Nobilis Carthaginensis ad Annibalem Capuæ otiantem, ut Romæ obsidionem aggrediatur.*

Per laudatas supra Figuras.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Fiet per Prolepsim. Præveniet Annibalis animum, quod tanto Imperatori dare consilium præsumat.

*Propositio.* Per Dubitationem; scrutando causas, propter quas Capuæ remoretur; an extinctum sit ipsius in Romanos odium? an pœniteat ipsum partæ jam gloriæ? an timeat Romam aggredi?

*Confirmatio* petetur a facilitate expugnandæ urbis, et per Correctionem. Quid facilem

lem dico, etc. ostendetque quam obvia sit expugnatio Romæ, ab occisis Romanorum viribus, a cladibus jam acceptis, a metu quo perculsa Roma est.

Id ipsum tractabit per Communicationem. Quid facturos putares, si Cartaginenses tot cladibus affecissent; si vicissent ad Trebiam, ad Trasymenum, ad Cannas? an otiarentur desides? an oblatam novæ victoriæ occasionem aspernarentur?

*Conclusio.* Vide ergo, ne, si cessaveris diutius, invalescant illi, et veteres ruinas reparent,

## ORATIO.

Etsi bellicis in rebus per temetipse satis acutum vides, neque nostrum est sapientissimi Ducis consilia curiosius perscrutari, (*Prolepsis*) tamen ubi gloria tua, ubi patriæ salus vocatur in discrimen, ignosces, reor, si longioris moræ, quam facis in hac urbe, periculum ausim demonstrare.

Nam quid sentiam, Imperator fortissime, vel quid loquar, cum otiantes Capuæ sextus jam mensis nos videat? (*Dubitatio.*) An extinctum putem tuum illud in Romanos odium, quod nisi cum ipsa vita extinguendum Divum in præsentia tam solemniter promisisti? Ten, partæ jam gloriæ pœnitet, aut novam illustrioris triumphi segetem asperneris? Num affectam per te tot cladibus Romam rursus lacessere, et tam facili redimendam victoria metuas occupare?

(*Correctio.*) Quamquam quid victoriæ mentionem hic facio, ubi certamen esse non

non possit? Ecce, si volueris, Roma jam tua est, non sanguinis pretio, non armorum vi, non militum robore pervincenda. Accede tu tantum; siste te præsentem mœnibus; Annibalem videat superba illa civitas, et victorem ultro triumphantemque excipiet. Nempe fatalem pugnæ infelicis exitum expectet? Accisis viribus, defensoribus spoliata, gravi perculsa metu, victoris exercitus impetum sustineat? suis faces admoveri mœnibus, ad internecionem cædi, Penates ac Deos objici ludibrio patiatur? Novi Romæ ingenium, Dux fortissime, in iis rerum suarum angustiis aleæ tam metuendæ discrimen ultimum nolit experiri. Quid cessamus ergo? quæ nos retinet vecordia sic oblitos gloriæ, et faventis ultro fati contemptores? O si tam aspirantem sibi fortunam Romani experirentur, quanto illi utilius sortem lætissimam lucro apponerent!

Hoc ipsum per te velim æstimes, Dux sapientissime. Fac eo Romanos esse, quo sunt Cartaginenses loco. Si rebus illi abundarent omnibus; si copiarum freti numero ac robore rem haberent cum hoste fracto viribus et exhausto: si victoriæ spem certam præsumerent; putas otiarentur illi segniter, et parandæ gloriæ occasionem tam commodam prætermitterent? Unum te, inquam, arbitrum ac judicem volo. (*Communicatio.*) Liceat mihi etiam paulo liberius a te percunctari; si te Romani vicissent ad Ticinum, si profligassent ad Trebiam, si ad Trasymenum lacum expugnassent, si cæcidissent ad Cannas, an stetissent illi tam pros-

prospero victoriarum in cursu? an triumphantem exercitum luxu et inertia corrumpi deprivarique sinerent? an reliquerent hostibus moram reparandi jacturas quas fecissent? an non potius urgerent victos acriter? trepidantibus, et insolito metu perculsis instarent? tristes desolati exercitus reliquias persequerentur, donec rerum potiti omnium plenam cumulatamque victoriam retulissent?

Tuum est pro tua prudentia, Imperator sagacissime, cavere sedulo, ut quod fecissent illi opinione tua, id ipsum hodie tibimet ipse faciendum putes. Eamus ergo, invadamus hostes, dum nostris in manibus est victoria: petamus Romam, dum obsistere nobis illa non potest, non permittamus ipsi ulteriorem ad respirandum moram; ne, si colligendi se se et redintegrandi copias spatium habuerit, invalescat illa denuo, et otiantibus nobis parem aliquando acceptæ contumeliæ labem importet.

## ALIA EXERCITATIO.

### *Per easdem Figuras.*

Postumii Junioris Oratio, cum Volscorum victor damnatus fuisset ad mortem, quod Dictatoris ejusdemque Patris injussu depugnasset.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Fiet per Prolepsim, dicetque, non venisse se, ut de nimia Dictatoris ac Patris severitate quereretur.

Deinde

Deinde per Dubitationem fatebitur, incertum se fuisse diu multumque quid ageret; an accederet ad dicendam causam, an indicta causa pergeret ad supplicium.

*Propositio.* Dicet, pauca se dicturum, non ut latam mortis sententiam declinet, sed ut omnem amoveat detrectati imperii suspicionem.

*Confirmatio.* Per Communionem cum universis exercitus Ducibus, a quibus petet, quid fecissent in iis rerum abjunctis, cum hostis lacesseret, cum partem exercitus Romani fundere meditaretur: cum ipso Patre, rogando, quid facere filium jussisset, aut quid fecisset ipse in eas adductus angustias?

Concludet per Correctionem, petendo veniam a Patre, quasi appellare velle ab ipsius sententia visus esset, etc.

## ORATIO.

Quamquam victori durissimum est nullum ferre aliud victoriæ præmium, præter ignominiosam pudendæ mortis sententiam, (*Prolepsis*) in eaque subeunda severissimum in amantissimo patre judicem experiri; non veni tamen, fortissimi Commilitones, vel ut nimiam Dictatoris ac patris inclementiam arguerem; vel ut indignis Posthumio lacrymis ac præcibus capitis periculum deprecarer.

Quin et illud profiteri possum coram viris fortissimis, dubitasse me diu multumque, quid in his rerum angustiis præstandum expediret: (*Dubitatio*) an capitis causam dicturus amplissimum hunc consessum ingrederer,

derer, an indicta causa ad destinatum supplicio locum properarem.

Quamobrem pauca pro me sic loquar, ut commissæ modo pugnæ offensionem quamlibet, et detrectati imperii suspicionem amoveam, non ut latam in me mortis sententiam videar declinare. Felix vel hac sorte fortunatusque nimium, si, dum interibit corpus, fama nominis mei integra et incolumnis vivat!

Qua in re vestrum judicium, vestra existimatio sit, sapientissimi, quotquot hic adestis, exercitus Romani Ductores. Vestram in hac causa fidem appello; quid agendum vobismetipsi putassetis; si eadem vobis, quæ mihi, tempora, eadem rei strenue ac feliciter gerendæ occasio incidisset. (*Communicatio.*) Fingite vos in iis positos fuisse præsidiis, quæ Volscus inferior numero ac virtute provocaret ad pugnam, lacesseret impune, et emissis etiam telis procaciter insultaret: dum Romanus miles probri impatiens fremeret; dum coerceri se per summum nefas, et sibi victoriam eripi de manibus quereretur; dum Imperatorem ipsum timoris atque ignaviæ tantum non argueret.

Tuque, o Dictator prudentissime, idemque mihi colende inprimis parens, nam liceat provocare ad teipsum, quod tu filio in hujusmodi rerum adjunctis consilium dedisses? quid fecisses ipse? an haberi ludibrio Romanos Equites permisisses? an irruentium Volscorum agminibus turpiter cessisses? an partem Romani exercitus nobilissimam everti funditus, mactari tuis in oculis ac tru-

ac trucidari passus esses; an non potius vim vi acriter repulisses? nobilissimo militum nostrorum ardori colligendæ gloriæ viam aperuisses? tui ipsius illustrandi nominis occasionem arripuisses?

(*Correctio.*) Quamquam quid loquor? Ignosce, Pater amantissime, si forte videri possim oblitus, quid dictatori, quid tibi patri debeam; si amovendi suspicionem violati imperii plus æquo cupidus patratum a me contra leges tuas facinus aggressus sum multitudini approbare. Non me species mortis ulla terret; de me quidquid statueris, ultro lubensque perpatiar, paratus eadem constantia mortem excipere, qua eamdem medius per hostes toties lacessivi. Quid moror? huc ades, lictor, manus colliga, caput infelix obnube, et quam Dictator et Pater imperat, mortem irroga.

## ARTICULUS III.

### De Apostrophe, et Prosopopœja.

*Quid est Apostrophe?*

*R.* Est Figura, qua Orator convertit Orationem vel ad Deum, vel ad Judices, vel adversarios, vel etiam res inanimatas.

Orationem convertit ad Deum Tullius 1. Cat. n. 33. *Tum tu, Jupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs, auspiciis a Romulo es constitutus, quem Statorem hujus urbis atque Imperii vere nominamus: hunc et hujus socios a tuis aris cæterisque templis, a tectis urbis ac mœnibus, a vita fortunisque*

*nisque civium omnium arcebis, et omnes inimicos bonorum, hostes patriæ, latrones Italiæ, scelerum inter se ac nefaria societate conjunctos, æternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.*

Orat. pro Domo sua n. 104. *O Dii immortales, vos enim hæc audire cupio; Pub. Clodius vestra sacra curat? vestrum Numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat? hic non illudit auctoritati horum omnium, qui adsunt, summorum virorum? non vestra, Pontifices, gravitate abutitur? ex isto ore religionis verbum excidere aut elabi potest?*

Item pro Cœlio num. 59. 2. Philip. num. 82. 33.

Ad Judices convertit Orationem 7. Ver. n. 122. *Per Deos Immortales, Judices, quo tandem animo sedetis? aut hæc quemadmodum auditis? Utrum ego desipio, et plus quam satis opus est, doleo in tanta calamitate miseriaque sociorum? an vos quoque hic acerbissimus innocentium cruciatus et mœror pari sensu doloris afficit?*

Pro Muræna n. 82. *Quis locus est, Judices, quod tempus, qui dies, quæ nox, cum ego non ex istorum insidiis ac mucronibus, non solum meo, sed multo etiam magis divino consilio eripiar atque evolem, etc.*

Habes alia exempla 3. Ver. n. 81. Pro Ligario n. 6. Pro Arch. n. 19. Pro Mur. n. 78. 3. Phil. n. 22.

Ad adversarios Orationem convertit, Pro Ligario n. 9. *Quid enim, Tubero, tuus ille dis-*

*districtus in acie Pharsalica gladius agebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

In Pisonem n. 1. *Jam ne vides bellua; jam ne sentis, quæ sit hominum querela frontis tuæ? Nemo quæritur Syrum nescio quem de grege novitiorum factum esse Consulem; non enim nos color iste servilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt. Oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in errorem homines impulit: hic eos, quibus eras ignotus, decepit, fefellit, in errorem induxit. Pauci ista luculenta vitia tua noveramus, pauci tarditatem ingenii, stuporem, debilitatemque linguæ; numquam periculum factum consilii; nullum non modo illustre, sed ne totum quidem factum aut militiæ aut domi; obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil præter colorem.*

Item 1. Ver. n. 35. 3. Ver. n. 77. 78. 6. Ver. n. 18. 79. 82. Pro Quintio n. 4. 1. Cat. n. 1. 2. Phil. n. 33. 34. 14. Phil. n. 21. Pro Rosc. Am. n. 144.

Ad res inanimatas convertit Orationem pro Balbo n. 13. *O nationes, urbes, populi, Reges, Jerarchæ, testes Cn. Pompeji non solum virtutis in bello, sed etiam religionis in pace! vos denique mutæ regiones imploro, et sola terrarum ultimarum, vos maria, portus, insulæ littoraque! Quæ est enim ora, quæ sedes, quis locus, in quo*

*quo non exstent hujus cum fortitudinis, tum vero humanitatis, tum animi, tum consilii impressa vestigia?*

7. Ver. n. 170. *Si hæ non ad Cives Romanos, non ad aliquos amicos nostræ Civitatis, non ad eos, qui Populi Romani nomen audissent, denique si non ad homines, sed ad bestias, aut etiam ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine, ad saxa et scopulos hæc conqueri et deplorare vellem; tamen omnia muta atque inanima, tanta et tam indigna rerum atrocitate commoverentur.*

Similiter et 2. Phil. n. 32. et 33. dicit nullos esse tam agrestes homines, nulla tam deserta loca, quæ Brutum et Cassium non affarentur, et patratum ab ipsis gloriosum facinus non gratularentur. Item pro Milone n. 85.

Valet autem hæc Figura, ut ex laudatis exemplis colligeretur, ad increpandos acrius adversarios, etiam ad delectationem et commiserationem commovendam.

*Quid est Prosopopeja?*

*R.* Est fictio personæ cujuslibet loquentis, qua rebus etiam mutis ac sensus expertibus sermo accommodatur, aut vita functi tamquam præsentes spirantesque loquentes inducuntur.

Pro Muræna n. 38. fingit Tullius et inducit loquentes milites, qui sub Muræna meruerant: *In Consule declarando multum apud universum Populum Romanum auctoritatis habet suffragatio militaris; Imperatores enim Comitiis Consularibus, non ver-*

*verborum Interpretes deliguntur. Quare gravis est illa Oratii, me saucium recreavit, me præda donavit, duce hoc castra cepimus, signa contulimus; numquam iste plus laboris militi imposuit, quam sibi sumpsit: ipse cum fortis, tum etiam felix.*

Similis pene locus ibid. num 45. ubi colloquentem populum inducit de vario Candidatorum habitu. *Vides tu illum tristem, etc.*

Item et pro Plancio n. 12. In Pisonem n. 59. Pro Quintio n. 55. Pro Roscio Amerin. n. 32. et 145.

Mortuos ab inferis excitat et loquentes exhibet pro Cœlio n. 33. *Aliquis mihi excitandus est ab Inferis ex barbaris illis, non ex illa barbula, qua illa delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis et imaginibus videmus, qui objurget mulierem, et pro me loquatur, ne ista mihi forte succenseat. Existat igitur ex illa familia aliquis, ac potissimum cæcus ille (minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit) qui profecto si extiterit, sic aget, et sic loquetur: Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris illi fuisti, ut aurum commodares; aut tam inimica, ut venenum timeres? Non patrem tuum videres, non patruum, non avum, non proavum, non atavum, audieras Consules fuisse, etc.* Locus egregius totus est perlegendus.

Et num. 36. *Sin autem urbanius me agere mavis, sic agam tecum. Removebo illum*

*illum senem durum ac pene agrestem, ex tuis sumam aliquem ac potissimum minimum fratrem tuum, qui est isto genere urbanissimo, qui te amat plurimum, qui propter nescio quam, credo, timiditatem et nocturnos quosdam inanesque metus, tecum semper pusio majore sorore cubitabit. Eum putato tecum loqui: Quid tumultuaris soror? quid insanis? quid clamore exorsa rem parvam magnam facis? vicinum adolescentulum aspexisti, candor hujus te et proceritas, vultus oculique pepulerunt, etc.* Hæc Prosopopœja continuatur usque ad n. 38.

Habes alia hujus Prosopopœjæ exempla, 3. Ver. n. 94. 7. Ver. 235. et 187. Pro Milone n 72. et 78. pro Balbo 44.

Denique rebus etiam inanimatis sua vox tribuitur, ut Ver. 4. n. 19. *Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit; quod in unaquaque re beneficio Senatus, Populique Romani juris habui, id mihi tu, C, Verres, eripuisti atque abstulisti. Quo nomine abs te sestertium millies ex lege repeto.*

Et 1. Catil. n. 18. *Nunc te patria odit, quæ communis odium nostrum parens est... quæ tecum Catilina sic agit, et quodammodo tacita loquitur: nullum jam tot annos facinus extitit nisi per te; nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera. Tu non solum ad negligendas leges ac quæstiones, verum*

*verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli. Nunc vero me totam esse in metu propter te unum: quidquid increpuerit, Catilinam timere. Nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe. Si verus, ne opprimar: sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.*

Item n. 27. et 28. et Catilinariæ, patria Ciceronem alloquitur.

## EXERCITATIO.

*Saul incertus et anxius, quis esset futurus exitus certaminis, quod erat contra Philisthæos commissurus, statuit Samuelis umbram per Pytonissam consulere.*

Per Apostrophen et Prosopopœjam.

## *SYNOPSIS.*

Primo per Apostrophen ad Deum quæretur, quod interrogatus de committendæ mox pugnæ exitu nullum per Vates ac Sacerdotes responsum dederit.

2. Per aliam ad seipsum Apostrophen quæret, quid sibi agendum sit in eo rerum discrimine, statuetque adire Inferos, quoniam Cœlum tacet.

3. Per aliam Apostrophen ad seipsum damnabit consilium suum, qui nihil audire possit a Samuele nisi funestum, nihil cujus conscius esse sibi non debeat.

4.

4. Per Prosopopœjam finget audire se loquentem Samuelem, et denuntiantem mala jam jam eventura.

Concludet. I, perge, quando sic placet, evoca virum illum; disce ab eo calamitatum tuarum seriem, etc.

## ORATIO.

(*Apostrophe.*) Quid esse dicam, o Deus? Ecquid ferale non occinit silentium illud, quod hodie præter morem affectas? Ecce Philisthæi populum tuum impetunt, tristissimam nobis perniciem minantur! et taces? conticescunt Vates tui, et interrogati Sacerdotes responsum non ferunt: itane miserum regem objicis, o Deus, et hostis barbari furoribus illudendum permittis?

(*Apostrophe*) Quid ages, Regum infortunatissime? quo te vertes? cujus implorabis opem in tantis rerum tuarum angustiis? Statue nunc tandem aliquid. Cur hæres dubius? cur deliberas? cur times? sume dignum animo tuo, dignum præsenti calamitate, dignum desperatissimis rebus consilium. Nullum nobis de Cœlo responsum venit? esto: adeamus Inferos; penetremus intima terrarum viscera, evocemus inde virum illum, cujus ex ore divina toties oracula promanarunt, ne parcamus magicis artibus, neque adhibere pudeat eorum industriam, quos pepulisti nuper atque exterminasti; scelera ipsa atque flagitia hoc die mehercle nobis placeant.

(*Apostrophe.*) At enim quo pergis? quo properas? quo præceps ruis? quid sperandum

dum habes ab eo, quem contrarium tibi, dum viveret, quem infensum semper, quem perpetuum impietatis tuæ obtrectatorem expertus es? Quin interrogas potius te ipsum, quin conscientiam perscrutaris, quin tumultus illos, metus, pavores, quibus agitatur infelix animus, persentiscis, atque hinc certius tristissimam paratæ tibi sortis acerbitatem auguraris?

Nam quid Samuelem adeas, inconsulte? quid ipsius quietem etiam post ultima fata interturbes? An vis audire denuo severum Vatem increpantem te dirius, et commissa toties in Deum per summum nefas piacula disertissime retractantem? Vis ut excitatus Pythonissæ incantationibus e media prodeat umbrarum caligine; et ardentibus ut olim oculis, minaci fronte, vultu ad indignationem composito sic loquatur, aut potius fulminet. (*Prosopopœja.*) Quid me suscitasti, Regum infelicissime, vel me quid interrogas? an nescis, quod ego tibi jam prædixi tam sæpe; recessisse a te omnipotentem Deum, et in æmuli tui viri sanctissimi partes transiisse? An ignoras, auferendum tibi modo regnum illud, quod per tot annos flagitiis tuis dedecorasti? Nempe jam oblitus es, quoties, quam turpiter datam Deo fidem violaveris; quam temere sacratissimas ipsius leges perfregeris, quam inconsulte atque impie avaritia impulsus tua Regi Amalecitarum et opimis ipsorum spoliis ipso repugnante et contradicente Deo peperceris? Quid igitur a me audire lubet ulterius? an exitum illius pugnæ, quam meditaris, fore tristis-

tristissimum? an vincendos, cædendos, mactandosque a Philistæis Israelitas? an medias inter populi tui strages ac ruinas tibi una cum filiis esse occumbendum? Hæc sunt, infelix Saul, quæ audies.

I nunc ergo, quandoquidem sic placuit; i, perge certam in perniciem: Samuelem interroga, disce diligenter crudelis fati, quod capiti impendet tuo, atrocitatem omnem; noli expectare, dum hora fatalis advenerit, sed macera jam teipsum funestissimo nuntio, quod auditurus es, et ante tempus debitas sceleribus tuis pœnas a temetipso exige.

## ALIA EXERCITATIO.

*Theodoricus Ostrogothorum Rex, cum Symmachum falso accusatum crimine capitali supplicio affecisset, visus est sibi ejusdem Symmachi caput intueri in capite Piscis ingentis, quod cœnanti sibi fuerat appositum.*

Per easdem Figuras.

## *SYNOPSIS.*

Primo stuporem suum testabitur; et, conversa ad ministros suos oratione, petet, an illudant sibi, jubebitque removeri triste spectaculum.

2. Arguet se se, qui inanibus terriculis moveatur.

3. Priorem sententiam corriget, et quasi loquens audiret Symmachi caput, per Prosopopœjam inducet Symmachum exprobrantem

tem sibi crudelitatem suam, et denunciantem mox eventuras calamitates.

Denique per Apostrophem ad Deum fatebitur se merito puniri, et mortem mox adfuturam percipiet.

## ORATIO.

Quid video, Rex infelix? me ne fallunt oculi? Quid hoc sibi vult oblitum recenti cruore caput? quid pallida et exanguis facies? quid isti oculi in me unum truces et efferati? Piscis ne, an Symmachi potius caput inter epulas mihi oppositum intueor?

(*Apostrophe.*) Ah! removete ocyus triste spectaculum; itane Regi vostro illuditis, ministri perduelles? Menne, an vos ignoratis? quod esse decuit ferarum præda, hoc Regis vestri, credo, cibum esse vultis? cedo arma miles; hic modo gladius meriras a proditoribus pœnas hauriet. . . . Sed caligant oculi, vires deficiunt, vox hæret, et præsagus mali animus dirum nescio quid perhorrescit!

Quamquam resume animos, Theodorice, quid trepidas? quid, inania tibi fingis somnia? scilicet hunc timeas mortuum, quem vivum contempsisti? Nihil ago, nihil promoveo, frustra sum. Perii miser! ecce terribilis et minax sonus auribus intonat meis, et animum necquicquam obluctantem exanimat! Audito, audito Symmachi vocem; nempe petit illa, et edita nuper crudelitatis argumenta palam exprobrat! Utinam liceret tristibus querelis aures occludere? Nam quid audio infelix? quæ me fulmina percellunt?

(*Proso-*

(*Prosopopœja.*) Intuere, Rex crudelissime, tuo spectacula digna convivio; porrige dexteram, nequid sævitiæ tuæ desit, et inter digitos rivi defluant innocentis cruoris. Et quoniam sæviendo restingui non potest inexpleta sanguinis humani sitis, bibe cruorem illum scaturientis adhuc exsecti capitis venis profluentem, Infelix? quousque tandem in cives tuos bacchabere? quamdiu insontes quosque persequeris, et clarissimorum virorum sanguine impias cruentabis manus? Age, age; quæ tibi mens? quod consilium? quis animus fuit? quid, me interfecto, sperasti crudelis? quæ te spes, vel quis metus ad inauditas illas et impias Senatorum amplissimorum cædes stimulabat? Hanc feceras expectationem tui, degener, cum faustis omnibus ad solium evectus, invisus nulli, nemini non acceptus, proponendum cunctis Imperatoribus humanitatis, clementiæ, æquitatis exemplum, regni habenas moderabere? quantum mutatus ab illo es? quis jam Theodoricum in Theodorico agnoscat?

Heu me, quid miserum asperas, Symmache? absiste, satis est: habes fatentem reum; facti pudet, pigetque: aspice manantes ex oculis fletus, audi tristes, sincerique doloris indices gemitus, et, si fas, ignosce.

At tu, supreme rerum omnium arbiter Deus, (*Apostrophe*) qui regum perinde ac cæterorum mortalium fata moderaris: tuam sentio, quæ capiti scelerato impendet, ultricem manum: merui quæ patior, et graviora merui. Mors imminet; nec mortem deprecor; quæ utinam scelera mea antevertisset?

Hoc

Hoc unum obsecro, si quid adhuc rogare me ac flagitare pateris, me hic sontem plecte, si modo te nec vitiis meis iniquum, nec ultra mortalis ævi spatia gravem experiar.

## ARTICULUS IV.

### De Hypotyposi, et Ethopœja.

*Quid est Hypotyposis?*

*R.* Est Figura, qua res subjiciuntur oculis perinde ac si coram gererentur: Ad hanc figuram pertinent Descriptiones locorum, rerum, personarum, etc.

Pro Roscio Amer. num. 98. *Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quærenda, aut conjectura capienda sit? nonne vobis, hæc, quæ audistis, cernere oculis videmini? Non illum miserum, ignarum casus sui redeuntem a cœna videtis? non positas insidias? non impetum repentinum? non versatur vobis ante oculos in cæde Glaucia? non adest ipse Roscius? non suis manibus in curru collocat Automedontem illum, sui sceleris acerbissimi nefariæque victoriæ nuntium? non orat, ut eam noctem pervigilet? ut honoris sui causa laboret? ut Capitoni quam primum nuntiet?*

Pro Milone n. 23. ita describit egressum Clodii ex urbe, ut inde concludat, structas ab eo Miloni insidias fuisse.

Et 2. Phil. n. 105. *Personabant omnia vocibus ebriorum; natabant pavimenta vino; madebant parietes; ingenui pueri cum*

*cum meritoriis; scorta inter matres familias versabantur.*

Ibid. n. 58. *Vehebatur in essedo Tribunus plebis: Lictores laureati antecedebant: inter quos aperta lectica Mima portabatur, quam ex oppidis municipales hominis honesti necessario obviam prodeuntes, non noto illo et mimico nomine, sed Volumniam consalutabant. Sequebantur rhedam cum leonibus comites nequissimi; rejecta mater amicam impuri filii, tamquam nurum sequebatur.*

Alia hujus Figuræ exempla habes, 3. Ver. n. 67. 141. 4. Ver. n. 108. 6. Ver. n. 74. 7. Ver. n. 17. et a 26. ad 29. 2. Catil. n. 5. 5. Catil. n. 11. 2. Phil. n. 7.

Valet autem hæc Figura plurimum ad commovendos affectus, et Judicum animos concitandos.

7. Ver. num. 105. *Hæc postea quam acta et constituta sunt, procedit iste repente e prætorio; inflammatus scelere, furore, crudelitate in Forum venit. Navarchos vocari jubet, qui nihil metuerent, suspicarentur; nihil statim occurrunt. Iste hominibus miseris, innocentibusque injici catenas imperat; implorare illi fidem Populi Romani et quare id faceret, rogare. Cum iste hanc causam dicit, quod classem prædonibus prodidissent, fit clamor et admiratio populi tantam esse in homine impudentiam.*

Et n. 141. ibid. *Hæc cum maxime loqueretur, sex Lictores circumsistunt validissimi, et ad pulsandos, verberandosque*

*homines exercitatissimi; cædunt acerrime viris. Denique proximus lictor Sestius, converso bacillo, oculos misero tundere vehementissime cœpit. Itaque ille cum sanguis os oculosque complesset, concidit; cum illi nihilominus jacenti latera tunderentur, ut aliquando spondere se diceret, etc.*

Ibid. numeris 139. et 160. uterque egregium exhibet hujus Figuræ exemplum, et ad movendos affectus aptissimum.

Item 2. Philip. n. 7. *Ponite igitur ante oculos miseram illam quidem et flebilem speciem, sed ad incitandos animos vestros necessariam: nocturnum impetum in urbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum in Tremonii domum: cum miser ille prius latronum gladios videret, quam, quæ res esset, audisset; furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram atque os illud infame, vincula, verbera, equuleum, carnificem, tortoremque Sacrarium, quæ tulisse illum fortiter et patienter ferunt.*

Denique in Oratione pro Muræna illustris est Hypotyposis gemina, eademque vehementissima n. 75. 188.

*Quid est Etopœja?*

*R.* Est Figura, qua vitam et indolem alicujus quibusdam signis ita describit Orator, ut in cognitionem morum saltem aliquam deducat. Hæc autem Figura magnam habet cum Hypotyposi affinitatem, et quemadmodum illa, in exornatione et in dotibus excitandis frequenter usurpatur.

Pro Rosc. Amer. n. 135. *Ipse vero quemadmodum imposito et delibuto capillo*

*passim*

*passim per forum volitet cum magna caterva togatorum; videtis Judices, ut omnes aspiciat, ut hominem præ se neminem putet; ut se solum rarum, solum potentem putet.* Lege n. 59. et 10.

Pro Comœdo n. 20. *Oro atque obsecro vos, qui nostis, vitam inter se utriusque conferre; qui non nostis, faciem utriusque considerare. Nonne ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa olere malitiam et clamare calliditatem videntur! nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum, si quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, et fallaciis, mendaciis constare videtur? qui idcirco capite et superciliis est semper rasis, ne ullum pilum viri boni habere videatur.*

Item pro Sextio n. 19. ad 20. *Quorum si nondum scelera vulneraque inusta Reipublicæ vultis recordari, vultum atque incessum animi intueamini, facilius facta eorum occurrent mentibus vestris, si ora ipsa oculis proposueritis, alter unguentis affluens, calamistrata coma, despiciens conscios sti[illegible]orum, ac veteres vexatores ætatulæ suæ, puteali, et fœneratorum gregibus inflatus atque perculsus, olim, ne Scyllæo æris alieni in freto ad columnam adhæresceret, in Tribunatus portum perfugerat, . . . Alter, o Dii boni, quam teter incedebat! quam truculentus! quam terribili aspectu? Unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum Imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen Reip. diceres intueri. Vestitus asper: nostra hac purpura plebeja*

ac

*ac pene fusca; capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipse tum imaginis formandæ causa Duumviratum gerebat, seplasiam sublaturus videretur. Nam quid ego de supercilio dicam, quod tum hominibus non supercilium, sed Reipublicæ pignus videbatur? tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo supercilio Resp. tamquam Atlante Cœlum niti videretur.*

Sunt et alia Ethopœjæ exempla illlustria 4. Ver. n. 74. 144. et 135. 5. Ver. n. 22. et 23. 7. Ver. n. 27. 1. In Rullum n. 13.

Item et Gabinium effœminatum sic describit Orat. post Reditum in Sen. n. 12. *Primum processit qua auctoritate vir, vini, somni, stupri plenus, madenti coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce et temulenta.*

Est et aliud singulare Ethopœjæ exemplum 7. Ver. num. 17. Iam laudato, ubi mollem et delicatam Verris vitam per singulas anni tempestates graphice describit.

## EXERCITATIO.

*Extolleitur magnanimitas Matris Machabæorum, quæ septem filios et pro divina Lege morientes non modo constanter vidit, sed et ipsos ad spernendas Tyranni furias est adhortata.*

Per Hypotyposim et Ethopœjam.

## *SYNOPSIS.*

Exordium et Propositio continebitur sola dilatatione argumenti.

Con-

Confirmatio fiet per Hypotyposim; describetur terribilis suppliciorum apparatus ad crucianda Machabæorum corpora. Expediebantur enses, aculei, rotæ, incendia, etc. et per Ethopœjam exhibebitur Antiochus inflammatus ira, etc.

Per aliam Hypotyposim exponetur luctus astantium et comploratio. Alios vidisses effusos in lacrymas, et fortissimorum Juvenum sortem deplorantes, alios affixos sacris corporibus, alios detestantes Antiochi furias, etc.

4. Per Ethopœjam describetur mater cruentam inter natorum carnificinam erecta animo, spe firma, gaudio exultans, etc.

*Conclusio.* Eat nunc superba antiquitas, et Heroas suos jactet.

## ORATIO.

Nam quæ illa fœmina est, supra sortem sexus sui tam fortis, ut ad mortis aspectum non expallescat? adversus naturæ sensus omnes sic obfirmata, ut inter cruenta charissimæ sobolis funera gaudeat ac triumphet? Agnosco generosam illam Machabæorum matrem, qui divinæ legis amore succensa non habuit satis, si pro eadem tuenda mortem viriliter oppeteret, nisi ad parem animi constantiam septem, quos pepererat, filios adhortaretur; et antequam extingueretur ipsa, septies cum totidem filiis interiret.

Quantæ porro virtutis erat non commoveri funestissimo carnificinæ illius apparatu, qui

qui amantissimæ suæ soboli (*Hypotyposis*) tristissima quæque minitabatur! Quæ mater alia non perhorruisset vel ad cruentam mortis tam multiplicis imaginem? Hinc enim expediebantur enses, aculei, rotæ, incendia, ferventes ollæ, alia cujuscumque generis instrumenta laxandis ac dilaniandis artubus accommodata. Illinc erumpebat immanis tortorum furor, quos innata barbaris pectoribus feritas, et crudelia immanis Tyranni imperia in sanctissimos Juvenes incitabant. Interim spretus insigniter Rex Antiochus, quod blandiciis, precibus, promissis non potuerat exorare, id minis, terroribus, sævissimis cruciatibus urgebat. Ardebant oculi, frons ignescebat, (*Ethopœja*) vultus furore ac scelere inflammabatur, et toto ex ore crudelitas emicabat.

Nullus erat confertissima circumstantis populi multitudine, quem terribilis spectaculi hujusmodi facies non moveret. Hinc audiri gemitus, illinc erumpere lacrymæ, inde tristissima omnium comploratio misceri. (*Hypotyposis.*) Miserebantur alii luxata equuleis corpora, laceratos plagis artus, inundantes ex omni parte rivos sanguinis, et absumptum ante tempus ætatis florem lamentabantur. Alii genibus effusi fortissimorum Juvenum sacra ipsorum vestigia osculabantur; alii ruebant in amplexus; alii, quia turbam hominum non valebant submovere, protensis a longe manibus lugubri planctu ac lamentabili voce invictos Heroas prosequebantur. Alios audisses dirissimam tortorum barbariem increpare, alios suam ipsi

ipsi Antiocho exprobrare crudelitatem, alios vindices sceleritatis capitibus pœnas imprecari.

At quid Mater interea tot inter adstantium gemitus, suspiria, lacrymas, ejulatus, minas, execrationes? An cæterarum Matrum de more scindebat capillos, laniabat genas, tundebat pectus, et luctuosa comploratione omnia late loca personabat? an impii Regis genibus affusa simpliciter parata supplicia deprecabatur? an filios convolantes ad mortem lacrymis suis ac precibus retardabat? (*Ethopœja.*) Imo, imo erat aspectus ipsius spe plenus, erectus constantia, et incredibili quadam lætitia perfusus. Nunc defixis in Cœlum oculis novum inde robur certantibus accersebat; nunc deflexis paulum in amantissimos filios virilem omnibus constantiam inspirabat; modo supremi Numinis erumpens in laudes, divinam suis in pugilibus potentiam celebrabat: mox sanctos Heroas blande compellans, ruentes ultro certas in neces stimulis acrioribus incendebat. Lacerabantur alii ferreis pectinibus, alii distentabantur rotis et equuleis, alii ferventibus ollis immergebantur; cædebantur alii post alios, et cruentum in morem mactabantur. Plaudebat interim ipsa, exultabat, triumphabat, et carnificum furias prævertens filiorum corpora perimenda porrigebat.

Eat nunc ostentatrix sui antiquitas, extollat Heroas suos ac prædicet, an cum fœmina illa fortitudinis ac constantiæ laude comparandos arbitretur.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

### *Bacchanalium Insectatio.*

Per easdem Figuras.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Deplorabit Christianæ Religionis fatum, quæ, post refixam jam diu falsarum Numinum superstitionem, dolere possit profanos eorumdem cultus fuisse revocatos.

*Propositio.* Sic efferetur per Hypotypoſim. Nam quid sibi vult tumultus ille concursantium, quid vociferantium clamores? etc. an, si coleretur hodie Bacchus, celebraretur aliter a Bacchantibus?

*Confirmatio.* Describentur per Hypotyposim et Ethopœjam insani Bacchanalium mores, quos dicet nihil differre a priscis Orgiis; diurni, nocturnique tumultus ac strepitus, sonitus tympanorum, larvatæ facies, mimici habitus, immoderatæ epulæ, ridicula spectacula, contentiones, rixæ, cædes.

*Contentio.* Petet a Religione, an profanos ejusmodi cultus in suis approbet? Mox inducet Religionem ipsam expostulantem, et degeneres Christianos objurgantem, quod a Majorum virtute geflexerint.

### ORATIO.

Quam luctuoso Religionis Christianæ fato fieri dicam, ut, cum incredibili labore suo priscam falsorum Numinum superstitionem jam diu refixerit; profanos tamen eorumdem

dem cultus, aut servatos tanto post tempore doleat, aut postliminio certe revocatos conqueratur?

Nam quid sibi vult tumultuosus ille sonitus? quid clamores vociferantium inconditi? quid accensæ faces vel innuunt, vel loquuntur? (*Hypotyposis*) An ergo vigent hodieque et in pretio sunt prisca insanientium hominum Orgia? an apud nos etiamnum habere Numen aliquod Bacchus creditur? Nam qui forent alii Bacchantium mores, quam nunc sunt; aut quibus aliis ritibus Bacchus ipse coleretur, si ad nostra usque tempora superstitio vana perstitisset?

Sed quid dico? Bacchi cultus hodie non viget, aut inesse Baccho divinum quidpiam homines nostri non putant? Unde ergo diurni nocturnique Bacchantium strepitus aures personant? Cur intempestivi tympanorum sonitus aut vigilantibus obstrepunt, aut dormientium somnos interturbant? (*Hypotyposis et Ethopœja.*) Quid mentitas video facies undique, et ridiculum vel horrendum in morem larvatas? Quis turpes illos Mimorum et Histrionum habitus induxit? Quare tam obliti pudoris ac modestiæ, quotquot sunt ex illo desipientium hominum grege, nemo ut prodire in publicum, nisi dissimulatus insigniter et monstro cuipiam quam homini propior videri sustineat? Hinc offerunt se mihi perennes epulæ, illinc immoderatæ comessationes, in de ebrietas ac crapula! Hic turpissima spectacula offendunt oculos, illic cachinnantium strepitus: plausus lascivientium aures obtundunt, ibi concer-

concertantium clamores ac rixæ funestissimam futuri postmodum certaminis scenam denuntiant! Jam ventum est ad jurgia, a jurgiis ad manus; jam stringuntur enses, mutuis hinc inde vuineribus res geritur. Omnes inflammati scelere, ebrietate, furore, crudelitatem spirant ac cædem. Jam misceri susdeque omnia, convivæ in Corybantas mutari, natare pavimentum vino ac sanguine, et luctuosi cruentique belli facies exurgere: O tempora! o mores!

Et hæc pateris, Religio sancta? Tu ritus illos, hæc flagitia tuis asseclis atque sectatoribus approbas? Imo, imo queritur, gemit, et illatam sibi per summum nefas contumeliam graviter expostulat. O si audire possis per turbas ac tumultus, quisquis depravatis hisce moribus funestam Religioni labem ac maculam importas! Quiesce tantisper ab insanis illis clamoribus; reprime ad preve tempus impetum illum, qui te ad insaniam adigit; resipisce paulum, si potes, et personam hominis sobrii ac temperantis, vel deponendam postmodum, indue. Audi Christiane degener, quibus te tuique similes querelis ac probris Religio illa, quam spernitis atque illuditis, insectetur.

Hanccine mihi refertis gratiam, scelesti, ac perduelles filii, quos peperi olim tot laboribus, quos fovi toties in sinu, quos alui tam diligenter? Hic erit unus impensi amoris fructus, hæc institutionis bonæ, quam dedi, merces unica, ut proscindi me vestris opprobriis ac contumeliis affici videam? Itane soboles infida a maiorum suorum virtute

tute deflexit? Illi me pio sanctoque cultu ad supremum dignitatis apicem evexerunt; vos dejectam ex illo gradu ac jacentem illuditis. Suas illi vigilias, labores, curas mihi devoverunt; vos in meam perniciem omni scelere ac flagitio incumbitis. Illi jus meum contra nefarios hostium impetus vel sanguinis sui dispendio defenderunt; vos inita cum iisdem societate expugnatis. Statuite porro, quid agere vos deinceps oporteat; an haberi vos velitis hostes, an amicos; Eligite, per me licet, utrum impietatis, an Religionis partes sectari vos conveniat. Si primum placet, nihil ego vos moror; profugite tandem, castris meis abscedite penitus; deponite nomen illud, cujus tantum vos piget. Sin potius saniora vos juvant consilia, abjicite mores illos tam injurios mihi vestro nomini tam alienos; et dignos Religione, quam colitis, sensus tandem induite.

## ARTICULUS V.

### De Sustentatione, Aposiopesi, Emphasi.

*Quid est Sustentatio?*

*R.* Est Figura qua diu suspenduntur Auditorum animi, donec aliquid inexpectatum, sive risu, sive admiratione dignum subjiciatur.

Hinc Figuræ hujus duplex est usus, alter in rebus magnis et insolitis facinoribus exponendis; alter in rebus quibusdam leviori-bus, quando jocandi causa magnum aliquid promittit Orator, illudque tandem in jocum aliquem

aliquem recidit. Hic agimus potissimum de Sustentatione, quæ in rebus magnis ac seriis adhibetur.

Habes illustre Sustentationis exemplum 7. Ver. n. 10. et 11. *Res delata ad ïstum; statim, ut par fuit, jussu ejus homines, qui nominati fuerant, comprehensi adductique Lilybæum; domino denuntiatum est, ut adesset, causa dicta damnati sunt. Quid deinde? Quid censetis? furtum fortasse aut prædam expectatis aliquam? Nolite usquequaque eadem quærere: in metu belli, furandi locus quis potest esse... Etiamnum mihi expectare videmini, Judices, quid deinde factum sit; quod iste nihil unquam fecit sine aliquo quæstu atque præda. Quid in ejusmodi re fieri potuit? quod commodum est? Expectate facinus quam vultis improbum: vincam tamen expectationem vestram; nomine sceleris conjurationisque damnati, ad supplicium traducti, ad palum alligati; repente multis hominum millibus inspectantibus soluti sunt, et Leonidæ illi domino redditi.*

Et Philip. 2. n. 12. *Quod putem, contemptum ne me? Non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quod despicere possit Antonius. An in Senatu facillime de me detrahi posse credidit, qui ordo clarissimis Civibus bene gestæ Reip. testimonium multis, mihi uni conservata dedit? An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est: quid enim plenius, quid uberius, quam mihi,*

*mihi, et pro me, et contra Antonium dicere? Illud profecto est; non existimavit sui similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus.*

Hæc porro Figura multam vim habet et gratiam, cum ita suspenduntur Auditorum animi, allatis multis rebus iisdemque rejectis, ut subjiciatur tandem novum aliquid et minime expectatum; quod in laudato mox loco videre est.

Habes alia Sustentationis exempla pro Rosc. Amerin. n. 39. Pro Quintio n. 66. 3. Ver. 141. 4. Ver. 106. 3. In Rul. n. 11. pro Dejotaro n. 26.

*Quid est Aposiopesis seu Reticentia?*

*R.* Est Figura, qua Oratio interciditur, et interrumpitur, alicujus gravioris affectus significandi gratia. Ita Cicero Epist. 21. ad Atticum Lib. 7. de Pompejo loquens, cujus saluti metuebat, utitur Aposiopesi: *De Pompejo scio nihil, eumque nisi in navim se contulerit, exceptum iri puto. O celeritatem incredibilem! hujus autem nostri, sed non possum accusare eum, de quo angor et crucior...* reticet *tarditatem* aut *ignaviam.*

Et Epistola ultima Lib. 9. ad eumdem Atticum, utitur Aposiopesi dissimulandæ indignationis gratia: *Sed erat immitissimus Servius; qui filium misit ad affligendum Cn. Pompejum, aut certe capiendum. Etsi hic quidem timoris causa; ille vero... sed stomachari desinamus.*

Adhibetur etiam nonnumquam, ut, quod reticetur, majus quidpiam suspicandi det

caussam, quam si efferatur. Cicero pro Cœlio n. 69. *Hic etiam miramur, si illam commentitiam pyxidem obscœnissima sit fabula consecuta. Nihil est, quod in ejusmodi mulierem cadere non videatur. Audite, et pervulgata, et celebrata sermonibus res est. Percipitis animis, Judices, jamdudum quid velim, vel potius quid nolim dicere, quod etiam si est factum, certe a Cœlio non est factum.*

Potest etiam dici prætermissum illud a Cicerone vitandæ obscœnitatis caussa.

*Quid est Emphasis?*

*R.* Est Figura, qua Orator plus significat, quam dicit. Quæ quoniam refertur ad Hyperbolem, de qua jam diximus, pluribus hic supersedebimus.

## EXERCITATIO.

### Amici opes Viri Principis.

*Per Sustentationem, Aposiopesim, Emphasim.*

*Exord. et Prop.* Dicet nihil esse oportere pretiosius Viro Principi, quam amicos.

Rationem afferet: quia rebus omnibus abundat, qui amicos curavit; eisdem qui caret, omnium egenus est.

*Confirmatio.* Petetur ab Alexandri Magni auctoritate, qui venientibus ad se Persarum Legatis, et Alexandri thesauros avide cupientibus, circumstantes amicos ostendens, dixit: En opes Alexandri. Tractabitur hic locus per Sustentationem, et Emphasim.

Con-

Concludet, in amicis veras esse divitias, quas nulla fortunæ mutabilitas auferre possit.

## ORATIO.

Extollant alii, per me licet, et quantum volent, prædicent magnificentius in Principibus Viris ingentia auri, argentique pondera, pretiosam supellectilem, superba palatia; eosque ditissimos arbitrentur, qui rebus istis omnibus abundant. Ego certe opulentissimum inter cæteros eum semper æstimabo, qui amicos quam plurimos potuerit sibi jure merito gratulari.

Enimvero quibus rebus non abundat, aut quibus tandem egere potest ille, qui sinceram amicorum multitudinem comparavit? Liceat mihi compellere aliquem eorum de numero, qui quanto superiorem dignitatis gradum adepti sunt, tanto diligentiorem in dirimendis amicis operam posuere. Age: quid times, qui fideles amicos habes, ut sic loquar, ad manum? an ærarii penuriam? at amicorum opes tuæ sunt. An pericula? at illi continuo præsto sunt, tuum vel capitis discrimine parati latus defendere. An adversos fortunæ reflantis ictus? at fortunam adversam vix sentit, cujus acerbitatem amici mulcere possunt. Tu vero, qui amicos negligis: (*Aposiopesis*) qui... pœne dixi, amicum habes præter te neminem, noli jactare nobis insolentius vel ipsas Arabum gazas, quibus, si quis casus ingruerit, si quod inciderit periculum gravius, neque ad arcendam, neque ad mitigandam calamitatem amicis destitutus uti feliciter possis.

Atque

Atque hoc noverat certe sapientissimus rerum æstimator Alexander Magnus, qui se non tam Orientis pene toties spoliis beatum ac divitem, quam amicis suis semper reputavit. Venerant ad eum aliquando Legati Persarum, quos non minus divitiarum ipsius fama, quam rerum ab eo gestarum gloria excitarat. Ji perfecta legatione, cum flagitassent ab Alexandro curiosius, suos ut ipsis thesauros atque opes ostenderet; quid putatis fecisse Principem sapientissimum? (*Sustentatio.*) An reclusit arcas auri argentique pondere refertas? an ostentavit aulæ suæ magnificentiam? an aurata palatia, pretiosam supellectilem, tot erepta devictis a se Regibus spolia, tot Provinciarum manubias, tot exuvias Asiæ perdomitæ, quibus castra et armamentaria redundabant, ambitiosius jactavit? Sed quid fecissent alii Reges ac Principes in æstimandis rebus minus periti, et inani rerum suarum pompa inflati plus æquo ac superbi? Nihil hujusmodi expectate ab Alexandro, habebat pretiosius aliquid, quod et sibi lubentius gratularetur, et aliis jactantius ostentaret. Tunc enim expectantibus avide Persarum Legatis, unde curiosos oculos pascerent, circumspiciens Alexander quamplurimos, qui stipabant latus suos, familiares, et Legatos amice compellans, (*Emphasis.*) En: inquit, opes Alexandri. O vocem auream! o responsum litteris omnibus ac monumentis prædicandum! o dignam tali Principe, dignam omnibus, qui populis imperant, commendationem!

Quis

Quis enimvero neget haberi in amicorum benevolentia divitias, quas neque fortunæ mutabilitas unquam adimat, neque ipsa rerum humanarum inconstantia labefactet?

## ALIA EXERCITATIO.

Per easdem Figuras.

Orator popularis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet, quantopere Oratori sic elaborandum, ut se ad populi captum, gustumque accommodet.

Rationem afferet; quia nihil est tam amans libertatis, et necessitatis inimicum, quam ingenium multitudinis.

Confirmatio petetur ab exemplo Demosthenis, qui gravibus de rebus cum diceret aliquando apud Athenienses, sensissetque populi oscitantis fastidium, fabulam inceptavit de umbra Asini: idque tractabit per Sustentationem. Quid putatis fecisse Demosthenem, an? etc.

Concludet per Emphasim, umbram Asini præferendo cuilibet rationi speciosissimæ; siquidem illam præfecit Demosthenes; ut attentum rebus suis Populum redderet.

## ORATIO.

Cum is debet esse propositus optimo cuique Oratori finis, ut eorum, apud quos agit, animos ac voluntates quamcumque voluerit in partem flectat, et inclinet; tum certe operam in re hac suam bene collocatam æstimabit,

mabit, si eorumdem mentes sensusque prius quam ad dicendum accedat, diligenter degustarit.

Nam qui rem aversam a multitudine per fas et nefas facere acceptam, quia se in ea amavit plusculum, suscipiat, se ignorare videatur, quam sit amans suæque retinens libertatis multitudinis ingenium, quam inimicum cujuscumque necessitatis.

Quare non committat unquam Orator bonus, ut quidquam in vulgus efferat, quod non sit auribus Populi accommodatum: sed ita temperabit omnia, ut, quidquid dicturus est, non tam ex aurificis statera, quam populari quadam in trutina examinet.

Demosthenes Orator ille percelebris, et Eloquentiæ Atticæ facile princeps, cum aliquando diceret ad Athenienses, remque magni, ut videbatur, ponderis, ea, qua valebat, dicendi vi persuadere niteretur; vidit non audiri se tam attente, quam par erat, et oscitantis languescentisque populi sensit fastidium. (*Sustentatio.*) Hic vero quod putatis iniisse consilium Demosthenem? qua ratione medendum censuit multitudinis tædio peritissimus ille dicendi vir? An invectus est acriter in populum levem, et insanientem indormiscentis socordiam objurgavit? at resistent omnes intempestivum objurgatorem. An orationem prosecutus suæ populum somnolentiæ permisit? At quid orando longius profecisset? An relicto suggestu fastidiosam multitudinem dimisit? at illusus ab eadem fuisset ac contemptus. Quid ergo fecit Orator præstantissimus? Cogitate aliquid dig-

dignum illius industria, qui se hominum ingeniis ac rationibus accommodare noverat; expectate quidpiam, quod exercitatam in tractandis hominum animis dexteritatem redoleret. Præstabilius duxit Orator ille summus desipere ad tempus, ut sic loquar, cum multitudine, dum assequeretur quod vellet, quam si sapuisset intempestive. Quare abjicit continuo materiam, quam tractabat, et conversa penitus oratione lepidam de Asini umbra fabulam incœptat.

Ecce expergiscitur statim populus, et excusso torpore, quasi novi ac recentes ad audiendum Oratorem accedunt. Dissipatam alio mentem occupat attentio, studium languorem excipit, et tædio succedit hilaritas. (*Sustentatio.*) Tum vero suspensis omnium animis, et fabulæ exitum avide expectantibus, quid fecisse rursus putatis Demosthenem? An sua in populum indulgentia demereri eum aggressus est? an fabulæ finem curiose quærentibus liberaliter satisfecit? an quidpiam ingeniose commentitus est, quo inceptam fabulam concluderet? Imo substitit me lio in sermone Orator egregius, et objurgata populi levitate, qui rebus gravissimis indormisceret, dum evigilaret in nugis, ita inclinavit omnium voluntates, ut non modo languescentem excitaret, sed etiam quod erat meditatus primum, persuaderet. Sic, obsequendo in speciem multitudinis ingenio, id consecutus demum est, quod nullis forte rationum momentis perfecisset.

(*Emphasis.*) O felicem, et ratione quacumque Umbram Asini potiorem!

ARTI-

## ARTICULUS VI.

### De Prætermissione, Distributione, Licentia, Concessione.

*Quid est Prætermissio?*

*R.* Est figura, qua Orator id maxime dicit, quod dicere nolle se fingit. Hæc autem figura etsi tam ad laudem quam ad vituperium valet, tamen ea sæpius utitur Cicero ad objurgandum, quam ad laudandum. Utitur ad increpandum Prætermissione de Prov. Cons. n. 3. *Nihil dico: nunc P. C. hominem ipsum relinquo. Itaque omnia illa, quae et sæpe audistis, et tenetis animis, etiamsi non audiatis, prætermittam. Nihil de hac ejus urbana, quam ille præsens in oculis vestris, mentibusque defixit, audacia loquor: nihil de superbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate disputo. Lateant libidines ejus illæ tenebricosæ, quas fronte et supercilio, non sudore et temperantia contegebat: de Provincia quod agitur, id disputo.*

3. Ver. num. 32. et 33. *Itaque primum actum istius vitæ turpissimum et flagitiosissimum prætermittam. Nihil a me de suæ pueritiæ flagitiis audietis; nihil ex illa impura adolescentia sua, quæ qualis fuerit, aut meministis, aut ex eo, quem sui simillimum produxit, recognoscere potestis. Omnia præteribo, quæ mihi turpia dictis videbuntur. Neque solum, quid istum audire, verum etiam, quid me deceat dicere, considerabo. Vos, quæso, date*

*date hoc, et concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim. Omne illud tempus, quod fuit, antequam iste ad Magistratus Rempublicam accessit, abeat per me solutum ac liberum. Sileatur de nocturnis ejus bacchationibus ac vigiliis: lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat; damna, dedecora, quæ res patris ejus, ætas ipsius pertulit, prætereantur. Lucretur indicia veteris infamiæ; patiatur ejus vita reliqua, etc.*

Habes alia hujus Figuræ exempla. 1. Ver. n. 26. 29. 2. Ver. n. 14. 3. Ver. n. 75. 123. 4. Ver. n. 110. 5. Ver. n. 59. 103. 106. 6. Ver. n. 37. 48. 2. In Rul. n. 21. Pro Flacco n. 79. Post Red. in Sen. n. 22. In Vat. n. 11. de Prov. Cons. n. 6. In Pisonem 38. 87. 2. Philip. 2. n. 47.

Utitur aliquando Tullius Prætermissione ad laudandum, pro Sextio, n. 7. *Possum multa dicere de liberalitate, de domesticis officiis, de Tribunatu militari, de Provinciali in eo Magistratu abstinentia; sed mihi ante oculos obversatur Reipublicæ dignitas, quæ me ad se se rapit; hæc minora relinquere hortatur.*

Et pro Rosc. Amer. num. 75. *Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad ejus innocentiam poterat esse, in rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita istiusmodi maleficia gigni non solere. Ut non omnem frugem, neque omnem arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in*

*in omni vita nascitur. In urbe luxuries creatur; ex luxuria existat avaritia necesse est; ex avaritia erumpat audacia; inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra est. Verum hæc missa facio.*

Item 1. Ver. n. 26. Pro Flacco n. 103.

Sunt autem illæ ex Tullio formulæ, quibus hæc Figura exponi solet: Prætereo, non dico, non commemoro, non hic profero, non audietis a me, non attingam. Sinite me hoc loco præterire, possem multa dicere, sentio mihi esse moderandum, jam Orationi meæ fugiendam satietatem vestram. Non versabor in uno genere. Hic nolite expectare, sed quid ea commemoro? Nunc agam modice, nec longius progrediar, etc. et similes.

*Quid est Distributio?*

*R.* Est Figura, qua Orator dividit aliquid in partes suas, ita ut partes singulas acervatim semel propositas statim resumat, et quod cuique parti convenit, subjiciat.

Per lege Man. n. 23. *Ego enim sic existimo summo Imperatori quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit, aut esse debuit, etc.* Singulis hujus Distributionis membris suas rationes subjicit, quibus probat, quatuor illas magni Imperatoris virtutes in Pompejo adfuisse.

Et pro Cœlio n. 2. *Sed ego Atratino humanissimo atque optimo Adolescenti, meo*

*meo necessario, ignosco, qui habet excusationem vel pietatis, vel necessitatis, vel ætatis. Si voluit accusare, pietati tribuo; si justus est, necessitati: si speravit aliquid, puritiæ.*

Pro Quintio num. 5. *Quæ res in civitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt hoc tempore. Summa gratia, et eloquentia: quarum alteram C. Aquili vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortensii ne me dicendo impediat; nonnihil commoveor; gratia Sex. Nevii ne P. Quintio noceat, id vero non mediocriter pertimesco.*

Habes alia hujus Figuræ exempla illustria pro eodem Quintio n. 16. pro Rosc. Amer. n. 9. 35. 72. 76. pro Murena n. 88. de Prov. Cons. 43. in Pis. n. 64. pro Marcello n. 7. pro Dejot. n. 15.

Interdum ita Distributio fit, ut Orationis membra inter se solum dividantur, neque subjiciatur quidquam, quod ipsis respondeat. Sit in exemplum designatus jam num. 7. pro Marcello: *At vero hujus gloriæ Cæsar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem. Totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Præfectus, nihil Cohors, nihil turma decerpit; quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna in illius se societatem gloriæ non offert, etc.*

*Quid est Licentia?*

*R.* Est Figura, qua Orator pro jure suo dicit aliquid audacius apud eos, quos vereri ac metuere debet. Pro

Pro Sylla n. 33. *Attende jam Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem Consulatus tui. Maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico, semperque dicam; adeste omnes animis, qui adestis corporibus, quorum ego frequentia magnopere lætor; erigite mentes, auresque vestras, et me de invidiosis rebus, ut ille putat, dicentem attendite. Ego Consul, cum exercitus perditorum civium clandestino scelere conflatus crudelissimum et luctuosissimum patriæ exitium comparasset, etc.*

Item n. 46. et 47. ejusdem Orationis, egregium habes exemplum Licentiæ, qua libertatem et audaciam Cicero præ se fert.

Usurpatur hæc Figura ad ostendendam fiduciam, 1. in Rull. n. 23. *Errasti, Rulle, vehementer, et tu et Collegæ tui, qui sperastis vos contra Consulem veritate, non ostentatione popularem, posse in evertenda Rep. popularis existimari. Lacesso vos, in concionem voco, Populo Romano disceptatore uti volo.*

Valet ad insultandum adversario. Pro domo sua n. 99. *Quare Remp. disrumpatur licet ista furia* (Clodium intelligit) *atque audiat hæc ex me, quoniam lacessivit, bis servavi, et cum Consul togatus armatos vici, et cum privatus armatis cessi. Utriusque temporis fructum tuli maximum; superioris, quod est Senatus auctoritate, et Senatum et omnes bonos meæ salutis caussa mutata veste vidi; posterioris, quod et Senatus et Populus Romanus et omnes mortales et privatim et publice judicarunt,*

*sine*

*sine meo reditu Remp. salvam esse non posse.*

Ad objurgandum etiam utilis est. Pro Mil. num. 33. *An vero Judices soli ignoratis? vos hospites in hac urbe versamini? vestræ peregrinantur aures; neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur, quas ille leges (si leges nominandæ sunt, ac non faces urbis et pestes Reipublicæ) fuerit impositurus nobis omnibus ac inusturus? Exhibe, quæso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum, quod te ajunt eripuisse e domo, et ex mediis armis, turbaque nocturna, tamquam Palladium sustulisse: ut præclarum inde munus ac instrumentum Tribunatus ad aliquem si nactus esses, qui arbitrio tuo Tribunatum gereret, deferre posses. Et aspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, cum omnia omnibus minabatur. Movet me quippe lumen Curiæ? Quid tu me iratum, Sexte, putas tibi cujus tu inimicissimus multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meæ postulare, etc.*

Item 7. Ver. n. 153. Phil. 10. n. 8. et 19.

Interdum assentationi deservit, ut pro Marc. n. 26. *Itaque illam tuam præclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi; satis te diu vel naturæ vixisse, vel gloriæ satis, si ita vis, naturæ fortasse, addo etiam, si placet, gloriæ; at quod maximum est, patriæ certe parum. Quare omitte, quæso, istam, doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli periculo*

*nostro sapiens esse: sæpe enim venit ad aures meas, te istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse, credo: sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si etiam soli natus esses. Nunc, cum omnium salutem civium, cunctamque Remp. res tuæ gestæ complexæ sint, tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris.*

*Quid est Concessio?*

*R.* Est Figura, qua Orator aliquid etiam iniquum, fiducia causæ suæ adversario videtur concedere. Est autem Concessio illa vel seria, cum, parte aliqua concessa, sperat Orator se in reliquis fore superiorem; vel ironica, cum res concessa invidiam conflare potest adversario.

Prioris exemplum habes pro Quintio n. 56. *Hæc ille si verbis non audet, re quidem vera palam loquitur. Etenim si vult bonorum virorum instituto vivere, multa discat oportet, atque dediscat, quorum illi ætati utrumque difficile est. Non dubitavi, inquit, cum vadimonium desertum esset, bona proscribere. Improbe, verum quoniam tu id tibi arrogas, et concedi postulas, concedamus.*

Et pro Rosc. Amer. n. 73. *Utrum, quid agatur, non vides? Aut apud quos agatur? Agitur de parricidio, quod sine multis causis suscipi non potest. Apud homines autem prudentissimos agitur, qui intelligunt neminem, ne minimum quidem maleficium sine causa admittere. Esto: causam proferre non potes, tametsi vicisse debeo;*

*debeo; de meo jure decedam, et tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Non quæro abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit: quæro, quomodo occiderit.*

Item 5. Ver. n. 28. 219. 7. Ver. n. 4. Pro Domo sua n. 43. Pro Muræna n. 41.

Ironicæ Concessionis exempla habes 4. Ver. n. 46. *Quæ est ista Prætura? Eripis hereditatem, quæ venerat a propinquo, venerat testamento, venerat legibus; cujus hereditatis, cum ille aliquando ante te Prætorem esset mortuus, controversia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo. Verum esto: eripe hæreditatem propinquis, da palæstritis, prædare in bonis alienis nomine civitatis; verte leges, testamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum: num etiam Heraclium bonis privari oportuit?*

Et 5. Ver. num. 16. *Qua in re illud primum reprehendo, et accuso, cur in re tam veteri, tam usitata, novi aliquid feceris, ingenio aliquid assecutus es; tot homines sapentissimos, qui illam Provinciam ante te tenuerunt, prudentia, consilio vicisti? Est tuum, est ingenii, prudentiæque tuæ. Do hoc tibi, et concedo: scio te, Romæ cum Prætor esses, edicto tuo possessiones hæreditatum a liberis ad alienos, a primis hæredibus ad secundos, a legibus ad libidinem transtulisse. Scio te edicta Superiorum omnium correxisse, et possessiones hæreditatum; non secundum eos, qui proferrent, sed secundum eos, qui dicerent testamentum factum, dedisse; easque res novas*

*novas a te prolatas et inventas magno quæstui tibi fuisse scio.*

Item et Ver. n. 150.

Delectat autem in primis Concessio, cum id, quod conceditur, adversario nocet. Ut pro Ligario n. 2. *Habes igitur Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum: sed tamen ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum. Itaque prius de delicto vestro fateamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.*

Habet etiam multam gratiam hæc Figura, cum id adversario conceditur, quod negari non potest, ut alia meliora et majoris momenti subjiciantur. Ut pro Flacco num. 9. *Hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo illis litteras, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam, si qua sunt alia, non repugno. Testimoniorum religionem et fidem nunquam ista natio coluit: totiusque hujusce rei, quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant.*

Sunt autem illæ, quibus Figuram illam Tullius abhibet, formulæ: Esto, Verum fac, Verum esto, Patior non moleste. Ut tibi concedam, Sed jerit ad bellum, etc. sit ita sane, sed hinc sint parta omnia, Hoc do tibi et concedo, Tamen de meo jure cedam, Ita fac, etc.

EXER-

## EXERCITATIO.

*Marcus Attilius Regulus ad Senatum Romanum de non permutandis Captivis.*

Per Licentiam, Prætermissionem, Distributionem, Concessionem.

### *SYNOPSIS.*

*Exord. et Prop.* Fient per Licentiam, dicetque non vereri se arguere nimiam quorumdam hominum in se commiserationem.

Rationem afferet per Distributionem, quia illa commiseratio indigna est viris gravissimis, periculosa Reip. sibi ipsi injuriosa.

Primam partem probabit per Licentiam, admonendo, plus ipsas consulere debere æquitati, quam inutili pietati.

Secundam partem probabit; quia nihil est Reip. perniciosius, quam si redimantur illi cives, qui dedere se hostibus, quam fortiter in acie mori maluerunt. Quod tractabit per Prætermissionem. Liceat mihi præterire silentio, quæ vidi, etc. Dicetque, vidisse se vexilla Romana affixa delubris Carthaginensium, Romanos indignis, aut nullis vulneribus saucios, etc.

Tertiam probabit partem, et ostendet, pietatem ipsorum arguere in ipso paratum minus ad ferenda quælibet adversa animum. Mox per Concessionem; at carebitis Romanis civibus; Esto: at, etc. at grevissima mihi intentantur supplicia; sit ita sane, etc.

Concludet dicendo certum sibi esse redire Carthaginem, nec passurum se, ut redimatur ipse, quidquid de aliis statuatur.

ORA-

## ORATIO.

Quis ille, Patres Conscripti, qui singulorum frontem obnubit dolor? quid illi mœrorem ac tristitiam spirantes oculi volunt? aut quem tandem ad finem universa omnium reclamatio meis auribus insonuit; cum retinendos in urbe Carthaginensium milites, nostros vero furori hostium permittendos esse defendi?

(*Licentia.*) Equidem, scio apud quos agam, P. C. revereor, ut par est, auctoritatem hujus Ordinis, et tot clarissimorum virorum suffragia maximi esse apud me ponderis ac momenti ultro volensque profiteor. Tamen ubi vestra omnium dignitas, Reip. salus, mea ipsius gloria vocantur in discrimen, non possum mihi temperare, quin palam et maxima, qua possum voce, ita ut omnes exaudire possint, de vobis omnibus graviter expostulem, et intempestivam illam, qua videmini me prosequi, commiserationem durius etiam coarguam.

(*Distributio.*) Nam quid alienum magis a dignitate vestra, quid Reip. saluti perniciosius, quid Marco Regulo magis injuriosum esse poterat, quam inutilis dolor, inanis gemitus, pietas mollior; ubi gravitas, constantia, et omni periculo superior magnitudo quædam animi requiritur?

(*Licentia.*) Alienum dico a dignitate vestra, P. C. Agite enim; an estis obliti, quales sitis, et quibus hic partibus defungamini? Meministis, in eo vos amplitudinis gradu esse constitutos, non ut imbelli pietatis sensu afflicto-

afflictorum miserias lugeatis, sed ut plena summæ gravitatis judicia exerceatis? An excidisset vobis e memoria, esse vos hæredes priscæ illius severitatis, quæ tanta in hoc Imperio fuit, ut clarissimi Imperatores in filios suos atrocissime interdum animadverterint, si tamen illud atrox, aut crudele videri potest, quod cum paucorum jactura universæ Reip. bono ac saluti consultum est?

Atque hinc mihi alia suboritur objurgandæ commiserationis vestræ ratio, quæ dum redimendos esse ab hostium servitute Romanos videtur persuadere, funestissimam Reip. perniciem importat. Quid enim opinione illa, cum ad fovendam militum nostrorum ignaviam, ac debilitandas ipsorum vires efficacius, tum ad excitandos hostium animos præsentium esse potest? Ubi hercule! in prælio paulo acrius ex adverso pugnabitur, plena fugientibus castra atque hostibus se se dedentibus videbitis; mallent tradere se sirvituti turpiter, quam honestæ vitæ finem consequi. Quam porro spem in illis deinceps habebitis, quos putatis esse redimendos? Redibit nimirum redemptus auro miles ad pugnandum paratior, qui pacem ac vitam petendam ab hoste censuit prius, quam fortiter occumbere? resumet virtutem pristinam, qui se ab ea degenerem aliquando præstitit? invadet hostem acriter, et cum eo strenue pugnabit, cujus olim jugum ac vincula expertus est?

(*Prætermisio.*) Hic vero sinite, P. C. æterno prœterire silentio illatam nomini Ro-

Romano labem, et nullo eluendam piaculo ignominiam. Hoc indulgete dolori meo, ut obductas male cicatrices non refricem, dum repeto memoriam tristissimi illius spectaculi, quod ego vidi his oculis, atque utinam videre nunquam licuisset! Non dicam, spectasse me ad sempiternum hujus Imperii decus affixas Carthaginensium delubris victrices illas aquilas, quarum vel aspectus hostibus nostris metum ac terrorem inzutit. Tacebo direpta Romanis Civibus vexilla, quæ templorum tholis suspensa impune volitant; non lacera, non infecta cæde ac sanguine, sed integra, sed ultro permissa. Non referam plena spoliis nostris armamentaria, et auctum ex Romanorum manubiis Carthaginensium ærarium! Silebo, nam refugit animus meminisse, silebo, inquam, cives nostros ac milites, quorum præcipua laus ac gloria libertas esse debuisset, servorum instar onustos vinculis, et retortis post tergum manibus infami jugo depressos. Non dico vacua vulneribus omnium pœne corpora, aut, quod longe turpissimum est, indignis ac pudendis plagis inusta. Nolite igitur P. C. de redimendis hujusmodi militibus cogitare, quarum salus multo majorem Reip. perniciem, quam ipsa clades ac jactura allatura sit. Absit a vestris animis tam perniciosa Reip. nostræ commiseratio, quam si mea caussa suscepistis, rogo vos, ut eamdem deinceps, nisi jam infelicis Reguli vos piget, deponatis.

Hoc enim saltem mereri possim a vobis, ut satis animi censeatis esse in Regulo ad perfe-

perferendum fortiter, quidquid in me durius fortuna statuerit. Neque vero audiendos putetis illos, qui me deditionis turpissimæ infamia liberant, et illius consilii auctorem non fuisse profitentur. Certe, si quid in ea re ignominiæ est, cui potius, quam Imperatori tribuendum?

Nihil hic purgandus apud vos sum, P. C. nec quidquam derivandi criminis gratia dicam. Utcumque gesta res est, nequaquam me ab eorum causa segregabo, nec turpis facti atrocitatem defugiam. Ero igitur in hostium potestate atque arbitrio, quominus id moleste ferant, meoque exitio patriæ dedecus abolebo. Discant exemplo nostro Romani milites, nullum in acie, præterquam in virtute atque manibus, esse perfugium. Documento erimus generi humano, pugnantibus Romanis aut victoriam, aut necem esse propositam, mediam inter eas fugam numquam nisi hostibus patere.

At enim carebitis Romanis illis Civibus, quos in vinculis Pœni detinent? (*Concessio.*) nam video occurrendum esse illorum pietati, quos hæc jactura moveat, carebitis, inquam, illis Civibus? Esto: at retinebitis apud vos partem maximam nobilissimæ ac florentissimæ Juventutis, quibus non tam est patriæ, quam illorum in patria desiderium; quorum maxime gratia Legatio ista susceptа est, quorum jactura magna sit Carthaginensibus virium et animorum decessio. Gravissima nobis supplicia præparantur? nihil moror, at illatum Romano nomini opprobrium licebit eruere. Mortem

non

non effugiemus? at mori glorioso præstat, quam turpiter vivere.

(*Concessio Ironica*) Quamquam si doletis gravius jacturam tam levem, P. C. statuite de cæteris, ut placuerit, per me licet, redimite, quando sic libitum est, ignavos milites qui plus nocere nobis, quam prodesse possunt. Effundite opes vestras, exhaurite ærarium, flagitio flagitium addite, ut belli nervis destituti necessariis ad dubia Reip tempora præsidiis careatis. Remittite Carthaginensibus præcipuum totius exercitus robur, exercitatam militari disciplina juventutem, ut jam jam majori numero reparatisque viribus vobis ingruant. Mihi in patria manere nulla conditione certum est atque decretum, nec, ut reliquos maxime redimendos censueritis, quemquam mecum de Carthaginensibus captivis permutabitis.

## ALIA EXERCITATIO.

Per easdem Figuras.

Marcus Tullius Cicero ad Senatum, ut peractæ in Lentulo, Cethego, aliisque Conjurationis Catilinariæ sociis cædis invidiam amoliatur.

## *SYNOPSIS.*

Exordium et Propositio fiet per Licentiam. Dicet Cicero, non venire se, ut peractæ cædis suspicionem amoliatur a se, qua Romanus quilibet gloriari debeat.

Rationem afferet per Distributionem, quia cædes illa fuit justa, necessaria, et utilis.

utilis. Ex triplici illo capite eruetur Confirmatio.

1. Justam illam cædem fuisse probabit enumeratione illarum rerum, quas Catilinæ socii cum Catilina molebantur in Reip. perniciem; recensebitque excidium urbis, bonorum occisionem, ruinam totius Italiæ, idque tractabit per Prætermissionem, petendo a Judicibus, ut ab ejusmodi rebus commemorandis abstinere liceat.

2. Necessariam fuisse demonstrabit; quia etiam sublato Catilina, erat timendi locus, ne conjuratio redintegraretur, si superfuissent Catilinæ socii. Hoc tractabit per Concessionem. Esto dederit Catilina pœnas temeritati suæ pares, dissipata, extincta conjuratio videri potuerit At, etc.

3. Demonstrabit, fuisse utilem, ab ea tranquillitate, qua gaudebat civitas, ex quo conjurati pœnas dederant; denique ex publica omnium Ordinum gratulatione, quam sibi decreverant pro servata patria.

Concludet, admonendo eos, qui nimis dolerent de interfectis conjuratis, ne veniant ea demonstratione in suspicionem necessitudinis alicujus cum Conjuratis.

## ORATIO.

Etsi novi unus omnium optime, P. C. quam graviter apud vos de me expostulaverint, qui Lentulum ac Cethegum reliquosque pestiferæ conjurationis socios dignas temeritate sua dedisse pœnas affliguntur; nolite tamen existimare, venisse me hodie in hunc celeberrimum consessum vestrum, vel

ut

ut amoliri a me peractæ cædis suspicionem, vel adhibitam in nefarios cives severitatem conarer excusare.

(*Licentia.*) Est enim hujusmodi factum illud, quod auctoritate mea patratum esse profiteor, et ita profiteor, ut a vobis omnibus, qui hic adestis, quorum et frequentia maxime lætor, exaudiri velim, ut non modo Consul, qualem esse me benevolentia vestra voluistis, sed etiam Civis Romanus quilibet sincero patriæ studio succensus eo debeat gloriari.

Nam quis, amabo vos, P. C. nisi quam habuerit ille cum apertis Reip. hostibus societatem, aut ejusdem hodie etiam restincto jam incendio perniciem meditetur, (*Distributio.*) qui sublatos cruenta morte cives eos doleat; quorum damnatio tam utilis Reip. totique adeo Italiæ videri debuit? Agite; quam severe, quam duriter animadverti in eos oportebat? qui unumquemque nostrum fatali exitio destinabant? An decuit ullam impertiri misericordiæ partem iis, qui neminem ac sua crudelitate atque sævitia immunem volebant? an æquum erat, eorum quemquam esse diutius in vitam superstitem, qui Remp. nullam esse ac funditus interire decrevissent?

Hic vero sinite me, P. C. præterire funestissimam conjurationis illius memoriam, (*Prætermissio*) quam meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculo, sine multitudine, sine delectu, sine armis, sine tumultu, a vestris omnium cervicibus depulsam fuisse mihi vosmetipsi gratulati estis.

Vel

Vel ipsa periculorum, quæ defugimus, recordatio me angit atque excruciat mirum in modum; quoties recogito mecum tacitus, eo prorupisse quorumdam hominum improbitatem, ut incensioni urbem, internecioni cives, Italiam vastitati destinassent; cum redit in mentem vix unius noctis spatium abfuisse, quin perditi ac scelerati cives vitam omnium, statum orbis terrarum, urbem hanc denique nostrum omnium sedem, arcem Regum ac Nationum exterarum, lumen Gentium, domicilium Imperii perderent ac labefactarent.

Et erit aliquis tam inimicus huic urbi, tam alienus a salute civium, tam parum cupidus Romani nominis, ut eos sublatos de medio doleat, qui nisi communi omnium exitio vitam trahere ulterius non potuissent? Majores nostri Gracchum utrumque, Tiberium, et Cajum, Spurium Melium, Saturninum et alia civitatis hujus clarissima lumina merita mulctatos morte judicarunt, quod studere novis rebus, et nimiam in libera civitate potestatem affectare viderentur; nos patiemur iniquo animo, pestiferæ conjurationis socios interiisse, qui Remp. totam pessumdare moliebantur?

At enim video, quid objiciant homines mansueti plane ac misericordes. Dissipata, inquiunt, conjuratione, extincto penitus, quod immineb at, funesti belli incendio, exulante longius Catilina, quid erat deinceps metuendum huic urbi? cur in clarissimos Cives tam inhumaniter sævitum est? Quæ tua, Marce Tulli, tanta, tam incredibilis

sanguinis humani sitis, ut medio pacis in sinu tristissimam carnificinam exerceres? an videbatur aliquid deesse gloriæ tuæ, nisi tot illustrissimas civitatis hujus familias luctu ac mœrore perderes?

(*Concessio.*) Sit ita sane, P. C. id vigilantia nostra et Consulari auctoritate consecuti simus, ut imminentem patriæ, civitati, Reip. perniciem averteremus; dissipata, extincta, si vultis conjuratio sit; pœnas dederit, dignas scelere, dignas furore suo nequissimus post homines natos Catilina. Tamen putatis nihil fuisse quod pertimesceremus, nisi socii pariter funestæ conjurationis concidissent? inertes illi scilicet ac lenti quievissent a flagitio? non tetendissent novas Reip. insidias? non collegissent vires? non consopitum male incendium suscitassent? non spirantem adhuc et anhelantem scelus Catilinam per fas ac nefas intra urbis hujus mœnia revocassent? Sic vobis notus animus, sic nota perditorum hominum indoles fuit? Non ignorabam ego, P. C. quales essent, non illuserant mihi, non fecerant fucum. Vidi, quid vellent, quo tenderent, quid meditarentur; non quievissent illi, mihi credite, non abstinuissent a scelere, donec Remp. penitus evertissent. Hinc intelligite, P. C. quanti momenti fuerit, ut cives perditi quasi putrida totidem membra a reliquo Reip. corpore rescinderentur.

At quantus hinc fructus, quanta ad omnes utilitas pervenit! Quis est in hac amplissima civitate, qui respirare tandem, et post longos, gravesque metus securum esse se posse non

non æstimarit? Quis gravissimis periculosæ tempestatis fluctibus defunctus, beatum tranquillæ pacis attigisse portum sibi non visus est? Est aliquis adhuc tam timidus, tam procellæ metuens, qui sublatis de medio conjurationis funestæ reliquiis, bona, fortunas, domum, liberos, conjugem, seque ipsum veluti a communi naufragio ereptum fuisse non arbitretur? Ut immutata paucis ab hinc diebus hujus urbis facies! ut pacata ubique regnat quies ac tranquillitas! ut omnes, quotquot sunt, boni et amantes Reip. cives quasi ex longa recreati malorum serie plaudunt sibi ac triumphant!

Mihi vero, P. C. quem in sedanda tempestate non inanem operam posuisse arbitrati sunt, quam frequentes, quam honorificas gratulationes universi Reip. Ordines decreverunt! Quis habendas mihi gratias non putavit, quod luctuosam suæ sobolis fortunarumque suarum perniciem non vidisset? quod domesticos intra Penates tranquilla pace frueretur?

Me ne vester ordo amplissimus solemni supplicatione decorandum tamquam parentem patriæ et conservatorem hujus urbis censuisset, nisi persensisset omnino, quanta interfectis, quicumque vestrum exitium machinabantur, perniciosis civibus, utilitas in omnes redundasset?

Valeant ergo, qui me crudelitatis ac sævitiæ accusandum putant; caveantque diligenter, ne, ne, dum apertos Reip. hostes intempestivis querelis requirunt acerbius, arctiori,

arctiori, quam par est, odiosæ cum ipsis necessitudinis vinculo conjuncti videantur.

## ARTICULUS VII.

### De Antithesi, Permissione, Parenthesi.

*Quid est Antithesis, ut est Figura Sententiarum, et ab Antithesi, seu Antitheto, quæ est Figura verborum, distinguitur?*

*R.* Est Figura, qua non tantum verba verbis, sed sententiæ sententiis opponuntur, ut pro Rosc. Amer. n. 13. *Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt; causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accusant ii, quibus occidi patrem Sex. Roscii bono fuit; causam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, sed etiam egestatem. Accusant ii, qui hunc ipsum jugulare summe cupierunt; causam dicit is, qui etiam ad hoc judicium cum præsidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur. Denique accusant ii, quos populus poscit; causam dicit is, qui unus relictus ex nefaria cæde restat.* Egregium ejusdem Figuræ exemplum ibid. n. 88. quod vide.

Pro Cælio n. 12. *Habuit ille* (Catilina) *sicut meminisse vos arbitror, permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. Utebatur hominibus improbis multis, et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. Erant apud illum illecebræ libidinum multæ; erant etiam industria quidam stimuli ac laberis. Flagra-*

*grabant vitia libidinis apud illum; vigebant etiam studia rei militaris. . . . Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? Quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hostis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? Illa vero, Judices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare, quod habebat, servire temporibus, suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, et audacia; versare suam naturam, et regere ad tempus atque hac illac torquere et flectere, cum tristibus severe, cum remissis jucunde, cum senibus graviter, cum juventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose vivere.*

Item pro Ligario n. 15. pro Lege Manil.

*Quid est Permissio?*

*R.* Est Figura, qua Orator bonitate causæ suæ fretus quædam judicibus, ac adversariis æstimanda permittit, et statuendi facultatem largitur. Hæc Figura eadem pene est cum Concessione, nisi quod illa multo gravior et acerbior est, ut Phil. 2. n. 5.

*At beneficio sum usus tuo? quo? . . . Quod me Brundusii non occideris, quem ipse victor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, salvum esse voluisset, in Italiam ire jussisset, eum tu occideres? Fac potuisse.*

*Quod*

*Quod est aliud, P. C. beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint? Quod si esset beneficium, nunquam ii, qui illum interfecerunt, a quo erant servati, quos tu ipse viros clarissimos oppellare soles, tantam essent gloriam consecuti. Quale autem beneficium est, quod te abstinueris a nefario scelere? Qua in re non tam jucundum mihi videri debuit, non interfectum a te, quam miserum, id te impune facere potuisse. Sed sit beneficium, quandoquidem majus obtineri a latrone non potuit, in quo me dicere potes ingratum? An de interitu Reip. queri non debui, ne ingratus viderer, etc.*

Et Catil. 1. n. 10. *Catilina, perge quo cœpisti; egredere aliquando ex urbe; patent portæ, proficiscere. Nimium diu te imperatorem illa tua Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, purga urbem.*

Et pro Flacco n. 96. *Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, revocemus ejectos; niniæ pietatis et summi amoris in patriam vicissim nos pœnas, si ita Diis placet, sufferamus.*

Habes alia permissionis exempla de Prov. Cons. n. 8. et n. 16. In Vatin. n, 11.

*Quid est Parenthesis?*

*R.* Est Figura, qua Orator breviter declinat a proposito; et nonnihil alicujus continui partibus interjicit.

Est autem hæc Figura tam frequens apud Ciceronem, ut pene supervacaneum sit exempla in medium proferre. Di-

Divin. n. Ver. n. 28. *Quare neget; ex me non audies; hoc patere id suspicari, quod necesse est. Illi quidem (ut est hominum genus nimis acutum, et suspiciosum) non te ex Sicilia litteras in Verrem deportare velle arbitrantur, etc.*

2. In Ver. n. 15. *Sed video, quid agat (neque enim agit occultissime) proponit inania mihi nobilitatis, hoc est arrogantium hominum nomina.*

2. Philip. n 16. *At etiam ausus es (quid est autem, quod tu non audeas?) Clivum Capitolinum dicere, me Consule, plenum servorum armatorum fuisse.*

Ibid. eodem numero. *O miserum, sive illa tibi nota non sunt, (nihil enim boni nosti) sive sunt, qui apud tales viros tam imprudenter loquare.*

Et pro Sextio num 25. Et 49. In Pisonem num 72.

## EXERCITATIO.

*Diva Genovefa Heroibus quibuscumque illustrior.*

Per Antithesim et Permissionem.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Fiet per Permissionem, ultroque patietur Orator jactari ab administratoribus antiquitatis priscos Heroas, qui nominis sui memoriam factis illustribus consecrarunt.

*Propositio.* Dicet, Divam Genovefam feliciorem fuisse, licet diversam omnimo viam ab iis tenuerit.

*Con-*

*Confirmatio.* Per Antithesim. Comparabit Beatæ Genovefæ vitam et agendi modum cum vita, factisque veterum Heroum. Illius modestiam cum horum ambitione, illius otium pacificum cum sollicitis horum laboribus; illius de seipsa victoriam, cum edita ab his hostium strage, etc.

Confirmabit deinde, comparando per alias Antitheses gloriam, quam sibi Genovefa peperit, cum illa laude, quam prisci Heroes meruere. Hæc fragilis ac caduca, illa solida ac sincera, hæc brevis, illa sempiterna, etc.

Concludet dicendo, Deum mirabilem exstitisse in illustranda Sanctorum gloria, ut mortales suum ad obsequium et amorem illiceret.

## ORATIO.

(*Permissio. Parenthesis.*) Jactet enimvero ambitiosa vetustas Heroas suos, et futuris ætatibus pergat magnificentius ostentare. Prædicet, (nam quis hoc illi leve solatium invideat?) exantlatos ab iisdem labores, et edita passim bello facinora, quibus immortalem, si Superis placet, gloriam apud posteros meruerunt, insolentius efferat.

Ecce ignobilis Puella laboravit illis omnibus felicius, et sublimius quoddam laudis, honorisque fastigium ascendit. At licet diversam penitus ab iis tenuerit viam, qui memoriam sui nominis in omne tempus consecrare studuerunt; licet nihil sit ab ea gestum cum fastu, nihil palam, aut per ostentationem, tamen post emensum semel vitæ curriculum bellatorum omnium decus ac famam

famam tanto superavit intervallo, quanto illæ, dum viverent, Genovefæ tenuitatem atque obscuritatem superabant.

Agite enimvero, B. Genovefam cum tot clarissimis viris, tot famosis orbe toto nominibus, immensos eorum labores cum pacifico illius otio conferamus. Illi acrioribus parandæ sibi gloriæ stimulis incensi ad magna quæque ferebantur. (*Antithesis.*) Illa uno sui deprimendi studio stimulata, quod erat abjectum cumque ambiebat. Illi res suas magno cum fastu palam et ubique jactabant. Illa sectabatur hoc unum, ut lateret. Illi armorum præsidio ad nominis sui commendationem abutebantur. Illa perpetuis apud Deum precibus atque obsecrationibus indulgebat. Illi suscitabant hostes sibi, quos vincerent, ut partam ex victoria gloriam consequerentur. Illa nullum sibi, nisi cum vitiis, bellum volebat esse, et meritam ex eorumdem strage laudem uni Deo referebat. Illi populorum cæde ac sanguine venturis olim ætatibus innotescere quæsierunt. Illa assidua corporis afflictione soli placere Numini cogitavit. Illi rerum a se gestarum titulis atque inscriptionibus, erectis ad pompam ex ære, vel marmore monumentis breves ævi mortalis angustias compensare conati sunt. Illa impressis ubique virtutum suarum vestigiis, quam vixit olim vitam ad hæc usque nostra tempora meliori fato prorogavit.

Vicerunt illi quidem ex parte ruentis omnia ac labefactantis temporis injurias, et aliquam apud nos retinent nominis sui commendationem. At vicit illas multo felicius Genovefa,

vefa, et illustriorem apud hominum memoriam locum obtinet. Narrantur hodieque res ab illis laudabiliter, feliciterque gestæ, at in plerisque rerum istarum gloriam ingrata recordatio vitiorum obscurat. Genovefæ memoria sic apud nos recolitur, ut nulla labe corrupta, sed grata penitus occurrat. Illorum cineres sine honore contempti jacent, nullumque a nobis cultum sibi vindicant. Pretiosæ illius reliquiæ omnium veneration proponuntur. Nihil illi possunt hominum causæ, neque jam benemereri de quoquam valent. Genovefa suum ultro impertit ab alto præsidium, et se clientum precibus patitur exorari.

Vere tu mirabilis, o Deus, ut colendus ante omnes et amandus, qui mortales miseros sic extollis, et leve fragilis obsequii munus, ingenti laudis nunquam interituræ pretio compensas.

## ALIA EXERCITATIO.

*Mutius Scævola Romanus ad Porsenam Clusinum Regem, cum Scribam ejus, pro Rege ipso interfecisset.*

Per Permissionem.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Romanum se esse, hostemque Porsenæ fatebitur, eoque accessisse consilio, ut ipsum interficeret.

Deinde per Permissionem admonebit Porsenam, ut statuat de ipso, quidquid volet, sibi interim exurendam videri manum illam, quæ erraverat. Mox

Mox per eamdem Figuram jubebit Porsenam exemplum sumere ex ea severitate, qua errorem suum plecteret, quam grave supplicium ipse vicissim de Mutio statueret.

Concludet per eandem Figuram, Porsenam admonendo, trecentos esse Romanos juvenes, qui facinus idem audeant.

## ORATIO.

Romanus civis ego sum, quem Mutium vocant, hostis hostem occidere volui. Non mihi ad cædem, vel meditandam, vel perficiendam animus defuit: neque etiam ad plectendam, quæ erravit, manum æquitas deerit. (*Permissio.*) Proinde tu de me statue, ut voles; nihil moror. Interim de me ipso, aut de hac potius, quæ me fefellit, manu quid statuam, vide. Errorem illa suum vindicibus flammis expiabit, et solvet ipsa pœnas, quas irrogare tibi debuisset. Et quoniam facti illius honorem, cui fuerat devota per me, non adepta est, illam deinceps, tamquam vile et inane membrum reputo, et a reliquo corpore rescindi volo.

Jam disce vel ex me, quid te fecere oporteat. (*Permissio.*) Age, facinus vindica, iras acue, enses expedi, lacera, perure, jugula, mille in partes divide, nostro te sanguine exsatia; non erit ad mortem minus animi, quam fuit ad cædem. Non me suppliciorum acerbitas terret, aut tortorum furor incutiet metum. Et facere et pati fortia Romanum est.

At unum moriens te monitum volo. Non unus in te ego hos animos gessi; longius post

post me ordo est idem ambientium decus. Unus eorum aliquis, spero, si non in agendo me fortior; saltem in perficiendo felicior futurus est. Proinde in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut singulas horas de capite dimices tuo, ferrumque et hostem habeas in vestibulo Regiæ. Hoc tibi Juventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum prælium timueris; uni tibi et cum singulis res erit.

## ARTICULUS VIII.

### De Deprecatione, Optatione, Execratione, Epiphonemate, et Exclamatione.

*Quid est Deprecatio seu Obsecratio?*

*R.* Est Figura, qua alicujus opem, aut misericordiam Orator vehementer implorat. Opem quidem, ut pro Rabirio Perd. num. 5. *Quæ cum ita sint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, formæ fortunarumque omnium fieri necesse est, ab Jove optimo Maximo cæterisque Diis Deabusque immortalibus, quorum spe et auxilio multo magis hæc Resp. quam ratione hominum et consilio gubernatur, pacem ac veniam peto, precorque ab iis, ut hodiernum diem et ad hujus salutem conservandam, et ad Remp. constituendam illuxisse patiantur. Deinde vos, Quirites, quorum potestas maxima ad Deorum immortalium Numen accedit, oro atque obsecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miserrimi atque innocentissimi, salus Reip. vestris manibus, suffragiisque permittitur, adhi-*

*beatis*

*beatis in hominis fortunis misericordiam, in Reip. salute sapientiam, quam soletis.*

Et pro Domo sua n. 146. *Quapropter, si Diis immortalibus, si Senatui, si Populo Rom. si cunctæ Italiæ, si Provinciis, si exteris Nationibus, si vobismetipsis, qui in mea salute principem locum, auctoritatemque tenuistis, gratum ac jucundum meum reditum intelligitis; esse; quæso, obtestorque vos, Pontifices, ut me, quem auctoritate, studio, sententiis restituistis, nunc, quoniam Senatus ita vult, manibus quoque vestris, in sedibus meis collocetis.*

Egregia est ibid. n. 144. Deprecatio, qua Jovis, Junonis, Minervæ et Vestæ opem implorat.

Illustris etiam multo magis locus ille 7. Ver. n. 183. quo Tullius omnium omnino Numinum fidem et opem implorat adversus Verrem, qui simulacra illorum eripuerat, delubra violaverat, Religiones polluerat. Legendus totus, qui omittitur hic a nobis, quia prolixior est.

Habes alia Deprecationis exempla ad implorandam opem comparata. Pro Quintio n. 10. Pro Rosc. Amer. n. 11. 6. Ver. n. 113.

Valet etiam plurimum Deprecatio ad excitandam misericordiam, ut pro Milone n. 22. *Quid restat, nisi ut orem, obtesterque vos, Judices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat, ego autem repugnante hoc et imploro et exposco. Nolite, si in nostro omnium fletu,*

*nullam lacrymam aspexistis Milonis, si vultum semper eumdem, si vocem, si orationem stabilem ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere: atque haud scio, an multo etiam adjuvandus magis.*

Et pro Flacco n. 106. *Qui vos, quoniam est id ætatis, ut sensum jam percipere possit ex mœrore patris, auxilium nondum patri ferre possit, orat, ne suum luctum patris lacrymis; patris mœrorem suo fletu augeatis. Qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quodammodo flens fidem implorat, ac repetit eam, quam ego patri suo quondam spoponderim pro salute Patriæ dignitatem.*

Est hæc præclara Deprecatio pro Murena n. 86. *Quæ cum ita sint, Judices, primum Rein. causa, qua nulla res cuiquam potior debet esse, vos mea summa, et vobis cognita in Remp diligentia, moneo, pro auctoritate Consulari hortor, pro magnitudine periculi obtestor, ut odio, ut paci, ut saluti, ut vitæ vestræ et cæterorum civium consulatis: deinde ego fidem vestram et defensoris et amici officio adductus, oro, atque obsecro, Judices, ut ne hominis miseri et cum corporis morbo, tum animi dolore confecti Luc. Murenæ recentem gratulationem nova lamentatione obruatis. Modo maximo beneficio Populi Rom. ornatus fortunatus videbatur: quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum Consulatum attulisset; nunc idem squalore sordidus, confectus morbo, lacrymis ac mœrore perditus, ves-*

*vester est supplex, Judices, vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat, vestram potestatem, ac vestras opes intuetur. Nolite, per Deos immortales, Judices, etc.*

Alia sunt ejusdem Deprecationis exempla pro Quint. n. 97. Pro Rosc. Amer. n. 150. Pro Cluent. n. 200. Pro Dejotaro n. 9.

Adhibetur hæc potissimum Figura in Perorationibus; quia nata est tota ad movendos affectus, quod præstatur vulgo in Peroratione.

*Quid est Optatio?*

*R.* Est Figura, qua Orator vehementer aliquod desiderium significat, ut 5. Ver. n. 81. *Unus adhuc fuit, post Romam conditam (Dii faxint, ne sit alter) cui Respublica tota se tradidit, temporibus coacta, malis domesticis, L. Sylla.*

Et pro Lege Manil. n. 27. *Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium tantam copiam haberetis, ut hæc vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello præficiendum haberetis!*

Et pro Rab. Perd. n. 18. *Utinam hanc mihi facultatem causa concederet, ut possem prædicare, C. Rabirii manu L. Saturninum hostem Populi Romani interfectum.*

Valet hæc Figura plurimum ad spem, dolorem, timorem et amorem significandum. Sed frequentius usurpatur apud Poetas, quam apud Oratores.

*Quid est Execratio et Imprecatio?*

*R.* Est Figura, qua Orator malum alicui imprecatur, ut 6. Phil. n. 12.

*Igitur*

*Igitur est Patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem; clamori enim vestro assentior; non modo hic latro, quem clientem habere nemo velit, sed quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se Populi Romani victoris, dominique omnium tutorem dicere auderet?*

Et Phil. 13. n. 48. *Quin tu abi in malam pestem malumque cruciatum! ad te quinam veniat nisi Ventidii similis?*

Valet hæc Figura ad significandum odium et indignationem: sed usurpatur illa rarius ab Oratoribus, quam a Poetis.

*Quid est Epiphonema, seu Acclamatio?*

*R.* Est species quædam Exclamationis, qua Orator rei narratæ vel probatæ pronunciatum aliquod, instar coronidis subjicit ex superioribus expressum. Ita Tullius pro Sextio n. 86. postquam docuit, oportere legibus ac judiciis vitam tueri; quod si fieri non potest, vim vi propulsandam, subdit: *Hoc sentire, prudentiæ; facere, fortitudinis; sentire vero et facere, perfectæ cumulatæque virtutis.*

Ita pro Milone n. 9. postquam laudavit adolescentis cujusdam pudicitiam, qui Tribunum Militarem Imperatoris propinquum sibi vim inferentem interfecerat, hoc addit, *Facere probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit.*

Sic et Paradoxo 1. cum parsimoniam multis extulit laudibus, concludit: *Dii immortales! non intelligunt homines, quam magnam vectigal sit Parsimonia!*

Egre-

Egregia est etiam illa Acclamatio Ciceroniana 5. Ver. n. 176. ubi cum probasset, missum Romam a Verre frumentum fuisse Siculorum pecunia emptum, cum ipse pecuniam publicam impune sibi servasset, hæc adjicit: *O consuetudo peccandi, quantam habes jucunditatem in improbis et audacibus, cum pœna abfuit, et licentia consecuta est!*

Et Ver. 6. n. 8. *Sed quid ego tam vehementer invehor? verbo jam uno repellar; Emi, inquit, o Dii immortales præclaram defensionem! Mercatorem cum imperio ac securibus in Provinciam misimus!*

Aliud exemplum sufficit Orat. in Pison. n. 93. Loquens de Militibus, qui non invento Pisone, quem interficere volebant, deturbarant ac comminuerant ipsius statuam: ait: *Sic odium, quod in ipsum attulerant, in ejus imaginem ac simulacrum profuderunt.*

Usurpatur autem hæc Figura, præsertim in rebus, quæ sunt admiratione digna, ad commendationem vel commiserationem excitandam.

*Quid est Exclamatio?*

*R.* Est Figura, qua Orator vehementem aliquem affectum significat, cujuscumque tandem generis ille sit.

Nihil tam obvium apud Ciceronem, quam hæc Figura; quare satis habebimus, illustriora quædam illius exempla tantum designare.

Pro Rosc. Amer. n. 146. *Per Deos immortales! Quæ ista tanta crudelitas est? quæ*

*quæ tam fera immanis natura? quis unquam prædo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, ut cum integram prædam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet?*

Pro Cluent. n. 19. *O mulieris scelus incredibile, et præter hanc unam in omni vita inauditam! O libidinem effrænatam, et indomitam! O audaciam singularem! non timuisse, si minus vim Deorum, hominumque famam, at illam ipsam noctem, facesque illas nuptiales, etc.*

1. Catil. n. 9. *O Dii immortales ubinam gentium sumus? quam Rempub. habemus? in qua urbe vivimus?*

Pro Flacco n. 102. *O nox illa, quæ pene æternas huic urbi tenebras attulisti, cum Galli ad bellum, Catilina ad urbem, conjurati ad ferrum et flammam vocabantur! *** O Nonæ illæ Decembres, quæ me Consule fuistis; quem ego diem vere natalem hujus urbis aut certe salutarem appellare possum! O nox illa, quam iste est dies consecutus; fausta urbi miserum me! metuo ne funesta nobis!*

Habes alia hujus Figuræ exempla 5. Ver. n. 137. 6. Ver. n. 146. Pro Cluent. n. 48. Pro Sylla n. 91. Pro Sextio n. 27. Pro Cœlio n. 59. 71. In Pison. n. 41. Pro Milone 104. et 105. 2. Phil. n. 16. 54. 68. 8. Phil. n. 23. 29. 10. Phil. n. 8. 11. Phil. n. 8.

Interdum est Exclamatio Ironica, et tunc magnum leporem habet. In Pisonem n. 58.

*Non*

*Non est integrum Cn. Pompejo, consilio jam uti tuo, erravit enim; non gustarat istam tuam Philosophiam. Ter jam homo stultus triumpharit. Crasse, pudet me tui! quid est, quod confecto formidolosissimo bello coronam illam lauream tibi decerni volueris a Senatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curi, P. Africane, cur non hunc audistis, tam doctum hominem, tam eruditum, priusquam in istum errorem induceremini! *** O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos, o amentem Paulum; rusticum Marium, nullius consilii patres istorum amborum Consulum, qui triumpharunt!*

Et pro Balbo n. 20. *O præclarum Interpretem Juris, Auctorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem nostræ civitatis; qui hanc pœnam fœderatis adscribit, ut omnium præmiorum, beneficiorumque nostrorum faciat expertes fœderatos!*

Item 3. Philip. n. 27. *O Cai Cæsar! (adolescentem appello) quam tu salutem Reip. attulisti, quam improvisam, quam repentinam! qui enim hæc fugiens fecerit, quid faceret insequens? etenim dixerat, se custodem futurum urbis, usque ad calendas Majas ad urbem exercitum habiturum. O præclarum custodem ovium! ut ajunt, Lupum! Custos ne urbis, an direptor et vexator esset Antonius?*

Et pro Cluent n. 108. *O innocentiam Opinati singularem! quo in reo, qui absolvit, ambi-*

*ambitiosus; qui distulit, cautus; qui condemnavit, constans existimatur.*

## EXERCITATIO.

*Per laudatas supra Figuras.*

Judas ad Fratres, ne perire Josephum in Cisterna patiantur.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Ab abrupto, petet ab ipsis, an non satis huc usque odiis indulserint, nisi ulterius iras promoveant.

Deinde ipsos deprecabitur, ne perire Josephum in Cisterna patiantur. Hæc autem erunt Deprecationis momenta. 1. Gravitas sceleris, quod nihilo inferius videri debeat, quam si manus fratris sanguine cruentassent. 2. Tenera pueri ætas, cui indulgeri aliquid possit. 3. Parentis dolor, cum peremptum fratrum scelere Josephum audiet, hic erit locus Exclamationi. 4. Judas ipse qui se Josephi patronum profitetur.

3. Epiphonema, quasi ipsos minime commoveri sentiret, dicet, tanti esse, assuevisse odiis et invidiæ!

4. Per Execrationem, funesta quæque ipsis comminabitur, nisi placidos sensus induant.

Denique per Optationem, orabit, ut Deus fratrum animos inflectat.

## ORATIO.

Actum est igitur, Fratres; peribit puer Josephus, neque ulla vos miseri fratris commiseratio duros atque intractabiles inflectet? Tamen

Tamen nondum ne satis veteribus odiis datum est? an non exsaturatus adhuc cupidus vindictæ, et invidiæ impotens animus? Placet ulterius iras persequi, ac nisi tetro in specu fame pereat infelix frater, quidquid admissum est hactenus, leve reputabitis? (*Exclamatio.*) Per Deum immortalem! quæ ista vestra crudelitas est? quæ tam fera immanisque natura? quis tantus fuerit odiorum furor, ut nisi fratris funere expleri nequeat? (*Deprecatio.*) Vos ego per quidquid sanctum vobis formidandumque est, oro atque obtestor, mentem a tanto flagitio reflectite, nisi forte expertes vos purosque sceleris arbitramini, quod puerum ipsi non peremistis? quod manus fraternas cæde abstinuistis? quod exhorruistis ad illud facinus, quod volentibus vobis ac jubentibus dira fames jam jam peraget? Sed quid ego hæc sentio? veteres simultatum causæ etiam animum pungunt et extimulant: reus est Josephus, aut talis certe vobis visus est: sit ita sane; nihil moror. At numquid pueri infelicis gemitus, amaræ doloris indices lacrymæ, terribilis ipse propinquæ mortis metus, quidquid peccatum ab eo est, totum non exsolvit? (*Deprecatio.*) Si tamen quidpiam adhuc luendum restat, id annis, precor, indulgete, quod sceleri deberetur. Nolite, quæso, committere, ut fratrum invidia cecidisse Iosephum parens mihi vobisque amantissimus audiat. (*Exclamatio.*) O pater! infelix pater! quo sensu ferale nuncium accipies? quo vultu cruentam filii tunicam intuebere? quis erit doloris aut lacrymarum modus, quoties tuo te Josephio orba-

orbatum memineris? filios in tanto scelere agnosces tuos? Et me, fratres, precantem rejicietis? (*Deprecatio*) nihil poterit apud vos infelix Judas? Ah! sinite potius, vestrum furorem exarmet. Si nulli vos gemitus movent, nullæ lacrymæ placare possunt, vestrum et in me furorem acuite, condite me horrendo in specu, et ærumnosam hic finire vitam cum fratre charissimo permittite.

(*Epiphonema.*) Siletis? conticescitis? nemo vestrum respondet? Ita ne vos mulceri vel inflecti pigeat? Tanti est, Fratres, assuevisse malis odiis, et impotentis invidiæ stimulis paruisse! Tamen, nisi meliores sensus indultis, nisi æquiores vos Josepho fratri præstatis, nisi me bene monentem et ad saniora flectentem auditis, pertimescite, Fratres, debitas parricidis pœnas. (*Exclamatio et Comminatio.*) Est aliquis Cœlo Deus; is admitti scelus prohibet, et admissum graviter plectit! Erit, erit, ne dubitate, dies illa, cum me precantem sprevisse vos pœniteat, cum ademptum fratrem Josephum lugebitis, cum imminens capitibus vestris periculum declinare nequicquam conabimini.

(*Optatio.*) At tu, supreme rerum omnium arbiter ac moderator Deus, qui solo voluntatis tuæ nutu mortalium animos quamcumque in partem moves ac flectis, utinam talem a fratribus perniciem avertas! utinam mutata per te studia in contrarium se se ad servandum innocentem puerum convortant, et quod nullæ hactenus preces exorarunt, id tuum benignius aspirans Numen efficiat?

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

Per easdem Figuras.

Marcus Tullius Cicero Marci Tullii Ciceronis Filius, post interfectum ab Antonio parentem suum ad Cæsarem Augustum.

### *SYNOPSIS.*

Primo per Deprecationem obsecrabit Cæsarem, ut pro clementia succurrat miseris, pro fortitudine resistat improbis, pro æquitate scelus puniat.

2. Per Optationem dicet, utinam loqui posset ipse Cicero! quamquam truncum cadaver et muta lingua loquitur.

3. Per Execrationem, Dii te perdant, Antoni, qui cultorem Deorum, innocentiæ patronum occidisti! involet in te Resp. cui defensorem eripuisti! etc.

4. Per Epiphonema, ergo triumphabit sicarius? gement boni? Cæsare vindice.

Denique per Exclamationem, O gloriosum te, Cæsar, si defensor Ciceronis extiteris, O miseram ætatem nostram, si scelus impunitum viderit!

### ORATIO.

Periit infelix Tullius, periit. Auguste Cæsar, et devota jam pridem Antonii furoribus victima per summum nefas occubuit. Quid agam parente orbatus amantissimo? cujus implorabo præsidium in hoc rerum mearum discrimine; nisi me, Cæsar, miseri parentis infortunatam sobolem a cruentis scelesti parricidæ manibus vindices?

Per

Per ego te oro hanc dexteram, quam perditis ac jacentibus toties porrexisti; per singularem clementiam, quam vel reis ac nocentibus ultro ac volens impendis; (*Deprecatio.*) per illam fortitudinem atque constantiam, qua nefarios improborum civium impetus contundis ac coerces; per summam æquitatem, qua prohibes scelus ac plectis, afflictam innocentiam tuere, reprime infandi proditoris audaciam, et grassantem impune optimorum civium in vitam vim ac furorem meritis, ut par est, pœnis ulciscere. Sentiat extinctus pater aliquam humanitatis illius partem, quam ipse afflictis civibus, dum viveret, exoravit.

Atque utinam loqui posset pro se ipse, qui nemini misero vocem unquam abnuit! (*Optatio*) utinam illi fas esset suam apud te causam tueri, qui tam multorum, quos præsentes hic intueor, patrocinium tam feliciter suscepit!

Quanquam, quid Ciceronis vocem requiro, ubi truncum ejusdem cadaver loquitur satis? (*Execratio*) ubi muta perorat lingua, et Antonii flagitium ac nequitiam disertissime coarguit? Dii te perdant, sceleratissime parricida, qui cultorem Deorum impensissimum, innocentiæ patronum, desertæ virtutis ultorem ac vindicem occidisti! involet in te Respublica, cui studiosissimum defensorem, custodem vigilantissimum, parentem amantissimum eripuisti! insurgat in te Cæsar ipse, neque a flagitioso capite sacras manus abstineat! Ignosce, Cæsar, si vehementius loquar, quam Majestas tua patitur. At quis esse possit

possit expostulandi modus; ubi nullum sceleris modum Antonius fecit? Tuum est, Cæsar, frænare præcipitem audaciam: Tuum est, sanctissimarum legum præsidio coercere improbitatem, et quam tanti flagitii atrocitas postulat, vindictam exercere.

(*Epiphonema.*) Nempe triumpharet sicarius? volitaret impune totam per urbem? gemerent frustra boni, aut infamem parricidam plecti nequicquam postularent, Cæsare teste ac vindice?

(*Exclamatio.*) O gloriosum te, Cæsar, si perempti Ciceronis ultor extiteris! o miseram ætatem hanc nostram, si tantum scelus videret impunitum! o miseros, quotquot sunt, cives bonos, nisi parricidarum supplicio certum sibi adversus improbitatem patrocinium gratulari possent!

## ARTICULUS IX.

### De usu Figurarum.

1. Figurarum usus debet esse parcus et moderatus, ne crebra hujusmodi ornamentorum usurpatio tædium generet, aut puerilitatem redoleat. Distinguendum tamen est duplex Figurarum genus; primum earum, quæ tantum ornatum præ se non ferunt, quales sunt Interrogationes, Apostrophæ, Distributiones, etc. Alterum earum est, quas studiosius Oratoris industria persequitur, quales sunt Complexiones, Antitheses, Hypotyposes, Prosopopœjæ, etc.

2. Primarum quidem usus frequentior esse potest; nihil enim apud Tullium crebrum

magis, quam Interrogationes, Repetitiones, Distributiones, etc. quæ latentem magis ornatum habent. Quod vero spectat ad secundi generis Figuras, illæ nimirum sunt, quarum usus frequentior parere fastidium posset.

3. Nonnullæ Figuræ sunt, quæ adhiberi possunt in omnibus Orationis partibus, ut sunt Distributiones, Communicationes, Apostrophæ, etc. Aliæ vero, quæ singularum partium propriæ sunt. Quæ ad dicendum valent, pertinent ad Exordium: quæ ad delectandum, ad Confirmationem et Confutationem: quæ ad movendum, ad Perorationem, quæ tamen non ita scrupulose intelligenda sunt, ut non liceat aliquando ordinem hunc immutare.

4. Quædam Figuræ sunt, quæ statim initio usurpantur, ut Interrogationes, Apostrophæ, Distributiones, etc. Nonnullæ vero aliquam veluti præparationem requirunt, ut sunt Exclamationes, quæ non usurpantur, nisi post explicatas res graviores; Hypotyposes, Prosopopœjæ et similes, quas obsurdum esset statim ab initio alicujus Orationis vel Capitis adhibere.

5. Figuræ verborum sunt hujusmodi, ut plus afferre tædii Orationi possint, quam Figuræ sententiarum, si illæ crebrius usurparentur.

Denique nulla re magis potest de Figurarum usu judicari, quam frequenti Ciceronis lectione, qui Figuras suis quibusque locis sic accommodat, ut ad eadem pertractanda facta quodam modo videantur.

LIBER

# LIBER TERTIUS.

## DE VI ORATORIS, SEU DE INVENTIONE.

### CAPUT PRIMUM.

Hactenus egimus de Elocutione Oratoria, de ejusdem Amplificatione, de Ornatu sive de Figuris; nunc agendum nobis de Inventione et Probationibus, sine quibus, ut ait Cicero, Elocutio inanis est, ac pene puerilis.

*Quid Inventionis nomine intelligitur, in qua vis Oratoris præcipua est?*

*R.* Inventio est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quæ valeant tam ad faciendam fidem, quam ad motus animorum excitandos. Argumentis utuntur Rhetores ad faciendam fidem, amplificatione ad motus excitandos.

*Quid est Argumentum?*

*R.* Est probabile inventum ad faciendam fidem.

*Quid est Argumentatio?*

*R.* Est argumenti ipsius fusior explicatio.

*Unde quærenda sunt Argumenta?*

*R.* Ex locis Oratoriis, quorum duplex est genus; alii qui ex ipsa re ejusque quasi visceribus educuntur, et propterea appellantur insiti seu intrinsecus petiti; alii qui aliunde eruuntur, et nominantur extrinsecus accersiti.

*Quot sunt Loci Oratorii in ipsa re insiti?*

*R.* Sexdecim, Definitio, Enumeratio Partium, Notatio nominis, Conjugata, Genus, Forma,

Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Causæ, Effecta, Comparatio.

*Quot sunt Loci extra rem positi?*

*R.* Sex. Præjudicia, Fama, Tabulæ, jusjurandum, Tormenta, Testes.

Huc etiam pertinent Historiæ, Fabulæ, Leges, Sententiæ veterum, et similia; de quibus antequam agamus, res videtur exemplo demonstranda.

## CAPUT II.

### De Ratione eruendi ex Locis Oratoriis Argumenta.

Sit illud Oratori Forensi propositum, ut de Jurisprudentia ac Justitia dicat; ita Locos Oratorios alios post alios pervestigare poterit.

Locus a Definitione segetem uberem materiemque dicendi suppeditabit. Justitia enim est regnorum et imperiorum moderatrix, expultrix scelerum, virtutum conciliatrix, pacis alumna, concordiæ parens, etc.

Enumeratio partium subjiciet singulos regni ordines, quibus justitia prodest, Regibus ad dignitatem, nobilibus ad splendorem, civibus ad concordiam, populis ad matuam societatem, improbis ad frænum, militibus ad obedientiam, omnibus ad felicitatem.

Notatio nominis hæc est: Justitia dicitur, quod jus suum cuique tribuat.

Conjugata. Qui justitia præditus est, justus ille dicitur, justeque Rempublicam administrat.

Genus.

Genus. Si ostendas, justitiam complecti cæterarum virtutum dotes et ornamenta.

Species. Cum justitiæ ipsius, quatenus singularis virtus est, laudes persequeris, seu qua mentem et voluntatem in bono dirigit, seu qua Deum ipsum, proximum, nosmetipsos spectat.

Causæ. Deum auctorem habet justitia, cui similem facit hominem, qui imago est Divinitatis: ipsa etiam orbis perfectio est, cujus ad bonum tota dirigitur.

Effecta. Sunt ea quæ ex justitia derivantur, pax, tranquillitas civium, pietas, Religionis cultus, vitiorum extinctio, procreatio virtutum, et alia similia.

Antecedentia. Complectuntur ea naturæ præsidia et disciplinarum subsidia, quæ ad Jurisprudentiæ cognitionem, justitiæque professionem requiruntur.

Consequentia. Vel coincidunt cum effectis, vel continent laudes, quibus ille dignus est, qui hac utraque facultate præstat.

Adjuncta. Sunt ea, quæ cum Jurisprudentia societatem habent individuam, veluti studia Philosophiæ, Historiarum, Legum, Exemplorum, et totius antiquitatis notitia.

Repugnantia. Quomodo fieri potest, ut vir legum omnium scientiæ studens, aut earum cognitione præditus, obnoxius sit communibus vitiis, ut otio, vitæ molliori et aliis.

Similitudo. Talis institui potest. Justitia inter cæteras virtutes solis instar obtinet: atque ut solis præsentia nimbos dissipat, sedat tempestates, campis segetes, arboribus fructus, herbis viriditatem parit, orbemque uni-

universum efficit lætiorem; ita justitia imperiis tranquillitatem, pacem rebus publicis conciliat, etc.

Dissimilitudo. Ut gentes, quibus justitia non illuxit, feram traducunt et agrestem vitam, ita e contrario, qui hanc præcipuo studio colunt, cæteris humanitate prestant.

Comparatio. Si Fortitudo, Prudentia, cæteræque virtutes tot laudibus dignæ sunt atque præconiis, quarum est privato cujusque bono consulere: quid Justitia, quæ ipsum omnium commune bonum spectat omnium utilitatibus prospicit, etc.

Contraria. Jurisprudentia hominum socordiam excutit, tollit literarum contemptum. Justitia vero scelera, dolos, fraudes, rapinas expellit; nonne ergo utraque laudanda?

Similiter a Locis extrinsecus petitis seu remotis erui possunt argumenta, quibus eadem res confirmetur. Et quidem non inepte Forensis Orator Orationem incipiet ab auctoritate Legislatoris alicujus, aut Philosophi, aut Oratoris. Item Militaris Orator ab exemplo et dicto alicujus egregii Ducis, puta, Cæsaris; Orator Christianus ab auctoritate sanctorum Patrum. Huc adde Proverbia, Parabolas, Apologos, Historias et similia. Notandum est autem non esse necesse, Locos omnes ita scrupulose investigare, sed eos tantum, qui præstantiora argumenta sufficient.

## CAPUT III.

### Locus a Definitione. Regulæ Artis.

*Quid est Definitio?*

*R.*

*R.* Est Oratio explicans naturam rei. Fusius a Cicerone 2. de Orat. discribitur: *Definitio est earum rerum, quæ sunt ejus rei propriæ, quam definire volumus, brevis et circumscripta explicatio.*

*Quomodo fit Definitio?*

*R.* Accipiendo aliquid illi rei, quæ definitur, quod sit commune cum aliis, idque vocatur a Philosophis *Genus:* deinde sumendo aliquid quod sit eidem peculiare ac proprium, idque ab iisdem Philosophis *Differentia* nuncupatur. Sic Rhetorica definitur Ars bene dicendi; Ars *Genus* est, quia est hoc illi commune cum Grammatica, cum Poesi, cum Pictura et cæteris Artibus; bene vero dicere est illius *Differentia*, quia hoc proprium habet ac suum.

*Quomodo probares a Definitione utilem esse Rhetoricam?*

*R.* Hoc modo. Ars bene dicendi est utilis, sed Rhetorica est Ars bene dicendi, ergo Rhetorica est utilis.

*Quotuplex est apud Oratores Definitionis genus?*

*R.* Multiplex. Nam sæpe usurpant illi rei descriptionem pro accurata illius Definitione; idque faciunt:

Primo, Per enumerationem Partium vel Adjunctorum, vel per Hypotyposim; ut si definire velles hominem improbum, describeres caput illius torvum nescio quid præ se ferens, oculos flagitium spirantes, manus ad rapinam incurvas; totum denique corporis habitum respice, quid aliud præ se fert præter improbitatem?

Habes

Habes exempla Definitionis apud Ciceronem 1. Philip. num. 29. Ita definit gloriam: *Ea est laus recte factorum, magnorumque in Repub. meritorum, quæ cum optimi cujusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur.* Quæ definitio descriptio potius, quam accurata definitio dicenda est.

Et 2. Phil. 2. 113. ita pacem definit et servitutem: *Pax est tranquilla libertas, servitus malorum omnium postremum, non modo bello, sed morte etiam repellendum.*

Et 11. Phil. n. 28. ita definit Legem: *Est Lex nihil aliud, nisi recta, et a Numine Deorum tractata ratio, imperans honesta, prohibens contraria.*

Et in Pisonem pœnam et supplicium ita definit: *Quæ est igitur pœna? quod supplicium? Id mea sententia, quod accidere nemini potest nisi nocenti. Suscepta fraus, impedita et oppressa mens consientia, bonorum omnium odium, nota justi senatus, amissio dignitatis.*

In Oratione autem pro Sextio num. 97. ita optimates describit aut definit per Enumerationem: *Quis ergo optimus est iste? quis? De numero si quæris, innumerabiles: neque enim aliter stare possemus; sunt principes consilii publici; sunt, qui eorum sectam sequuntur, sunt maximorum ordit num homines, quibus patet curia, sunt municipales, rusticique Romani; sunt negotia gerentes; sunt etiam libertini optimates; numerus, ut dixi, hujus generis late et varie diffusus est, sed genus ipsum, ut tollatur error, brevi circumscribi et definiri*

*niri potest. Omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti.*

Secundo. Definitio fit per similitudinem et comparationem. Ita describeres hominis perturbati et immoderati animum: Est instar plateæ publicæ, ubi perpetuus clamantium strepitus, et voces inconditæ audiuntur; ubi omnia disjecta ac dissipata; ubi rixæ et jurgia. Est mare turbidum, ventis jactatum et procellis.

Contra, conscientiam bonam definire quis potest per Similitudinem, hortum deliciarum, thesaurum gazis Regum omnium ditiorem, aulam divini Numinis. Hæc porro Definitio, quia levioris est efficaciæ ad persuadendum, aut permovendum, rarius ab Oratoribus debet usurpari.

Tertio. Definitio fit per Congeriem multorum nominum, ex quibus in rei cognitionem facilius devenimus. Ita Cicero lib. 5. Tusculanarum Quæstionum sic Philosophiam definit: *O vitæ Philosophia dux, indagatrix virtutum, vitiorum expultrix, mater omnium Artium, quid est aliud, ut ait Plato, nisi Deorum inventum?*

Et pro Milone num. 90. ita Curiam definit per Congeriem: *Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, caput omnium gentium, sedem ab universo Populo Romano concessam uni Ordini, inflammari, exscindi, funestari?*

Item

Item pro Plancio n 70. Opimii calamitatem ita per Congeriem difinit: *Opimii quidem calamitas utinam ex hominum memoria avelli posset. Vulnus illud Reipublicæ, dedecus hujus imperii, turpitudo Populi Rom. non judicium putandum est.*

Sic egregie pariter Historiam definit Cicero lib 2. de Oratore n. 36. *Historia vero testis temporum, lux veritatis, vitæ memoria, magistra vitæ, nuntia vetustatis, qua voce alia, nisi Oratoris, immortalitati commendatur?*

Quarto. Traditur Definitio rei per causas, quando exprimitur rei natura per eas res, a quibus habet ut sit, et talis sit. Ita Cicero lib. 1. de Legibus num. 64. Hominem definit a ratione quæ est ipsius *causa formalis*, ut ajunt Philosophi: *Animal hoc providum ac sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum est a supremo Deo. Solus est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cognitionis, cum cætera sint omnia expertia.*

Eodem pertinet illa hominis definitio ex Seneca Epist 76. *Omnia bono suo constant. Vitam fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorso jumenta sint, quæris? quia eorum hic unus est sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras: cursus, si consequi; audacia, si mordere et invadere Id in unoquoque optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum*

*quid*

*quid est? Ratio. Hac antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est: cætera illi cum animalibus satisque communia sunt. Valet? et Leones. Formosus est? et Pavones. Veloæ est? et Equi: Non dico in his omnibus vincitur. Non quæro, quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? et arbores. Habet impetum et motum voluntarium? et bestiæ, et vermes. Habet vocem? sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciotem, mobilioremque luciniæ? Quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta et consummata felicitatem hominis implevit.*

Sic a Causis simul omnibus definiri homo posset: Animal a Deo supremo rerum opifice conditum, ex corpore mortali quidem conflatum, sed animo constans immortali, et ad divinæ naturæ similitudinem expresso: denique ad perfruendas æternæ vitæ delicias destinatum.

Quinto. Fit etiam Definitio per Effecta, et hic definiendi modus apud Oratores frequentior, quia notiora solent per Effecta, quam Causæ; cum res designatur per ea, quæ ab ipsa procedunt.

Ita Cicero virum bonum definit ab Effectis pro Cæcina n. 78. *Vereor de tali viro ne plus dicam, quam vos aut sentiatis, aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc dicam, nunquam ejus auctoritatem nimium valere; cujus prudentiam Populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perspexerit; qui Juris Civilis ratio-*

*rationem nunquam ab æquitate sejunxerit; qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam Populo Romano promptam, expositamque præbuerit, qui ita bonus et justus vir est, ut natura, non disciplina consultus esse videatur; ita peritus ac prudens, ut ex Jure civili non scientia solum quædam, verum etiam bonitas nota videatur; cujus tantum est ingenium, ita prompta fides, ut, quidquid inde haurias, purum liquidumque te haurire sentias.*

Ita bellum crudele, quod intulerat Antonius, describit per Effecta, 14. Philip. n. 8. *Bellum inexpiabile infert quatuor Consulibus unus omnium latronum teterrimus. Gerit idem bellum cum Senatu, Populoque Romano. Omnibus, quamquàm ruit ipse suis cladibus, pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta denuntiat. ... Refugit animus, P. C. atque formidat dicere, quæ Antonius in Parmensium liberis et conjugibus effecerit; quas enim turpitudines Antonii libenter subjerunt, easdem lætantur et per vim aliis se intulisse. Sed vis calamitosa est, quam illis intulerunt, libido flagitiosa, qua Antoniorum oblita est vita... Recordamini per Deos iumortales, P. C. quid hoc biduo timuerimus a domesticis hostibus, rumoribus improbissimis dissipatis. Quis liberos, quis conjugem aspicere poterat sine fletu? quis domum? quis tecta? quis Larem familiarem? Jam aut fœdissimam mortem omnes, aut miserabilem fugam cogitabant. Hæc a quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus? Gravius si quis attu-*

*attulerit nomen, libenter assentiar; hoc vulgari contentus vix sum, leviore non utar.*

Et Oratione pro Plancio num. 9. ingenium populi definit ab iis, quæ facere soleret in Comitiis.

Similiter Phil. 8. num. 22. Calenum arguit, qui pacem optaret, definiendo per Effecta pacem illam, cujus studium præ se ferebat. *Quid tu, Calene, servitutem pacem vocas? Majores quidem nostri non modo ut liberi essent, sed etiam ut imperarent, arma capiebant; at tu abjicienda arma censes, ut serviamus?*

Eleganter definit ab Effectis, quid sit sustinere pœnam a Diis immortalibus, de Haruspicum responsis n. 39. *A Diis quidem immortalibus quæ major esse potest homini pœna, furore atque dementia?* Legendus hic Locus.

Denique celebratur imprimis apud Rhetores illa Definitio, quæ fit per Negationem et Affirmationem; ita nimirum, ut Orator primo quidem dicat, quid res ipsa non sit, deinde quid sit ipsa; adjecta interdum Ironia post Negationem.

Ita Cicero in Pisonem n. 23. et 24. probat Pisonem non fuisse Consulem, definiendo Consulatum, quem negat esse positum in lictoribus, in toga, sed in consilio cæterisque virtutibus. *Tu etiam mentionem facies Consulatus tui; aut te fuisse Romæ Consulem dicere audebis? Quid? tu in lictoribus, in toga, in prætexta esse Consulatum putas? quæ ornamenta etiam in*

*Sext. Clodio te Consule esse voluisti. Hujus tu Clodiani canis insignis Consulatum declarari putas? Animo Consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere Consulatus, etc.*

Et Oratione pro Domo sua n. 89. Populum Romanum definit, tum remotis iis quæ abhorrent a populi Romani dignitate, tum eorum affirmatione, quæ huic dignitati conveniunt. *An tu Populum Romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducantur, qui impelluntur, ut vim afferant Magistratibus, ut obsideant Senatum, optent quotidie cædem, incendia, rapinas? Quem tu tandem populum nisi clausis tabernis frequentare non poteras? cui populo duces Lentidios, Lollios, Sergios præfeceras? O speciem, dignitatemque Populi Romani, quam Reges, quam Nationes exteræ, quam gentes ultimæ pertimescunt, multitudinem ex servis conductis, ex facinorosis, ex egentibus congregatam! Illa fuit pulchritudo Populi Romani, illa forma in campo vidisti, tum cum etiam tibi contra Senatus totiusque Italiæ auctoritatem et studium dicendi potestas fuit. Ille, ille populus est dominus regum, victor atque imperator omnium gentium, quem illo clarissimo die, scelerate, vidisti, tum cum omnes principes civitatis, omnes ordinum atque ætatum omnium suffragium se, non de civis, sed de civitatis salute ferre censebant: cum denique homines in campum non tabernis, sed municipiis clausis venerunt.*

Item

Item laudata jam paulo ante n. 97. Oratione pro Sextio, definit Optimates, dicendo quid non, et quid sint, ab his verbis. *Quis ergo optimus est iste, etc.*

Et Orationis ejusdem, n. 17. probat, nec Pisonem, nec Gabinium fuisse Consules, per viam Negationis describendo utriusque mores per elegantem Hypotyposim et Ethopœjam ab his verbis: *Sed fuit profecto quædam illa Reipublicæ fortuna fatalis, etc.*

Similiter 2. in Rullum n. 10. definit per Negationem, quid sit popularе, ab his verbis: *Neque vero illa popularia sunt existimanda, etc.*

Phil. 3. num. 12. per viam affirmationis et Negationis definit, quid sit esse Consulem, et negat Antonium debuisse Consulem reputari, ex quo nudus et ebrius concionatus esset, ab his verbis: *Nec vero M. Antonium Consulem post Lupercalia putare debuistis, etc.*

Et in Pison. numero jam laudato 43. definit, quid pœna sit, et quid non sit, ab his verbis: *Quid est igitur pœna, etc.*

## EXERCITATIO.

### *Definitio per Similitudinem.*

Tanto suavius bonæ conscientiæ testimonium, quanto acerbior malæ stimulus.

## *SYNOPSIS.*

*Exord. et Prop.* Constabunt sola explicatione et dilatatione ipsius Propositionis.

*Con-*

*Confirmatio.* Petetur 1. a definitione bonæ conscientiæ per varias Similitudines seu comparationes ductas a tranquillo mari, agro fertilissimo, domo splendida et ornata. 2. A Definitione malæ conscientiæ per contrarias Similitudines: dicendo illam esse instar plateæ publicæ, agitati maris tempestatibus, Inferorum carceris, etc.

*Conclusio.* Quis ergo alteram alteri præferendam non putet?

## ORATIO.

Ut est nemo omnium, quantum est, qui vivunt, si quid modo humanum sapiat, qui beatas pacis ac tranquillitatis delicias miseris perturbationum ac turbarum motibus anteponendas non judicat; ita nullum reperias tam ferum, tam barbarum, tam expertem omnis humanitatis, qui bonæ conscientiæ suavitates, malæ conscientiæ molestiis potiores esse non fateatur.

Agite vero quid usquam est rerum omnium, quod altissimæ pacis imaginem felicius adumbret, quam bonæ conscientiæ facies? Diceres illam esse mare quoddam pacatum semper ac tranquillum, unde cupiditatum insani fluctus, inordinatæ mentis tempestates, et graves perturbati animi procellæ longius exulant. Illam crederes agro fertili simillimam, quem suavissimis virtutum omnium floribus ubique consitum, nulla vitiorum inimica vis unduam temeravit. (*Definitio per Similitudines.*) Intueri putes claram domum ac splendidam, in qua nihil non ornatum, nihil non compositum, recteque ordinatum se offert:

offert: ubi confusio rerum nulla, nullus tumultus, nullæ agitationes; sed quies secura, pax summa, æterna tranquillitas, felicissimum domicilium defixere.

Nunc vero, si quis funestissimam cruenti belli speciem videre velit, flectat oculos contrariam in partem, et hominis nequissimi conscientiam diligenter consideret. An non illa se objiciet animo instar plateæ cujusdam publicæ, qua permeantes perpetuo per apertos latosque aditus immoderati omnis generis affectus rixas, jurgia, contentiones, tumultus, bella singulis momentis excitant? An non exhibebitur oculi æstuans aliquid et effervescens terribilem in modum pelagus, in quo decertantes contrariis studiis, totidem instar concitatorum turbinum, gravissimi vitiorum motus tristissimas, in singulas horas, tempestates ac procellas commovent? An non delapsum te in ipsum Inferorum carcerem existimes, ubi nullus ordo, nulla concordia, nulla pars quietis, sed sempiternus horror, perpetua dissensio, æterna perturbatio sedem posuere?

Quis ergo tam parum amans pacis, tam perdite belli cupidus, qui non omni studio enitendum sibi putet, ut quanto cautius conscientiæ malæ vitabit acerbitatem, tanto acrius bonæ conscientiæ suavitatem consectetur?

---

EXER-

## EXERCITATIO.

*Definitio per Effecta et Enumerationem.*

Modestiam inter ceteras virtutes Adolescentis esse dignissimam.

## *SYNOPSIS.*

Hæc ipsa Propositio dilatata Exordio et Propositioni deserviet.

*Confirmatio.* Petetur a Definitione Modestiæ per effecta, descendetque Orator ad Enumerationem singularum corporis partium, quibus componendis Modestia præest, puta linguæ, vultus, oculorum totiusque hominis.

Deinde, dicet Modestiam non se tenere intra limites corporis fingendi, sed etiam informare animum; quod tractabit pariter per Definitionem Modestiæ ab effectis, quæ parit in animo; et versabitur in iisdem enumerandis: scilicet medetur iracundiæ, superbiæ, et aliis pravis animi motibus.

*Conclusio.* Quanto igitur studio sectari Modestiam Adolescentes debent?

## ORATIO.

Cum nihil Adolescentibus laudabilius esse solet, quam recta corporis et animi compositio quædam atque moderatio, tum certe ex eo facile quivis intelliget, quanto studio Adolescenti cuilibet expetenda Modestia sit, quæ in componendis moderandisque corporis atque animi partibus tota occupetur.

Agit enim, inter cæteras corporis animique dotes quænam Modestia potior, quænam Adolescente dignior? Est enim illa virtus,

quæ

quæ linguam frænat, ne elatius quam par sit, aut petulantius quid audeat: quæ vultum componit, et serenat oculos, ne quid superbum, aut lubricum præ se ferant: quæ risum moderatur, ne sit effusus nimis et procax. (*Definitio per Effecta et Enumerationem partium.*) Hæc occludit aures, ne improborum consiliis, sermonibusque pateant. Illa manus continet, ne sit gestus fractior aut inconcinnior. Eadem incessum dirigit, ne quid sit in eo molle, aut languidum, aut concitatum; sit vero gravis, constans et moderatus. Atque ut uno verbo omnia complectar, Modestia virtus est, quæ hominem ad urbanitatem, decorem humanitatemque totum fingit ac componit.

Neque vero intra corporis fingendi limites se continet, assurgit altius, animumque ipsum, ut et corpus, egregie conformat. Hæc est enim iracundiæ moderatrix, expultrix superbiæ, impolitiæ inimica, et vitiorum omnium, quæ humanitatem lædunt, pestis acerrima. Etenim si in animum insurgat vehemens et turbulenta cogitatio, adest continua Modestia, quæ grassantem ac luxuriantem compescat, refrænet, ac coerceat.

Quæ cum tôt ac tantæ sint Modestiæ dotes, quis est tam parum cupidus liberalis, rectæque institutionis Adolescens, qui in Modestia sic comparanda omnem suam curam atque operam bene collocatam non arbitretur?

EXER-

## EXERCITATIO.

*Definitio per Negationem et Affirmationem.*

Veram Nobilitatem in una Virtute esse positam.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet Orator, multos esse, qui Nobilitatis laude gloriantur, paucos, qui nobiles debeant appellari.

Rationem affert, quæ propositionem continebit, quia pauci sunt qui Virtutem colant, in qua vera Nobilitas posita est.

*Confirmatio* Petet illam 1. a Definitione Nobilitatis per Negationem, dicetque illam non esse positam in titulis, in stemmatis, in longa Majorum serie, etc. maxime si quis Nobilitatem flagitiis dedecoret. 2. A Definitione per Affirmationem demonstrabit, Nobilitatem a Virtute sola esse repetendam; enumerabitque virtutes viri nobilis proprias, puta patientiam in laboribus, in periculis fortitudinem, in adversis constantiam, in spernendis voluptatibus robur animi.

Concludet. Aut igitur colendam esse Virtutem, aut Nobilitatis laude non esse gloriandum.

## ORATIO.

Quam multi sunt hodie, qui rebus in suis numerandam putant Nobilitatis gloriam, et supra mortalium vulgus se se insolentius efferunt: tam sunt pauci, qui vindicare sibi laudem illam jure possint, et vel ipsam viri nobilis appellationem meruisse videantur.

Nam

Nam cum vacuum et inane nomen nemo peritus rerum æstimator Nobilitatem esse dixerit, neque eandem ullo ponendam in prætio arbitretur, nisi arctissimam habeat cum Virtute necessitudinem; tum certe quisquis ad ipsum nobilitatis decus aspirat, is frequentissimum virtutum omnium comitatum debet ante omnia præ se ferre.

Age enim, te te ipsum compello, qui superbo natalium fastu ferociter intumescis, et vanam magni nominis umbram ostentas, tamquam fecisses ipse aliquid, quamobrem tam præclaris ortus parentibus nascerere. Quam informasti animo nobilitatis speciem ac formam? Tune illam in speciosis titulis, in ambitioso stemmatum apparatu, in longa fumosarum imaginum serie, in illustribus virtutis avitæ monumentis, quæ palam jactas ad pompam, et ambitiosius circumfers, reponendam arbitraris? (*Definitio per Negationem*) dum ipsa partam a Majoribus gloriam flagitiorum sordibus degener nepos obscuras? dum titulos illos, quos illi virtutibus meruerunt, depravatis moribus inficis? dum magnum et insigne nomen, quod tulerunt, licentiosioris vitæ fama dedecoras? dum tot illustrium virorum modestiam insolente superbia, continentiam eorumdem levitate, diligentiam socordia, parsimoniam luxu, sobrietatem intemperantia, integritatem vitæ libidinibus, fortitudinem ignavia contaminas ac corrumpis?

Egregiam enimvero laudem et prædicandam ubique speciem nobilitatis quam venerentur in te Majores tui, et per tot nepotes

ad

ad te demum usque propagatam feliciter sibi gratulentur! Disce tandem ab iisdem illis Majoribus, quorum tu gloriam et illustria facinora prædicas magnificentius, quasi pertineret ex iis ad te quidpiam, disce, inquam, quæ porro virtutes nobilem efficiant. (*Definitio per Affirmationem.*) Ille nobilis est, quem in ferendis laboribus patientia, in adeundis periculis alacritas, in tolerandis adversis constantia, in spernendis voluptatibus robur animi, et in vincendis cupiditatibus fortitudo commendant. Per hos scilicet virtutum gradus Majores tui ad tantum gloriæ apicem pervenerunt. Tu quid fecisti? quid passus unquam gravius es; ut illustribus virtutum illarum monumentis superbires? Illi vigilias egerunt multas, summo mane castra et signa in hostem moverunt; tu multam in diem dormis otiosus. Illi gravissimas duræ militiæ asperitates pertulerunt; tu diffluentem deliciis ac voluptatibus vitam conteris. Illi inediæ incommoda sunt experti; tu conviviis ac comessationibus perpetuo indulges. Illi cum hoste manus sæpe conseruerunt; tu choreis ac spectaculis assistis.

Iesino ergo, nepos degener, numerare inter avos tuos clarissimos illos viros, quos ostentas; nomen illud abjice, quo gloriaris; inter vilioris plebeculæ quisquilias inglorius delitesce; aut certe ita vive deinceps, ut Majoribus tuis, et viri nobilis appellatione dignus videri possis.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

Per eumdem Locum.

Cinna ad Augustum Cæsarem, cum ab eodem conflatæ in ipsum conjurationis reus argueretur.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Fatebitur ultro Cinna illatæ accusationis crimen, neque dissimulabit insidias a se Augusto comparatas.

*Propositio.* Dicet sibi superesse unum in Cæsaris clementia præsidium, qui quocumque supplicio dignus videri debeat.

*Confirmatio.* Dicet nihil esse tam augustum tamque dignum Principe, quam injurias condonare. Tractabit rationem istam per Definitionem; et primo quidem per viam Negationis, dicendo Augustum nunquam posuisse dignitatem majestatemque Principis in vana ostentatione potentiæ, in debellandis hostibus, in vindicandis injuriis; aliam habuisse de Romani Imperatoris majestate opinionem. 2. Per viam Affirmationis contendet, existimasse Augustum, nihil esse viro Principi convenientius, quam bene mereri de omnibus, amicos fovere, parcere hostibus, injurias oblivisci, quam laudem hæreditariam a Cæsare parente acceperat.

Concludet rogando Augustum, ne a pristina gloria deflectat, sed potius novum cumulum adjiciat.

### ORATIO.

Quid dicam, Cæsar? aut potius quid tacendum non putem? Hinc admissi sceleris pudor

pudor ac dolor vocem præcludunt, inde singularis in proditorem humanitas stuporem ac silentium incusat. Conflatam a me tuum in caput conjurationem exprobras, factum revincis, aperis socios, totam insidiarum et nefandæ machinationis seriem pandis; an negare vel dissimulare crimen possim, si velim? an etiam, si possim, debeam excusare? Fatentem habes reum, Cæsar; et paratum ultro subire, quo statuere cumque placuerit. Nocentem plecte, nihil deprecor, nihil abnuo: non potes in me ferre sententiam tam gravem, quæ videri mitior pro facinoris atrocitate non debeat.

Quamquam, quem alloquor? et apud quem ago causam ingratus? Non hic accusatoris vel Judicis causam sustines; sed amicum, sed parentem agis. (*Definitio per Negationem.*) Tu quereris de me, at rem accusare parcis, sontem increpas, at eumdem non damnas. Agnosco dignam natalibus, dignam parente, dignam imperio indolem: agnosco mores humanissimi Principis, quem nemo hactenus offensum sensit, nemo vel inimicus non amicum expertus est. Scilicet numquam existimasti, Cæsar, dignitatem majestatemque Principis in ostentatione vanæ potentiæ, in vindicandis propriis injuriis, in fundendo inimicorum sanguine esse positam. Hi sensus olim et Marios, et Syllas, et Antonios decuerint, qui Romanorum civium sibi placebant in cæde, qui tyranni potius atque hostes patriæ, quam Imperii rectores, atque moderatores appellari meruerunt. (*Definitio per Affirmationem.*) At tu, qui huma-

humanitatem atque clementiam, qua te principem inter cæteros exhibes, laudem esse Principis viri potissimam semper reputasti, nihil tam providisti sedulo, quam ut propensam in omnes cives voluntatem testareris, amicos benevolentia foveres, æmulatores gloriæ tuæ, aut etiam inimicos beneficiis alliceres, injurias obliviscerere, et quam in Cajo Cæsare reliquas inter virtutes humanitatis gloriam suspexeras, ejusdem te locupletissimum ac munificentissimum hæredem Populo Rom. ostentares.

Igitur tuere, Cæsar, quam tibi jam apud omnes comparasti, benignitatis famam: memineris, quam multi servatos se a te fuisse glorientur. Indulge partem aliquam bonitatis illius infortunato Cinnæ, quem fortuna proditorem non fecit, nisi ut, vel immeritum dum absolveres, novus inde nomini tuo splendor, novum decus accederet.

## CAPUT IV.

### Locus ab Enumeratione Partium.

*Quid est Enumeratio Partium?*

*R.* Est Distributio totius in suas partes. Ut, virtus non est fugienda, ergo nec justitia, nec prudentia, nec temperantia, nec fortitudo, nec cæteræ virtutes fugiendæ sunt.

Hoc ipsum præstat Cicero, ubi per Enumerationem probat imperatorias virtutes esse in Pompejo, quas in scientiam rei militaris, fortitudinem, auctoritatem et felicitatem distribuit. Pro Lege Manil. n. 28. *Ego enim*

*sic existimo, in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior unquam fuit, aut esse debuit? etc.* Ubi singulas illas divisionis partes diligenti Enumeratione pertractat: scientiam quidem a bellorum multitudine quæ gesserat: virtutem, a testimonio multarum Provinciarum, quæ testes fuerunt illius virtutis. *Testis Italia, etc. Testis est Africa*, etc. n. 30. etc. Auctoritatem, a testimonio sociorum et hostium, quos recenset a n. 44. ad 47. Felicitatem denique a multitudine victoriarum, quas terra marique reportaverat n. 47.

*Quotuplex est Partium Enumeratio?*

*R.* Multiplex. Prima, cum distribuitur res in eas partes, ex quibus constat, ut cum homo in corpus et animam; animus in memoriam, intelligentiam, et voluntatem dividitur.

Ita Cicero in Pis. n. 53. probat, neminem venisse obviam Pisoni Romam redeunti, quia nec legati ejus, neque cives, neque amici veneran. *Confer nunc vicissim reditum tuum, quandoquidem, amisso exercitu, nihil incolume domum, præter os illud pristinum retulisti. Qui primum qua veneris cum laureatis tuis lictoribus, quis scit? Quos tum mæandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ diverticula, flexiones que quæsisti? Quod te municipium vidit? quis amicus invitavit? quis hospes aspexit? Nonne tibi nox erat pro die? Nonne solitudo pro frequentia? caupona pro oppido? non*

*non ut redire ex Macedonia nobilis Imperator, sed ut mortuus infamis referri videretur? Romam vero ipsam fœdavit adventus tuus *** quemadmodum venisti? Quis tibi non dicam horum, aut civium, aut cæterorum, sed tuorum legatorum obviam venit?*

Et Oratione post reditum ad Quirites num. 2. probat sibi omnia fuisse restituta, et vocem illam *omnia*, quæ totum est, in eas partes, quas continet, nempe liberos, fratrem, rem familiarem, amicitias, consuetudines, dignitates, eleganti Enumeratione distribuit. *Et si homini nihil magis est optandum, quam prospera, æquabilis perpetuaque fortuna, secundo vitæ sine ulla offensione cursu; tamen si mihi tranquilla et placata fuissent omnia, incredibili quadam et pene divina, qua nunc vestro beneficio fruor, lætitiæ voluptate caruissem. Quid dulcius hominum generi a natura datum, quam sui cuique liberi? mihi vero et propter indulgentiam meam, et propter excellens rerum ingenium, vita sunt mea chariores; tamen non tanta voluptate erant suscepti, quanta nunc restituti. Nihil cuiquam fuit jucundius, quam mihi meus frater; non tam id sentiebam, cum fruebar, quam tunc, cum carebam, et posteaquam vos me illi, et mihi eum reddidistis. Res familiaris sua quemque delectat: reliquæ meæ fortunæ recuperatæ plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumi afferebant. Amicitiæ, consuetudines, vicinitates, clientelæ, ludi denique et dies festi quid haberent*

*volu-*

*voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. Jam vero honos, dignitas, locus, ordo, beneficia vestra, quamquam mihi semper clarissima visa sunt, tamen ea nunc renovata, illustriora videntur, quam si obscurata non essent, etc.*

Et Oratione in Pisonem probat ipsum esse odio omnibus n. 64. *Senatus odit te *** videre Equites non possunt *** Pleps Romana perditum cupit *** Italia cuncta execratur, etc.* Item pro Domo sua n. 73. et Phil. 14. n. 34.

Secunda Enumerationis species, cum totum dividitur in eas partes, quas Philosophi *integrantes* vocant, v. g. cum corpus dividitur in caput, pedes, et brachia.

Revocari ad eam Enumerationis speciem locus hic potest Orat. in Pisonem n. 1. ubi singulas capitis ipsius partes enumerat et excutit. *Non enim nos color iste servilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hinc in errorem homines impulit.*

Tertia, cum genus dividitur in species suas, ut virtus, in prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam, quæ sunt quatuor virtutes, ut ajunt, *Cardinales.*

Habes exemplum illius Enumerationis Orat. pro Plancio n. 80. *Etenim, Judices, cum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam; tamen nihil est, quod malim, quam me et gratum esse et videri. Hæc est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater omnium virtutum reliquarum. Quid*

*est*

*est pietas, nisi voluntas grata in parentes? Qui sunt boni cives? Qui belli, qui domi de patria bene merentes; nisi qui patria beneficia meminerunt? Qui sancti, qui religionem colentes, nisi qui debitam Diis immortalibus gratiam, justis honoribus et memori mente persolvunt? Quæ potest esse jucunditas vitæ sublatis amicitiis? quæ porro amicitia potest esse inter ingratos? etc.*

Quarto fit etiam Enumeratio per Causas, Sic Cicero pro Domo sua remotione causarum, quas enumerat, ostendit, uno Ciceronis odio adductum fuisse Clodium, ut tam multa adversus ipsum moliretur, num. 69. *Quid enim vos uxor mea misera violarat, quam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate lacera vistis? Quid mea filia, cujus fletus assiduus sordesque lugubres, vobis erant jucunda, cæterorum omnium mentes oculosque flectebant? Quid parvus filius, quem quamdiu abfui, nemo nisi lacrymantem confectumque vidit? quid facerat, cum eum toties per insidias interficere voluistis? Quid frater meus, qui, cum aliquantum post meum discessum ex Provincia venisset, neque sibi vivendum, nisi me restituto, putaret, cum ejus mœror et squalor incredibilis et inauditus, omnibus mortalibus miserabilis videretur, quoties ex vestro ferro ac manibus est elapsus?*

Sic in Pisonem n. 41. probat, nihil scriptum a Pisone de Provincia ad Senatum, quia nihil erat quod scribi cum aliqua gratulatione posset. *Quid tandem erat actum aut gestum in Provincia, de quo ad Senatum*

*cum*

*cum aliqua gratulatione scribi abs te oporteret? an vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amissio? an sociorum direptio? an agrorum depopulatio? an obsessio militaris vitæ? an exercitus nostri interitus ferro, fame, frigore, pestilentia?*

Et 1. Catil. n. 13. probat nihil esse quod retinere Catilinam in urbe possit. *Quid enim est quod te jam in urbe delectare possit, etc.* Et Phil. 2. n. 2. removendo cæteras causas, propter quas ipsi infensus esset Antonius, probant hanc unam esse, quia nulla re alia efficacius demonstrare potuerat, se esse hostem Patriæ.

Quinto. Fit Enumeratio per Effecta. Ita Divin. in Verrem n. 38. enumerat quæcumque prave ac nequiter facta fuerant a Verre variis in Provinciis, in quibus nomine Populi Romani Magistratum egerat. *Putasne se posse, quæ C. Verres in Quæstura, quæ in Legatione, quæ in Prætura, quæ Romæ, quæ in Italia, quæ in Achaja, Asia, Pamphiliaque patrarit, ea, quemadmodum locis temporibusque divisa sint, sit criminibus et oratione distinguere? etc.*

Et 6. Verrina n. 1. omnia Verris furta enumerat: *Nego in Sicilia tota tam vetere, tam locuplete Provincia, tot oppidis, familiis ullum argenteum vas, ullum Corinthiacum, aut Deliacum fuisse: nego ullam gemmam aut margaritam fuisse, aut quidquam ex auro aut ex ebore factum, signum ullum marmoreum, eburneum: nego ullam picturam neque in tabulis, neque textilem fuisse, quin quæsierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit.* Et

Et n. 127. ejusdem Orationis enumerat omnia signa ac simulacra quæ rapuerat.

Sexto. Fit etiam Enumeratio per Congeriem. Ita Catil. 2. n. 7. per Congeriem scelera Catilinæ enumerat: *Quid enim mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod illa non conceperit? Quis tota Italia veneficus? quis latro? quis sicarius? quis parricida? quis testamentorum subjector? quis circumscriptor? quis ganeo? quis nepos? quis adulter? qua mulier infamis? quis corruptor Juventutis? quis corruptus, quis perditur, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur?*

Sic et Orat. pro Sextio n. 95. scelera Clodii enumerat et exaggerat. In Pisonem num. 83. scelera Pisonis, 7. Phil. n. 15. flagitia Antonii. Luxum Chrysogoni pro Rosc. Amer. num. 133.

Hic vero Locus tractatur vulgo per istas Figuras.

Primo per Anaphoram seu Repetitionem. Ita Cicero post reditum in Senatu n. 28. *Possum ego satis in Cn. Pompejum unquam gratus videri, qui non solum apud vos, qui idem omnes sentiebatis, sed etiam apud universum Populum Rom. salutem Reip. et conservatam ferme, et conjunctam esse cum mea dixerit? Qui causam meam prudentibus commendarit, imperitos edocuerit, eodemque tempore improbos auctoritate sua compresserit, bonos excitarit? Qui Populum Rom. pro me tanquam pro fratre, aut parente, non solum hortatus sit, sed etiam obsecrarit? Qui ipse, cum pro-*

*propter metum dimicationis et sanguinis domo se teneret, etiam a superioribus tribunis petierit, ut de salute mea et promulgarent et referrent? Qui, etc.*

Et Phil. 4. n. 9. *Negat hoc D. Brutus Imperator, Consul designatus, natus Reip. civis. Negat Gellia, negat cuncta Italia, negat Senatus, negatis vos; quis igitur illum Consulem nisi latrones putant?*

Item 2. in Rullum n. 9. Phil. 2. n. 12. et 16.

Secundo. Per Interrogationem, ut observari facile potest ex Locis pene omnibus jam hic laudatis; et præterea pro Cluent. n. 107. ubi Cicero egregiam Enumerationem habet, in qua recensitis singulorum Judicum nominibus, subjungit singulorum dotes aliquas singulares. Legendus hic Locus.

Tertio per interrogationem Subjectioni junctam: ut Oratione de Provino. Cons. ubi n. 29. tractat Enumerationem per istas Figuras, ostenditque, nihil esse, quod Cæsaris reditum in urbem remorari debeat. *Quid est, cur ipse Cæsar in Provincia commorari velit, nisi ut ea, quæ per eum effecta sunt, perfecta Reip. tradantur? Amœnitas eum, credo, locorum, urbium pulchritudo, hominum nationumque illarum humanitas et lepos, victoriæ cupiditas, finium imperii nostri propagatio retinet. Quid illis terris asperius? quid incultius oppidis, quid nationibus immunius? quid porro tot victoriis præstabilius, quid Oceano longius inveniri potest? An reditus in patriam habet aliquam offensionem? utrum ad populum, a quo missus est? an apud Senatum, a quo orna-*

*ornatus est? an dies auget ejus desiderium? an magis ablivionem? an laurea illa magnis periculis parta amittit longo interkallo viriditatem?*

Insignis est ille pro Corn. Balbo Locus n. 9. *Quid enim obest huic homini* (Cn. Pompejum intelligit) *quod si adesset, jure hoc tribui et concedi posse putaremus? Ususne rerum? qui pueritiæ tempus extremum principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum? cujus plerique æquales minus sæpe castra viderunt, quam hic triumphavit? qui tot habet triumphos, quot oræ sunt, partesque terrarum? tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorum? an ingenium? cum etiam ipsi casus, eventusque rerum, non duces sed comites ejus consiliorum fuerint? in quo uno ita summa fortuna cum summa virtute certavit, ut omnium judicio, plus homini tribui, quam decet, videretur? an pudor? an integritas, an religio in eo, an diligentia unquam requisita est? quem Provinciæ nostræ, quem liberi populi, quem Reges, quem exteræ gentes castiorem; moderatiorem, sanctiorem non modo non viderunt, sed aut sperando unquam, aut optando cogitaverunt?*

Et laudato supra loco pro Domo sua n. 59. item 7. Ver. n. 125. et Phil. 7. n. 21. pro Domo n. 95.

Illustris et illa pervulgataque est Enumeratio per distributionem, qua in Plinii Panegyrico, Trajani in urbem ingressus describitur, et publica lætitia ita pingitur: *Ergo non*

*non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quominus oculos insolito spectaculo impleret. Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem, sanitatemque prorepere. Alii se satis vixisse te viso, te reperto, alii magis vivendum esse sibi prædicabant. Videres referta tecta et laborantia, oppletas undique vias, alacrem hinc inde populum, etc.*

## EXERCITATIO.

*Minervæ apud Jovem Oratio in Racchum vini inventorem.*

Locus ab Enumeratione Partium.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Conqueretur, quod Dii, qui præter cæteros opitulari mortalibus deberent, iidem plerumque maxime omnium noceant.

*Propositio.* Dicet, nullum superesse sibi in orbe perfugium, ex quo vini usum Bacchus intulit: idque tractabit per Enumerationem vitiorum, quæ sapientiam fugare solent.

Confirmationem petet ab illa corruptela, quam vini usus invexit; et per Enumerationem recensebit malos vini effectus, propter quos sibi ulterius noceat cum hominibus versari. Addet, nullam esse ætatem, aut conditionem ab illa corruptela immunem.

Concludet rogando Jovem, vel ut vites omnes perdat, vel ut patiatur æternum facere se cum terris divortium.

ORA-

## ORATIO.

Quoniam infelici gentis humanæ fato fieri dicam, æquissime rerum omnium pater ac moderator Jupiter; ut qui præter cæteros mortalium commodis invigilare ac providere deberent Dii immortales, iidem obesse hominibus quam maxime, et gravissimum importare detrimentum inveniantur.

(*Enumeratio per repetitionem.*) Equidem dolebam hactenus, quod regendis mortalium animis æterno fatorum consilio præposita, eorundem fugere consortium identidem cogerer, dum alii ambitioni serviunt, alii student avaritiæ, alii mollibus deliciis voluptatibusque diffluunt, alii odiorum stimulis irarumque fluctibus abripi se patiuntur, et tam insanas cupiditates nimia Superi indulgentia plerumque fovent ac nutriunt. Verum ex quo perniciosum vini usum imprudens Bacchus terris intulit, quis superesse mihi potest apud homines locus, quod secretum in orbe toto perfugium est, quod inaccessam eorum furori securitatem præstet?

Testem te appello, Jupiter æquissime; (*Enumeratio per Effecta*) vidisti enim, et tuis usurpasti oculis, quantam illecebrosus ille et detestabilis liquor mortalibus corruptelam attulerit. Hinc lites, rixæ, jurgia, contentiones, bella, cædes nascunturr. Hinc proditiones amicorum, familiarum ruinæ, Rerum publicarum eversiones promanant; nullum denique scelus, nullum magnum facinus est, ad quod suscipiendum capitalis illa pestis non impellat. Hæc labes cætera animi

animi corporisque vitia accendit atque exstimulat: hæc temeritatem sufficit ad ambitionem, faces atque incendia ministrat ad iram atque odium, furorem affert ad vindictam, illecebras parat ad voluptatem; cumque homini nihil præstabilius mente Superi dederint, huic divino muneri ac dono nihil tam inimicum est, quam vinum: neque enim vino dominante temperantiæ locus omnino est, neque in ebrietatis regno virtus ulla potest consistere.

(*Enumeratio per Destributionem.*) Saltem si qua pars humani generis a teterrima vini corruptela immunis haberetur; si qua ætas, aut si qua vitæ conditio præcavere sibi ab ipsius illecebris atque lenociniis valeret, si quis angulus in orbe toto, quem metuenda pestis illius contagio non afflasset. At ubi gentium non dominatur illa? quem non inficit? cui parcit? Depravat juvenes, viros corrumpit, dementat senes, egenos ac locupletes, viros ac mulieres perdit ac labefactat.

Quare vide, amabo, prudentissime Jupiter, vel ut vites omnes, quam late patet orbis, radicitus eruas atque extermines; vel si grassari pestem illam diutius permiseris, noli mihi succensere, si relictis deinceps terris, æternum cum humano genere divortium fecero.

---

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

*Bacchi apud eumdem Jovem Oratio pro sui defensione.*

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Deplorabit sortem suam, quod beneficia sua, pro quibus laudari debuisset, pejorem in partem trahantur.

*Propositio.* Dicet nihil esse tam bonum, quo quis abuti non possit; adeoque, si vinum propterea damnatur, quod eo quidam abutantur, cætera etiam vituperari debere: idque tractabit Enumeratione rerum bonarum, quæ pravo usu perniciosæ fiunt.

Confirmationem petet ab iis commodis, quæ vinum affert: dicetque per Enumerationem, vires reficere, sustentare stomachum, vitiosos humores pellere, curare morbos, etc.

Deinde tanto amplius esse beneficium demonstrabit, quanto ad plures pertineat; quod explicabit per Enumerationem.

Concludet, Minervam admonendo, ut ab increpatione abstineat; sed provideat pro suo munere, ut apud mortales vini usum sapienter temperet.

### ORATIO.

Quam luctuoso fieri meo fato dicam, æquissime rerum omnium moderator, Jupiter, ut vel impensa a me liberalius beneficia deteriorem in partem accipiantur, nihilque præter contumelias atque obtrectationes videar experiri, unde laudis plurimum ac commendationis expectare debuissem?

Ecce dies mihi coram te dicitur, et apud æquissimum tuum tribunal impertiti mortalibus vini reus accusor. Novum crimen, Deorum Pater optime, et ante hunc diem prorsus inauditum sapientissima soror mea ad te detulit. At enim cœlesti illo munere homines infidi abutuntur.

Nam quo recidimus, amabo, si pravus rerum quarumque bonarum usus beneficis earundem tribuitur auctoribus? (*Enumeratio per Repetitionem.*) Plutum accusa patruum tuum tot opum, tôt divitiarum largitorem; accusa Cererem fructuum omnium, quibus vescuntur homines, artificem; accusa propagatorem luminis Apollinem; tete, Soror, accusa bonarum Artium inventricem; imo accusa ipsum rerum omnium effectorem atque architectum Deorum parentem. Nam quota pars est rerum istarum, quas impertiisse se hominibus liberaliter Superi pro se quisque gloriantur, quam, dum perperam iisdem utuntur, mortales non depravent atque corrumpant?

Vide ergo, vel ut Superos omnes, cuicumque opitulari mortalibus conari sunt, pariter accuses, vel fateare, quam immeritò inventum a me vini usum improbaveris. Nam quid majus tandem meliusve datum hactenus est, aut futuris retro temporibus unquam donabitur? (*Enumeratio per Effecta.*) Quid cœlesti illo liquore pretiosius, qui vires reficit, sustentat stomachum, cor exhilarat, vitiosos procul humores pellit, certumque adversus varia morborum contagia remedium suppeditat? Quid vino potentius, quod animos

mos exsuscitat, ingenii igniculos accendit, robur inspirat, et ad difficilia quæque, atque ardua superanda adjumento est!

Et enim vinum tibi non placet, Minerva; (*Enumeratio per distributionem et per Effecta*) at quotus est tandem, non hominum dico, sed Deorum cui non placuerit? Adolescentiam recreat, corroborat juventutem, senectutem alit ac fovet, res adversas leviores facit, secundas lætiores. In luctu solatio est, curas abigit, mœrorem dissipat, denique nullus est in orbe toto angulus, ubi, pro concesso gratissimo munere, pares mihi, ut decet, gratulationes non deferantur.

Parce ergo, Soror amicissima, vel increpare memet durius, quasi pestiferum quoddam veneni genus terris intulissem, vel saluberrimum vini munus acerbius execrari. Ac tu potius pro sapientia tua, et concessa tibi apud mortales auctoritate, provide diligenter, ita temperari vini usum, ne quis, vel tu, vel Deorum alius impensum a me liquorem illum beneficum expostulare possit.

## ALIA EXERCITATIO.

### Jonathas ad Saulem pro Davide.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet non tam sua in Davidem benevolentia, quam suo in patrem studio et populi gratia adductum fuisse, ut pro Davide roget veniam.

*Propositio.* Ostendet quanti intersit, et patris et totius populi gratia adductum fuisse, ut pro Davide roget veniam.

*Con-*

*Confirmatio.* Id probabit per Enumerationem partium, demonstrando, quanto David sit apud omnes in pretio, quem tamquam totius gentis columen ac præsidium venerantur, et vocem illam, *omnes*, distribuet suas in partes.

Deinde idem probabit per illam Enumerationem; revocando patri in memoriam, quanta populi Israelitici ipsiusque Saulis gratia David fecerit; ut Sauli obsequens apertis periculis caput devoverit, ut Philistæos represserit, et ipsorum Ducem Gigantem immanissimum interfecerit.

*Confutatio.* Diluet Saulis suspiciones, rogabitque patrem, quid velit in Davide plectere; et per Enumerationem illustratam Subjectione innocentem probabit: Deinde Patrem admonebit dedecoris, quod sibi Davidis morte accerseret. Quid enim omnes dicent? quod amplificabit Enumeratione.

Concludet deprecando patrem, per quidquid habet carissimum, ut Davidi parcat.

## ORATIO.

Etsi me meus in Davidem amor, Pater amantissime, adhortatur satis, ut ipsi gravissimo capitis in discrimine posito pro virili parte suppetias feram; hoc tamen libentius paratæ fortissimo viro mortis deprecator accedo, quod populi salus atque ipsius gloria cum illius vita conjuncta sit. Sic est enimvero, Pater amantissime; nam da mihi hanc veniam, ut palam et aperte profitear, quam gravis immineat populo Israelitico pernicies, quam

quam turpis nomini tuo labes inurenda sit, si quid in Davidem durius statuatur.

Perniciem dico imminere toti populo gravissimam: quis enim nescit, quantas et quam meritas universus populus spes in Davide repositas habeat; quem terrorem hostium, libertatis assertorem, vindicem salutis, patriæ columen, universæ gentis præsidium toties expertus est? (*Enumeratio per Repetitionem.*) Quis suas fortissimo viro fortunas, opes, vitam, securitatem ac pacem acceptas non debet? quis illius gratia se suaque omnia ultro volensque non devoveat? quis sublato illo concidendum sibi esse pariter non putet? Hunc norunt pueri, ostentant juvenes, senes mirantur, ipsæ mulieres insolitis laudibus extollunt. (*Enumeratio per Distributionem.*) Illum milites in castris, proceres in aula, universus in civitate populus, tuque adeo, Pater amantissime publicæ salutis tutorem ac defensorem non semel appallasti.

Neque vero tam gloriosum nomen nullo sui capitis discrimine, aut nulla rerum gestarum gloria promeruit. Nam quid hic tibi revocem in memoriam, quæ nosti satis, quot et quanta tua et populi totius gratia præstiterit? (*Enumeratio per Effecta.*) Tacebo, ut tibi obsecutus gravissimos quosque periculorum casus non refugit; non commemorabo, ut inustam nomini nostro labem ipso hostium in sanguine abstersit: silebo, ut tumidos Philistæorum fastus repressit, vires fregit, copias fudit, exercitus delevit, et superbissimum ipsorum ducem Goliath, virum illum insolescentem plus æquo immanissimi com-

corporis robore, et nobis ferociter insultantem prostravit, et tam insigni facinore hærentem jam diu populorum animis metum depulit.

Quamquam nihil moror, Pater amantissime quin Davidem de te, totaque gente nostra tam bene meritum morte afficias, si quid errasse ipsum noveris. At quod plectis in ipso scelus? quo demum flagitio indignationem tuam promeruit?

(*Enumeratio per Interrogationem et Subjectionem.*) An iniit cum patriæ hostibus consilii reum accusas? at quod esse potuit illi cum Philistæis commercium, quos ad hunc usque diem ad internecionem persecutus est? An detrectato imperio rebellem ac contumacem arguis? at quam obsequens tibi, et quoties vel ipso capitis periculo extitit? An tibi ipsi molitum insidias suspicaris? at Davidis animum expertus es satis, cum vitæ tuæ dominus atque arbiter, suas a capite tuo, vel cum ipsum ad necem acrius perquireres, manus abstinuit.

Ah! ne igitur, Pater amantissime, virum innocentem, nobis tam utilem ac necessarium, ulterius persequere. (*Enumeratio a Consequentibus*) Nam quid loquentur de te omnes, si quid gravius in Davidem peccaveris? Quid dicet Israeliticus populus, quem tot ac tantis eripuit cladibus ac servavit? quis erit sermo exterarum gentium, quæ invictum fortissimi viri robur suspexere? quid ipsi hostes, quid Philistæi sentient, cum sublatum a te illum noverint, per quem tot annos adversus gravissimos ipsorum impetus regnum

nnm tuum stetit inaccessum? Tune, ut iræ morem geras, exterorum, hostium, tuorum odium ac malevolentiam incurras? Imo, imo, declina labem illam ac dedecus, quod nomini tuo inureres. Hoc te filius tuus Jonathas, per quidquid in vita tibi carum est, orat atque obtestatur. Patere, ut exorem a te hominis amicissimi vitam: hanc mihi impertiri paternæ charitatis partem: da vivere illum incolumem, quo perempto mihimetipsi perire necesse sit.

## CAPUT V.

### Locus a Notatione Nominis et Conjugatis.

Utrumque hunc Locum ad idem caput revocamus, propter eam, quam habent, inter se affinitatem, cujus utriusque tametsi rarus est apud Oratores usus, quis levioris est ad persuadendum ponderis; tamen quia plurimum valet ad delectandum, nonnunquam a Tullio cæterisque Oratoribus usurpatur.

*Quid est Notatio nominis?*

*R* Est Locus verborum originem et significationem inquirens. Sic Consul a consulendo, Senatus a Senibus, Imperator ab imperando dicitur. Ita Cicero Notatione nominis usus in Verrem, facete ludens in festa Verrea, quæ Verres in Sicilia suo nomine institui curaverat, 4. Verrina, num. 52. *O præclara Verrea! quo enim non accessisti, quo non attuleris tecum istum diem? Etenim quam tu domum, quam urbem adiisti, quod fanum denique, quod non ever-*

*eversum a te atque extersum reliqueris? Quare appellentur sane ista verrea, quæ non ex nomine, sed ex moribus naturaque tua constituta esse videantur.*

*Quomodo probares a Notatione, Neronem non esse inter Imperatores reponendum?*

*R.* Hoc medo. Ille non fuit Imperator, qui sibi non imperavit; sed Nero sibi non imperavit; ergo Nero non fuit Imperator.

*Quomodo ornandus hic Locus?*

*R.* Tractari ornate posse Notationem nominis, 1. Per Comparationem. 2. Si vel personæ vel rei sunt nomina illustria, ita tractabis illa, ut ex singulorum interpretatione redundet aliqua commendatio; sin turpia sint, aliquod vituperium: v. g. si quem commendare volueris ab ipso *Magni* nomine, 1. Comparabis nomen illud cum clarissimis aliis nominibus, puta cum nomine, *Pacifici, Felicis, Pulchri, Justi,* et ostendes, *Magni* nomen cæteris omnibus titulis esse præponendum. 2. Ab ipsa nominis significatione accipies singillatim omnes illos honores, quibus nomen istud insignitur, ita ut demonstres aliquid in eo esse oportere, qui tale fert nomen, ut rebus in cæteris pariter excellat; sicut quicumque Magnus sit, ad ea, quæ magna sunt et illustria, incendi atque inflammari debeat.

*Quid sunt Conjugata?*

*R.* Sunt ea, quæ ab uno eodemque nomine seu vocabulo derivantur, eique ut communi jugo sunt quasi religata, ver. gr. ab ista voce *Imperium*, derivantur, *Impero, imperator.*

Quo-

*Quomodo probares a Conjugatis, Judicem humanum esse oportere?*

*R.* Hoc modo. Homo debet esse humanus; sed Judex est homo; ergo Judex debet esse humanus.

Ita Cicero pro Marcello num. 11. probat, Cæsarem invictum esse oportere, qui clementia et æquitate animi victoriæ conditionem superavit. *Cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jam ante æquitate et misericordia viceras; hodierno die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ erat illa adepta, victis remisisti. Nam cum ipsius victoriæ conditione jure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus. Recte igitur unus invistus es, a quo etiam victoriæ ipsius conditio visque devicta est.*

Ibid. num. 32. *Arma ab aliis posita, aliis erepta sunt. Ingratus est injustusque civis, qui armorum periculo liberatus animum tamen retinet armatum.*

Et Lib. 4. Tusculanarum Quæstionum num. 57. *Quis enim potest, in quo libido cupiditasve sit, non libidinosus et cupidus non esse? in qua ira, non iracundus? In quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus?*

Et Oratione pro Rosc. Amer. num. 16. *Etenim rectum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur.*

Item

Item in Pisonem num. 19. *Cum enim esset omnis causa illa mea Consularis et Senatoria, auxilio mihi opus fuerat et Consulis, et Senatus.*

Et 2. Phil. num. 10. *Non tractabo ut Consulem, ne ille quidem me ut Consularem.*

Et lib. 3. de Natura Deorum n. 84. *Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri, in quibus, quod more Græciæ inscriptum esset, bonorum Deorum, uti se eorum bonitate velle dicebat?*

*Quomodo ornandus et tractandus est hic Locus?*

*R.* Egregie tractari posse, 1. per Hyperbolem. Ut si de impio homine dixeris: non est tantum impius, sed ipsa impietas.

Item Cicero de Verre, 1. Verrina n. 26. *Ut mihi non unus homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petiverunt; sed omnino omnis improbitas, id quod Populus Romanus jam diu flagitat, extinguenda atque delenda sit.*

2. Per Paronomasiam, ut 4. Verrina num. 129. Cicero de Astrologo loquens hæc ait: *Quæ iste cum cognovisset novus Astrologus, qui non tam cœli rationem quam cælati argenti rationem duceret.*

3. Per Asteismum sive per urbanam aliquam dictionem. Ut 4. Verrina num. 24. *Satisne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui e Chelidonis sinu in Provinciam profectus esset, Veneris nomine quæsisse videtur?*

4. Per Traductionem, ut Phil. II. n. 36. *Animadverti P. C. dici jam a quibusdam exornari etiam nimium a me Brutum, nimium Cassium ornari.... Quos ego ornо? nempe eos, qui ipsi sunt ornamenta Reip.*

## EXERCITATIO.

*Pacifici nomen cæteris nominibus magnificis esse præferendum.*

Locus a Notatione Nominis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord. et Prop.* Dicet Orator, inter cætera nomina, quæ magni viri ambiunt, nullum esse Pacifici nomine illustrius.

Confirmationem petet 1. a Comparatione cum clarissimis aliis nominibus, puta, felicis, pulchri, magni, etc. dicetque Pacifici nomen istorum omnium nominum dotes virtutesque complecti ac superare.

2. Idem probabit argumento a Notatione nominis Pacifici, quod explicabit et interpretabitur per synonymas voces, et similitudinem cœli, quod nunquam decorum est magis, quam cum serenum est: tale esse imperium, quod nunquam illustrius est, quam cum pace fruitur.

3. Ostendet nomen illud omnes Principum dotes continere, ut qui Pacificum dixerit, felicem, pium, magnum, etc. dixerit.

Conclusionem traducet in Ludovici Magni laudem, qui nihil tam visus sit affectare, quam Pacificum videri.

ORA-

## ORATIO.

Cum multa magnaque ambitiosius conquisita sunt a Principibus viris nomina, quibus se suorumque facinorum memoriam posteritati commendarent; tum certe nullum unquam extitit tam splendidum, tam illustre, tam magnificum, quod cum Pacifici nomine, gloria, splendore, magnificentia certare possit.

(*Notatio per Comparationem.*) Quod enim mihi nomen cum glorioso Pacifici nomine conferas? an Felicis? nomen beatum per se quidem; sed fortunæ magis quam moribus convenit. An Pulchri? jucundum enimvero, et suave; sed est ea laus corporis, non animi. An Magni; vox ipsa magnifica, plena majestatis, sed in ea plus ambitionis interdum solet esse, quam gloriæ. At, cum Pacifici nomen appellamus, non inanem aliquam tribuimus gloriolam, quæ cum pulchritudine deflotescat, non alienam, cujus in societatem venire fortuna possit, non ambitiosam, quæ vanitatis habeat plurimum parum dignitatis; sed veram, gravem, solidam, eamque, quæ ceterorum nominum virtutes omnes ac dotes complectatur, et longo intervallo superet.

(*Notatio per Interpretationem.*) Pulchrum etenim et illud Pacifici nomen est, plena dignitatis appellatio: atque ut nulla cæli facies plus ostentat decoris atque pompæ, quam quæ clemens est et serena, sic nunquam est imperii majestas augustior, quam cum suavitate et quasi serenitete pacis ornatur. Popularis

laris hic titulus idemque divinus, quo laudes Principum omnes et splendida nomina, veluti sole, minorum ignium lumina continentur; ut qui Pacificum dixerit Regem, idem et Patrem patriæ, et populi delicias, et optimum Principem, et Pium, et Felicem, et Magnum appellet, nomine uno tum ambitiosa nomina repræsentans.

Quare hanc sibi formam imperii Regum omnium sapientissimus Ludovicus Magnus semper proposuit, qui cum regni habenas capessere primum cœpit, Regem se non credidit futurum, nisi Regnum, quod laceratum discordiis et tumultibus perditum regni speciem vix habebat, quietum ac tranquillum constituta pace obtineret. Qui quoties provocatus ac lacessitus bellum inferre compulsus est, sic usus est victoria, ut pacem volentibus daret, invitis imponeret; qui fœderatas totius Europæ vires dum frangeret tam feliciter ac debilitaret, eo consilio pugnabat ac vincebat, ut belli pacisque arbiter longam ac securam non suis modo, sed alienis tranquillitatem conciliaret; qui partis tot victoriarum suarum monumentis etiam hodie cedere non dubitat, ut pulsam jam diu et exulantem crudioris belli diuturnitate pacem revehat, et tam Imperio Gallico, quam universo orbi feliciter redonet.

---

## EXERCITATIO.

### *Nero nunquam fuit Imperator.*

Locus a Conjugatis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet Orator, parum esse, si quis Imperatoris nomen affectet, nisi vim nominis illius omnem impleat moribus.

*Propositio.* Quæret a Nerone, quo pacto nomen usurpare Imperatoris audeat, qui flagitiis omnibus nominis illius dignitatem violaverit; et per Hypotyposim Neronis vitam diffluentem diliciis, et omni scelerum colluvie concretam describet.

*Confirmatio.* Dicet, nunquam Neronem imperasse populis, nisi quis putet eum imperitare populis, qui eosdem virgis laceret, affigat cruci, et incendio deleat. Hic exagitabit Neronis crudelitatem ac sævitiam.

Addet, eum appellari Imperatorem non posse, qui sibi ipse imperare nesciat; cui avaritia, libido, iracundia dominentur.

Concludet dicendo, Neronem ex albo Imperatorum esse expungendum.

### ORATIO.

Laudetur enimvero hic Imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur, qui non inanem tantum ac vacuam tanti nominis umbram affectat; sed rem ipsam profitetur moribus, et rebus præclare gestis promeretur.

(*Nero non fuit Imperator, qui Imperii dignitatem violavit.*) An te, mortalium flagi-

flagitiosissime, ut Imperatorem nuncupem, aut imperasse unquam crediderim, qui nec virile quidquam habeas præter nomen? Age enim, quis tandem servus, si tu Imperator? an tu Imperatorem insignibus, non animo; factis virtutibusque distinguis? Putas in vestitu molli, madente coma, composito capillo, lascivientibus oculis, incessu fracto, in conviviis, in choreis, in stupris Imperatorem Romanum quisquam agnoscat? Egregiam enimvero Imperatoris speciem! exemplum Imperii veteris! imaginem antiquitatis! Reipublicæ columen, et dignum avita virtute monumentum!

Et tu mihi mentionem facies Imperii tui? te imperitasse Populo Romano jactitabis? Ede nobis aliqua, si potes, Imperii illius tui monumenta: cedo, (*Nero non fuit Imperator, qui populis non imperavit*) quid in commune bonum, quid in privatorum commoda, quid in civitatis et universæ Reip. decus et ornamentum contuleris, Video laceratos virgis cives, affixos cruci clarissimos viros, truncata avulsaque membra? video oblita pice, et, totidem veluti faces, collucentia Romanorum corpora; video extincta Reip. lumina, sublata civitatis ornamenta, fumantem miserabili incendio Romam, et illatas quamcumque in partem, Nerone imperante, flammas; Hæ sunt tristissimæ dominatus tui reliquiæ; his te facinoribus Populo Romano Imperatorem approbasti?

(*Non fuit Imperator Nero, qui sibi ipse non imperavit.*) Quanquam quid tam mirum aut insolens videri debet, non potuisse Nero-

Neronem imperitare populis, qui sibimet ipse nunquam imperavit? Quomodo enim, aut cui tandem imperet, qui improbissimis dominis, turpitudini ac dedecori parere consueverit? cui avaritia imperet, insultet iracundia, libido dominetur, et cæteræ labes animi turpissimum servitutis jugum imponant?

Expungatur igitur et eradatur penitus Imperatorum Romanorum ex albo Neronis nomen, qui nec populis, ut decet, nec sibi, ut par erat, potuit imperare. Obliteretur, si potest, hominis nequissimi memoria, et de tristissimo Imperii funestissimi tempore omnis retro posteritas conticescat.

## ALIA EXERCITATIO.

*Locus a Notatione Nominis et Conjugatis.*

Horatius ad Vinnium Asellam, qui se offensum putabat, quod ille, in sua ad eum Epistola, ad Asinæ nomen, quod tulerat pater ejus, alludere malignius visus esset.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Significabit, quanti ipsum et totam ipsius Familiam semper fecerit.

*Propositio.* Dicet, nihil debere ipsi dolendum videri, quod ludere visus fuisset in paternum nomen.

*Confirmatio.* Ostendet a Notatione nominis nihil conferre vel ad probrum vel ad commendationem ea nomina, quæ homines fato potius nescio quo, quam ullis suis aut virtutibus aut vitiis sortiti sunt. Sed laudem

ac

ac gloriam repeti ab uniuscujusque meritis: hæc esse quæ homines commendant.

Addet a Conjugatis, quemadmodum illustria nomina non illustrant eos, qui illa gerunt, nisi eadem virtutibus suis commendent; sic riducula nomina nihil obesse cuiquam, cujus in moribus nihil sit ridiculum.

Concludet, adhortando Vinnium, ut pergat esse vir bonus ac strenuus; sic non vertendum probro, quod Asina pater dictus esset, et ipse Asella vocaretur.

## ORATIO.

Nam quid doles, Amice Vinni? quid expostulas? quid te offensum a me fuisse criminaris? nescis ergo quanti te semper totamque Asellarum cognationem fecerim? quanti nunc quoque te faciam, cui, quod est cumque apud me pretiosissimum, ultro volensque crediderim? quem putaverim inter reliquos maxime ideoneum, qui versiculos meos Cæsari redderes?

At enim lusi paternum in nomem; visus ego sum jocari, quod ab Asina patre, Asella vocareris: hinc te despectum et irrisum putas. Næ aut injuriam facis, Amice Vinni, nisi factum id joco et amanter, uti inter amicos solet, arbitreris; aut certe erras graviter, si nomen illud, quod geris, verti in contumeliam posse existimas.

Mihi crede, Amice Vinni, nihil juvant vel ad probrum vel ad condemnationem ea nomina, quæ natalium fato potius, quam ulla meritorum ratione obtigerunt. Totum hoc fortunæ est, quæ in componendis distribuen-

buendisque nominibus, uti cæteris in rebus ludit, et pro innata levitate juveniliter exultat. Tu ne quidquam hic vindices tanquam tuum, quod unum ad voluntatem fortuna moderatur, aut tibi doleas irrogatum; quod sortis ludibrium effecit? Non nititur fundamento tam fragili vera ac germana laus; neque probrum ac turpitudo tam futilibus ex causis oriri solent. Factis se suis quisque commendat aut decorat, nec nisi virtutibus aut vitiis debet, quod gloriosus vel infamis habeatnr. Esto, ludricum quid ac stupidum etiam sonet Asellæ nomen, propter eam, quam habet, cum Arcadicæ pecudis appellatione affinitatem; at quis hoc imputet tibi, qui vir gravis, qui ingeniosus etiam apud omnes audias? Vides, Amice Vinni, quam serio, nunc tecum agam, et quam minime velim, ut credas, minus te amari a me, aut etiam minoris æstimari.

Dic mihi, quæso; an illi homines, quos suspexit antiquitas, et admiramur tantum hodieque, gloriam suam debent speciosis illis nominibus, quæ gesserunt? an non potius recte factis ac virtutibus illustria ipsa nomina, quæ ferebant, accepta gratulabantur? An ipsorum posteri, qui eadem illa nomina simul cum vita traxerunt a Majoribus, decus ullum aut splendorem hinc habent, nisi nominum ejusmodi gloriam splendidis facinoribus tueantur? Et hoc persuadeas tibi, Amice Vinni, nihil obesse cuiquam ridiculum quantumvis nomen, si nihil sit in moribus ac vita, quod rideri merito possit.

Quare,

Quare, si me audis, perge vir esse bonus ac strenuus; fuge otium, et assiduis, ut soles, insiste laboribus, nemo ut stuporem tibi vel desidiam exprobrare possit. Tum demum securus vive; neque metuendum tibi puta, ne paternum Asellæ nomen tibi unquam in contumeliam vertatur.

## CAPUT VI.

### Locus a Genere et Specie seu Forma.

Tametsi apud Philosophos multum ponitur discriminis genus inter et speciem; plerumque tamen apud Oratores utrumque ita promiscue confinditur, ut quidquid habet multa infra se, sive specie sive solo numero diversa, genus appelletur.

*Quid est ergo Genus?*

*R.* Est illud, quod commune multis rebus varia specie differentibus infra se continet.

*Quomodo probares a Genere, amandam esse prudentiam?*

*R.* Hoc modo. Virtus est amanda; sed Prudentia est virtus; ergo Prudentia est amanda.

*Quis porro loci illius est usus?*

*R.* Hoc argumenti genus adhiberi frequentius in Exordiis. Hic enim Orator præmittere quædam solet generatim et universe, quæ rationem Thesis habent, unde descendit ad Hypothesim. Ita Demosthenes laudaturus eorum prudentiam ac fortitudinem, qui pro patria ceciderant, duo præmonet esse virtutis principia, prudentiam et fortitudinem; quarum

rum altera, quid sit agendum, præscribit; altera exequitur. Cavendum autem Oratori præcipue, ne in Genere diutius immoretur, tum præsertim cum apponitur loco Quæstionis indefinitæ. Est enim puerile vitium, hærere longius in Thesi, quam in Hypothesi.

Argumenti vero quod a Genere ducitur, vis in eo est, quod, quidquid Generi tribuitur vel negatur, id Specie pariter sive rei singulari sub genere contentæ tribuatur vel negetur; v. g. qui probaverit virtutem esse excolendam, in eodem pacto probaverit temperantiam vel fortitudinem esse excolendam, rursus qui ostenderit, aliquem nulli vitio affinem esse, ille ostenderit, eundem nec avaritiæ nec ebrietati esse obnoxium.

Exemplum Generis egregium habes apud Ciceronem pro Milone n. 9. ubi probat, fas esse occidere insidiatorem, hoc argumento.

Si licet occidere hominem, maxime insidiatorem; sed licet aliquando occidere hominem; ergo licet occidere insidiatorem

Omissa propositione, quæ per se clara est et evidens, descendit ad Assumptionem, quæ generis rationem habet, et probat, licere aliquando occidere hominem, 1. Inductione exemplorum num. 7. *Negant intueri lucem fas esse ei, qui a se occisum esse hominem fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quæ primum judicium vidit de capite M. Horatii, fortissimi viri; qui nondum libera civitate, Populi Rom. comitiis liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur.... Nisi vero existimetis de-*

*men-*

*mentem P. Africanum fuisse, qui cum a C. Carbone Tribuno plebis in concione seditiose interrogaretur, quid de Lib. Gracchi morte sentiret, respondit, jure cæsum videri. Neque enim posset aut Hala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me Consule, Senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset.*

2. Ab armis quæ ferre homines solent, et reliquis adjunctis, n. 10. *Quid comitatus nostri, quid gladii volunt, quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret?*

3. Ab ipsa Lege naturali n. 10. *Est enim hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus; ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis, etc.*

4. Ab auctoritate legis scriptæ, quæ dat facultatem sui defendendi n. 11. *Et si persapienter et quodam modo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi, quæ non modo hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat, ut cum causa, non telum quæreretur, qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisse telum judicaretur.*

Habes illud exemplum argumenti a Genere petiti in Oratione pro Cœlio; ubi cum negare Tullius non posset, Cœlium in adoles-

lescentia sua fuisse paullo liberioris ac solutioris vitæ, revocat quæstionem ad Genus; et probat multa adolescentibus esse nonnunquam permittenda num. 23. *Datur concessu omnium huic aliquis ludus ætati, et ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates, quæ si ita corumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles ac tolerabiles haberi solent.*

Et in Oratione pro Archia, cum laudandum eum suscepisset, revocat Hypothesim ad Thesim, et humanitatis studia artesque liberales laudat impensius a n. 19. ad 21. *Sit igitur sanctum apud vos homines humanissimos, hoc Poetæ nomen, quod nulla unquam barbaries violavit. Saxa et solitudines voce respondent: bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis non Poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii suum esse civem dicunt, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi vero suum esse confirmant* **** *Ergo illi alienum, quia Poeta fuit, post mortem etiam expetunt; nos hunc vivum, qui et voluntate et legibus noster est, repudiabimus?*

Ita, parricidii accusatus Roscius Amer. sic defenditur a Cicerone, ut plurima præmittat de gravitate illius sceleris, et ab eodem deinde reum absolvat et eximat, a n. 62. ad 72.

Prodest imprimis hoc argumenti genus, quando ratio aliqua difficilior refellenda, aut Oratori res est cum adversario majoris cujusdam auctoritatis, cui obtrectare palam non audet. Hoc præstat egregie Tullius in Oratione

tione pro Muræna, ubi nactus adversarium Catonem Philosophum Stoicum, virum magni ponderis, quem probitas sua atque auctoritas regebant, rem ita perficit, ut omisso veluti Catone, Stoicam Philosophiam, quam ille sectabatur, vituperet audacius atque reprehendat, n. 16. *Fuit quidam summo ingenio vir* Zeno, *cujus inventorum æmuli, Stoici nominantur. Hujus sententiæ sunt gravissimæ, et præceptа ejusmodi. Sapientem gratia numquam moveri, nunquam cujusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse, nisi stultum et levem, viri non esse neque exorari neque placari; solos sapientes esse; si distortissimi sint, formosos; si mendicissimi, divites; si servitutem serviant, Reges. Nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes, insanos denique esse dicunt; omnia peccata esse paria; omne delictum scelus esse nefarium; nec minus delinquere eum, qui Gallum Gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocarit; sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. Hæc homo ingeniosissimus Marcus Cato auctoribus eruditissimis inductus arripuit, neque disputandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi, etc.*

Hanc deinde doctrinam exagitat insigniter more suo consequentibus numeris.

*Quid est Species?*

*R.* Est res aliqua particularis, quæ sub Genere, sive sub *Universali*, ut loquuntur Philosophi, continetur.

*Quo-*

*Quomodo probares a Specie, laudandam esse virtutem?*

*R.* Hoc modo. Laudanda est pietas; sed pietas est virtus; ergo virtus laudanda est.

## EXERCITATIO.

### *Locus a Genere.*

Adhortatio ad eos, qui liberales Artes exercent, Ut Ludovici Magni memoriam studeant posteritati commendare.

### *SYNOPSIS.*

Hoc Argumentum Orator adhibebit petitum a Genere. Si quorum hominum immortalis memoria esse debeat, eorum maximè, qui multiplici virtutum gloria excelluerunt; sed aliquorum debet esse immortalis memoria; ergo, etc.

Omissa Propositione, quæ manifesta est, veniet ad probandam Assumptionem, scilicet esse aliquos homines, quorum memoria debet esse immortalis: Hoc ipsum periodice efferet Exordii loco.

Deinde rationes afferet Assumptionis.

Primam eliciet ab eo desiderio, quod viri aliqua laude præstantes suis relinquunt, dum excedunt e vivis.

Secundam a studio eorum hominum, qui illustriorum virorum vitas scriptis suis commendavere, aut eorum, qui ipsorum imagines vel in marmore, vel in ære inciderunt.

Tertiam ab universo populorum omnium consensu, apud quos extant aliqua eorum monumenta, qui aliqua laude floruerunt.

Quar-

Quartam ab ipsa tam liberalium, quam cæterarum Artium natura, quæ eo potissimum fine inventæ videntur, ut virorum illustrium memoriæ propagandæ servirent.

Tertio per Anacephalæosim resumet allatas supra rationes, ex quibus concludet, iis deberi immortalitatem, qui aliqua laude præcelluerunt. Mox a Thesi descendet ad Hypothesim, ut probet deberi eandem Ludovico Magno, qui non aliquo, sed omni virtutum genere excellit.

Quarto id ipsum demonstrabit per Enumerationem virtutum illarum, quibus Ludovicus præditus est, et præstat illis Heroibus, quos Fabula commendavit.

Concludet dicendo, nullam esse Artem, quæ ab ejus laudibus conticescere debeat; et per Apostrophen ad singulas, iisdem suas cuique partes præscribet.

## ORATIO.

(*Thesis*). Fst hoc singulare quorumdam hominum ac proprium veluti fatum, ut peculiari aliquo Superum munere terris concessi, et cæterorum exemplo nati esse videantur. Verum quo lætius excipi solent illi, dum nascuntur, eo gravius, dum rapiuntur, desiderium sui relinquunt; sic ut expleto, quantum homini jam permittitur, longioris vitæ curriculo, nemo vel præmatura morte raptos non doleat, vel impertitam ipsis fuisse, præter conditionem mortalium, immortalitatem non velit.

Hinc vero exarsit eruditorum hominum diligentia, ut, quos suspexissent olim populi

et amavissent, eorum mores ac virtutes scriptis in suis fideliter expressas relinquerent. Hinc stimulari se sensit Pictorum solertia: ut, dum nativis adumbrata coloribus illustrium virorum ora redderent, eorumdem absentiam ac desiderium quodammodo consolarentur. Hinc et novos sumpsit animos Sculptorum labor atque dexteritas in incidendis in marmore vel in ære Heroum suorum egregiis facinoribus: ut dum res ab illis tam bello quam pace præclare gestas posterorum oculis subjicerent, foverent perpetuo, quam illi concitabant olim admirationem sui, neque eorum memoriam senescere unquam paterentur.

Scilicet illud est propagandæ apud posteros illustrium virorum gloriæ desiderium ejusmodi, ut non injectum extrinsecus, sed innatum nobis videri possit; adeo ut nemo, nisi iniquus, ferat illorum obliterari memoriam, qui se, dum viverent, immortalitate dignos præstiterunt. Cedo enim nationem hominum aliquam, tam incultam, tam agrestem, tam barbaram, apud quam multa omnis generis monumenta non exstent, quibus res a majoribus suis aliqua cum laude gestæ commendantur.

Quid porro omnes literæ, quid disciplinæ liberales, quid cæteræ inferioris nominis artes volunt, aut loquuntur? Quem demum ob finem inventæ, et tam diligenter excultæ, nisi ut magnorum virorum gloriæ famularentur? Quid Eloquentia admirabilius? quid Poesi dulcius? quid Pictura vel Sculptura gratius! quæ vel inventæ nusquam, vel in ortu ipso cœpissent obolescere, nisi in repræsentan-

sentandis suo quæque modo clarissimorum hominum virtutibus elaborassent. O nullis satis prædicandum laudibus parandæ illustribus viris gloriæ desiderium, absque quo non careremus modo tam egregiis omnium Artium monumentis, sed ne ipsarum quidem nomen haberemus!

(*Hypothesis.*) Quod si naturæ vox, eruditorum consuetudo, unanimis populorum consensus, Artium omnium indoles et industria immortalitatem iis vindicant, qui aliqua virtutis laude, dum viverent, floruerunt; quanto potiori jure, qui Artes cujuscumque generis exercent, de comparanda Ludovico Magno nominis immortalitate cogitabunt, qui non aliqua virtute, sed universo virtutum agmine circumseptus, dotes, quæ cæteros Principes commendavere, singulas in se uno complectitur?

Sed quæ par oratio tot prædicandis virtutibus esse possit: aut quid inter tam breves dicendi angustias vel delibare ex illis quidpiam confidamus? Nam dotes animi aggrediemur, an corporis? quam ampla surgit Oratori, quam magnifica de utroque prædicandi seges! Age enim quanta frontis dignitas! quam vivida lex oculorum! quam decens oris compositio! quam nova totius vultus species atque amabilitas, quæ pulveris patiens atque solis, nec ipsis bellorum laboribus deteratur! Jam in incessu quanta gravitas, in corpore quam justa concinnaque conformatio membrorum, in homine toto quam verenda majestas! Sic ut inter Aulicos suos, si quando permixtus inveniatur, nemini, qui ipsum nun-

nunquam viderit, liceat illum ignorare, aut Regem inquirere.

Quod si tam eximias exhibet dotes corporis, quanto præstantiores animi virtutes præ se fert? in eo quid non regium, quid non admirabile, quid non memoria dignissimum. Est aliquis, qui de ingenii præstantia, facilitate, perspicacia certare cum ipso possit, quem sui, quem exteri gravissimis de rebus dicentem et ex tempore respondentem toties obstupuere? cujus ex ore nulla vox unquam effluxit, quæ longioris cujusdam et altissimæ meditationis partus videri non posset? Quis eo vel in providendis rebus sagacior, vel in administrandis sapientior, qui æquabilem ac constantem longissimi regni fortunam prudentiæ imprimis suæ acceptam debet? qui regnare per se solus vel junior didicit? qui ministros ad pompam magis et magnificentiam, quam ad necessitatem habet? Quis porro cupidior juris, et amantior æquitatis; qui vel propriis in rebus sua unius sententia sæpe causa cecidit? Unde vero quemquam nactus eris, qui tanta cum potestate tantam moderationem conciliavit? Credent Posteri sic imperasse motibus animi Ludovicum, non modo nihil ut unquam iratus peccaverit, sed nec protulerit quidpiam, quod vel offensionem vel indignationem saperet? Denique mitto dicere, quam sit liberalis et magnificus, quam bonus domesticis, quam amabilis cunctis et acceptus. Parco memorare magnitudinem animi in periculis, in adversis constantiam, modestiam in prosperis. Prætereo tenerrimam pietatem in Deum, studium Religionis acer-

acerrimum, incredibilem vel inter prosperos armorum eventus pacis amorem.

Evolvat, per me licet, universus orbis Annales suos; scrutetur prisca monumenta vetus antiquitas; fingant sibi vel ipsæ Fabulæ Heroem ad arbitrium, quem cum Ludovico Magno collatum velint.

Regem ergo tam multis ornatum virtutibus quis non extollat? Quæ facultas tandem ab ejus conticescat laudibus? Quis nomen ipsius toti posteritati consecrandum ultro non suscipiat?

Hunc Pictura, qualis est, talem futuris ætatibus repræsentet, et vividis, quantum potest, coloribus egregiam oris speciem, dignam Heroeam staturam et spirantem in toto corpore Majestatem studeat imitari. Erigat triumphales arcus Sculptura, quos nulla temporum ac tempestatum injuria diruat; incidat in ære atque marmore relatas ab eo victorias, expugnatas urbes, occupatas Provincias, fusos exercitus, et conjuratas totius Europæ vires fractas toties ac debilitatas. Quod exequi Pictura, nec præstare Sculptura possit, singulares ejus animi dotes ac virtutes Poesis et Eloquentia commendent. Liberalem illum, magnificum, fortem, moderatum, clementem, justum, affabilem, pium, Superis perinde atque hominibus amabilem loquantur ac prædicent. Addat se reliquis Artibus Historia; et res ab eo gestas, voces etiam singulas excipiat, et sine fuco vel cerussa veritatis unius interpres monumentis publicis consecret.

Deni-

Denique ita conspirent Artes universæ ad consecrandum Ludovici Magni nomen, ut, quem jam universus admiratur orbis, eundem ventura retro sæcula suspiciant ac venerentur.

## ALIA EXERCITATIO.

Defenditur Jonathas, quod contra patris edictum paululum mellis gustasset.

### *SYNOPSIS.*

Argumentum Defensionis Orator petet a Genere, quod sic informabit: Si quando lex mollem ac benignam interpretationem pati potest, maxime eorum gratia, qui nihil de lege audierunt: sed lex benignam interpretationem pati potest aliquando; ergo, etc.

Omissa Propositione veniet ad Assumptionem, nimirum, lex mollem et benignam interpretationem aliquando patitur: idque dilatabit in Periodum, qua Exordium et Propositio continebuntur.

Rationem afferet, quia nullius unquam Legislatoris ea mens fuit, ut suas leges nulla emolliri interpretatione vellet.

Id vero probabit, quia neque sapientiæ, neque æquitatis ipsorum fuisset, ut nemo unquam a lege lata eximeretur.

Non fuisset, 1. ipsorum sapientiæ, quia prævidere illi non potuerunt varia locorum ac temporum adjuncta, in quibus latæ ab ipsis leges observari non possent.

2. Non fuisset æquitatis, si eos violatæ legis reos haberi voluissent, qui eas non potuissent observare.

Deni-

Denique relicta Thesi veniet ad Hypothesim, per quam concludet, Saulem admonendo, non esse plectendum Jonatham, nisi aut parum prudens, aut parum æquus videri velit, qui violatam legem in eo puniat, qui propter ignorantiam eamdem observare non potuerit.

ORATIO.

Etsi non is ego sum, Princeps sapientissime, qui vel commissam a supremo Numine legum conditoribus potentiam atque auctoritatem elevandam putem, vel populorum socordiæ indulgens plus æquo excusare legum infractores velim; tamen nihil dubitem palam profiteri, vix esse posse legem ullam, quæ mollem interdum benignamque interpretationem non admittat.

Nam quis est, aut fuit unquam tam retinens juris sui, aut debiti sibi obsequii tam iniquus exactor, ut, quas sancire leges meditaretur, eas sic valere semper partem in omnem vellet, ut nullis incidentium rerum casibus aut infirmari, aut etiam penitus abrogari pateretur? (*Thesis.*) Unum te mihi rei hujusce testem appellare liceat. Rex sapientissime; hunc tu Principem virum vel a sapientia belle comparatum, vel ab æquitate satis instructum æstimares, qui in sanciendis legibus, nulla locorum aut temporum expensa ratione, nullo ætatum conditionumque delectu habito, ita severe pronunciaret in omnes, ut neminem ab imperata lege immunem esse posse sineret, et in quemcumque demum, qui legem non implevisset, non animadvertendum duriter arbitraretur?

Sci-

Scilicet extitit aliquando, aut consequentibus retro temporibus existet Legislator aliquis tam perspicax, et futuri post se temporis scrutator tam accuratus, ut præviderit, nihil contingere unquam posse, quod latas a se leges infringeret, nihil quod eisdem observandis moram afferret, nihil quod, ne minime etiam implerentur identidem, prohiberet?

Quod si Legislator nullus prævidere potuit, quæcunque interveniunt tam sæpe implendæ legis impedimenta; imo si penitus sensit ac vidit, vel cum suas omnibus leges diceret; non posse illas quibusvis locorum ac temporum adjunctis ab omnibus observari, an foret ille arbitrio tuo justissimus, qui insolita quadam præventus severitatis laude, nullam admitti vellet sancitæ legis interpretationem, sed quamlibet omissæ legis offensam eodem pariter modo mulctandam judicaret?

(*Hypothesis.*) Quamobrem vide amabo, Rex sapientissime, idemque studiosissime cultor æquitatis, qua demum vel sapientiæ vel æquitatis laude plectendum Jonatham tuum censeas, ad quem nulla pars imperatæ legis pertinuit? Tu ne eum teneri lege tua velis, cui, legem a te latam fuisse cum ignoraret, nulla illius implendæ facultas suppetebat? Tu ne violatam ab eo legem reprehendas, eumdemque putes morte puniendum, qui legem, etiam cum voluissset, observare non poterat? Memineris potius solitæ prudentiæ tuæ atque æquitatis; et, quam in neminem de populo severitatem adhibere sustineres, cave filium in tuum putes esse exercendam.

CA-

# CAPUT VII.

## Locus a Simili.

*Quid est Similitudo?*

*R.* Est duarum vel plurium rerum in aliqua ratione convenientia, v. g. Consul et Gubernator navis sunt duo, quæ in ratione gubernandi conveniunt. Ut enim hic navim, sic ille Remp. regit. Hoc porro differunt similitudo et comparatio, quod similitudo versetur circa rerum *qualitates*, ut vocant; comparatio vero circa *quantitatem*. Dum enim comparamus, aut plus, aut minus, aut par inesse alicui dicimus.

Ita Cicero 3. Philip. n. 9. *Quid Tarquinius talia, qualia innumerabilia fecit Antonius?* Quod nihil aliud significat, nisi plura fecit Antonius, quam Tarquinius.

In Similitudine vero attenditur tantum, quale sit illud, de quo agitur. Ita Cicero Phil. 4. n. 11. *Faciam igitur, ut Imperatores instituta acie solent; quamquam paratissimos milites ad prœliandum videant, ut eos tamen adhortentur, hic ego vos ardentes et rectos ad libertatem recuperandam cohortabor.* Ubi nulla fit paris, majoris, aut minoris mentio.

Habes illustria Similitudinis exempla apud Ciceronem pro Rosc. Amer. n. 56. ubi Accusatores comparat cum Anseribus et Canibus. *Anseribus cibaria publice locantur, et Canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint; at fures internoscere non possunt, significant tamen, si qui noctu in Capi-*

*Capitolium venerint; et quia id est suspiciosum, tametsi bestiæ sunt, tamen in eam partem potius peccant, quæ est cautior. Quod si luce quoque Canes latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint, opinor, iis crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit. Simillima est Accusatorum ratio. Alii vestrum Anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt, alii Canes, qui latrare et mordere possunt. Cibaria vobis præberi videmus, vos autem debetis maxime impetum in eos facere, qui merentur, etc.* Ibid. n. 75. *Ut non omnem frugem neque arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni vita nascitur.*

Ibid. n. 131. excusat Syllam, quod aliqua animadvertere non potuisset in magna rerum, quas curabat, mole, ab exemplo Jovis, cui non imputantur imbres et tempestates, quæ tamen detrimentum afferunt, quia isthæc potius vi et magnitudine rerum fiunt, quam divino consilio. Et sic concludit; *Nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si mens humana adepta non sit.* Egregius est imprimis hic locus.

Ibid. n. 151.

Sic et pro Comœdo n. 17. *Ut ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur; sic reservens falsum crimen in purissimam et castissimam vitam collatum statim concidit et extinguitur.*

Et Ver. 7. num. 144. comparat ejus avaritiam cum illis hominibus, qui Poetarum testi-

testimonio sinus maris et promontoria occupabant, ut inde in transeuntes naves impetum facerent.

Pro Murena n. 35. incertas et obscuras populi voluntates comparat cum procellis et tempestatibus, quæ in mari oriuntur.

Pro Cluentio n. 233. *Ut mare, quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitatur et perturbatur; sic et Populus Romanus sua sponte placatus hominum seditiosorum vocibus et violentissimis tempestatibus concitatur.*

Post reditum ad Quirites n. 4. fatetur Cicero recepta bona sibi tanto gratiora videri, quanto sanitas post gravem morbum jucundior est.

*Quotuplex est Similitudo?*

*R.* Dividitur plerumque in Parabolam, Inductionem, et Exemplum.

*Quid est Parabola?*

*R.* Est rerum alioqui diversarum in una re vel in pluribus convenientia: sive est narratio verisimilis ad mores informandos idonea propter eam, quam habet cum re, quam persuadere Orator nititur, convenientiam. Huc Apologi et Fabulæ referuntur; quæ sunt narrationes penitus fictæ, quæ moribus instituendis conducunt.

*Quis est usus Parabolæ?*

*R.* Frequentissimus ille est tam apud sacros, quam apud profanos Oratores, præsertim in Exordiis. Habes illustrissima Parabolæ exempla in sacris Litteris, præsertim in novo Testamento.

Apud

Apud Ciceronem Parabolæ locum habet, quod de Anseribus, et Canibus narratur pro Roscio Amerino n. 56. supra laudato ac descripto.

Item 1. Catil. num. 31. *Ut sæpe homines ægri morbo gravi, cum æstu febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur; sic hic morbus, qui est in Rep. relevatus istius pœna, vehementius reliquis vivis ingravescit.*

Et in Vat. n. 4. *Venisti iratus nobis, quod ego, simul ac te aspexi, prius quam loqui cœpisti, cum ante Gellius, nutricula seditiosorum omnium diceret, sensi atque providi: repente enim te, tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti.*

Et lib. 6. Epist. Famil. Epist. 7. *Quemadmodum scalarum gradus, si alios tollas, alios, incidas, nonnullos male hærentes relinquas, ruinæ periculum struas, non ascensum pares; sic tot malis tum victum, tum fractum studium scribendi, quid dignum auribus, aut probabile potest afferre?*

*Quid est Inductio?*

*R.* Ut hoc loco sumitur, est coacervatio multarum rerum similium ad aliquid concludendum. Hoc disputationis genus erat admodum familiare Socrati, qui per ejusmodi Inductiones oculis subjiciebat, quæ probanda susceperat.

Habes exemplum Inductionis pro Cornel. Balb. n. 51. *Hic tu Cnei Pompeii beneficium seu potius judicium et factum infirmare*

*mare conaris, quid? fecit quod C. Marium fecisse audierat; fecit quod P. Cassium, quod C. Syllam, quod Q. Metellum, quod denique domesticum auctorem patruum suum facere videret. Neque vero in Cornelio id fecit, nam et Gaditanum Hasdrubalem ex bello illo Africano, et Mameritanos obvios, et quosdam Uticenses et Saguntinos fabros civitate donavit.*

Est egregia illa apud Tertullianum ad probandam corporum resurrectionem inductio: *Lux quotidie intersecta resplendet, et tenebræ pari vice decedendo succedunt; sydera defuncta vivescunt: tempora ubi finiuntur incipiunt: fructus consumuntur et redeunt. Certe semina non nisi corrupta et dissoluta fœcundius surgunt. Omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur.*

*Quid est Exemplum?*

*R.* Est probatio alicujus rei dicto vel facto alterius confirmata, quæ præstantissima est Similitudinis ratio, et magnæ auctoritatis ad persuadendum.

Habes exempla illius Similitudinis apud Ciceronem pro Rosc. Amer. n. 50. *Næ tu Erusci accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro accersebantur, qui Consules fierent. Etenim qui præesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Attilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. At hercule Majores*

*nostri longe et de illo et de cæteris talibus viris existimabant, etc.*

Ibid. n. 66. probat Orestis exemplo eos exagitari furriis, qui parricidium admiserunt.

Et Oratione pro Plancio probat exemplorum collectione nihil esse quod Laterensis doleat, quod in petitione AEdilitatis repulsam passus fuisset n. 51. *Quæris etiam Laterensis, quid imaginibus tuis, qui ornatissimo atque optimo viro patri tuo respondeas mortuo. Noli ista meditari; atque illud cave potius, ne tua ista querela dolorque nimius ab illis sapientissimis viris reprehendatur. Vidit enim pater tuus Appium Claudium nobilissimum hominem, vivo patre suo, potentissimo et clarissimo cive C. Claudio AEdilem non esse factum, et eundem sine repulsa factum esse Consulem. Vidit hominem tibi maxime conjunctum egregium virum L. Volcatium, vidit M. Pisonem in ista AEdilitate offensiuncula accepta summos a Populo Rom. honores esse adeptos. Avus vero tuus et P. Nasicæ tibi AEdilitiam prædicaret repulsam, quo cive neminem ego statuo in hac Rep. fortiorem; et C. Marii, qui duabus AEdilitatis acceptis repulsis septies Consul factus est, et Luc. Cæsaris, Cn. Ostavii, M. Tullii, quos omnes scimus AEdilitate præteritos Consules esse factos.*

Huc etiam refer laudatum modo locum pro Balbo n. 51.

Præterea 2. Ver. n. 51. pro Sext. n. 48. et n. 101. pro Cœlio n. 49.

*Quomodo ornanda est Similitudo?*

*R.*

*R.* Primo per Comparationem; ut 1. in Verrem n. 48. *Ut in Actoribus Græcis fieri videmus, sæpe illum, qui est secundarum, aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum summittere, ut ille Princeps quam maxime excellat: sic faciet Allienus, tibi serviet, tibi lenocinabitur, minus aliquanto contendet, quam potest.*

Et Ver. 6. n 21. *Fecisti, uti prædones solent, qui cum communes hostes sint omnium, tamen aliquot sibi instituunt amicos, quibus non modo pareant, verum etiam præda quos augeant, at eos maxime, qui habent oppidum opportuno loco, quo sæpe adeundum sit navibus, nonnunquam etiam necessario.*

Huc refer comparationem Accusatorum cum Anseribus pro Roscio n. 56. Comparationem Syllæ cum Jove ibid.

Secundo ornatur Similitudo per Fictionem, ut Orat. pro Sextio num. 45. *Etenim si mihi in aliqua nave cum meis amicis naviganti hoc accidisset, ut multi ex multis locis prædones classibus eam navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedidissent; si id vectores negarent, ac me cum simul interire, quam me tradere hostibus mallent; jecissem me ipse potius in profundum, ut cæteros conservarem, quam illos mei tam cupidos non modo ad certam mortem, sed in magnum vitæ discrimen adducerem, etc...* Per illam Fictionem ostendit Cicero, quam prudenter cessisset ex urbe invitis ac repugnantibus amicis,

ne ipsos in magna Reipublicæ perturbatione maximis periculis exponeret.

Et 4. Orat. in Cat num. 12. *Etenim quæro, si quis pater familias, liberis suis a servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servo, quam acerbissimum sumpserit, utrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus et crudelissimus videatur? Mihi vero importunus ac ferreus, qui non dolorem suum ac cruciatum dolore nocentis ac cruciatu lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui conjuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt; qui singulas uniuscujusque nostrum domos, et hoc universum Reip. domicilium delere conati sunt; qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis hujus urbis, in cinere deflagrati imperii collocarent; si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur; sin remissiores esse voluerimus, summæ nobis crudelitatis in patriæ civiumque perniciem fama subeunda est.*

Habes alia Fictionis exempla 1. Verrina n. 20. 6. Ver. n. 78. pro Cæcinna n. 1. n. 35. pro lege Manilia n. 50. pro Sextio n. 83.

Tertio exornari Similitudo potest per Hypotyposim. Uti fecit Cicero Philip. 11. n. 7. ubi Antonium cum Dolabella comparans, utriusque sævitiam subjicit in morte Trebonii. *Ponite igitur ante oculos, P. C. miseram quidem illam et flebilem speciem, sed ad incitandos animos nostros necessariam; nocturnum impetum in urbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum in Trebonii domum, cum miser ille, prius latro-*

*latronum gladios videret, quam quæ res esset, audisset: furentem introitum Dolabellæ, vocem impuram atque os illud infame, vincula, verbera, equuleum, carnificem tortoremque Samarium, etc.*

Ex iis quæ dicta sunt de Similitudine, facile est intelligere, quid Dissimilitudo sit.

*Quid est Dissimilitudo?*

*R.* Est locus, per quem ex re dissimili colligitur aliquid dissimile.

*Quomodo probares a Dissimilitudine, humaniter hospites esse excipiendos?*

*R.* Hoc modo. Barbari se suos in hospites gerunt crudeliiter; igitur nos decet in eosdem humanos esse.

*Quomodo amplificandus hic locus?*

*R.* Eadem ferme ratione, qua locus a Similitudine: nimirum per excogitatam ingeniose aliquam parabolam; per inductionem multa dissimilia colligendo; denique per exemplum seu collectionem exemplorum.

*Quomodo ornandus hic locus?*

*R.* Qua ratione ornatur Similitudo, nempe per Comparationem seu potius Antitheses, per Fictionem, Hypotyposim, etc.

Habes exempla multa Dissimilitudinis apud Ciceronem.

Pro Muræna num. 22. ubi Juris consultum Sulpicium cum Imperatore Muræna comparat per dissimilitudinem studiorum: *Sed ut hoc omisso ad studiorum atque artium contentionem revertamur. Qui potest dubitari, quin ad Consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis rei militaris quam Juris Civilis gloria? Vigilas tu de nocte,*

*nocte, ut tuis consultoribus respondeas; ille ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum buccinæ cantus exsuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves, ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiantur. Ille tenet et scit, ut hostium copiæ, tu, ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis.*

Ibidem n. 82. probat, debere Judices dissimile facere judicium de Muræna, ab eo, quod Catilina facturus fuisset, si penes ipsum fuisset de Muræna judicare, ex dissimili Judicum et Catilinæ in Remp. studio: *Si L. Catilina cum consilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset judicare, condemnaret Luc. Murænam; si interficere posset, occideret. Petunt enim rationes illius, ut orbetur auxilio Resp. ut minuatur contra suum furorem Imperatorum copia, ut major facultas Tribunis plebis detur, depulso adversario contentionis ac discordiæ concitandæ. Idemne igitur delecti amplissimis ex Ordinibus, honestissimi atque sapientissimi viri judicabunt, quod ille importunissimus gladiator, hostis Reip. judicaret?*

Ibid n. 6. probat ex dissimilibus Catilinæ et Murænæ in Remp. studiis, dissimilem suam cum utroque agendi rationem.

Verrina 6. num. 77. confert per Dissimilitudinem latrocinia Verris, ejus sacrilegia cum Majorum pietate in Superos, et religione: *Videte, quanta religione fuerit apud Segestanos*

*stanos Dianæ simulacrum. Scitote, neminem neque liberum, neque servum, neque civem, neque peregrinum, qui illud signum auderet attingere. Barbaros quosdam Lilybeo scitote advocatos esse operarios; hi denique illud, ignari totius negotii ac religionis, mercede accepta sustulerunt. Quod cum ex oppido exportaretur, quem conventum mulierum factum esse arbitramini? quem fletum majorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, cum illa eadem Diana Segestam Carthagine revecta, victoriam Populi Romani reditu suo nunciasset. Quam dissimilis his dies illi tempori videbatur? Tum Imperator Populi Romani vir clarissimus Deos patrios reportabat Segestanis ex urbe hostium recuperatos. Nunc ex urbe sociorum Prætor ejusdem Populi turpissimus atque impurissimus eosdem illos Deos nefario scelere auferebat.*

Item pro Sextio n. 37. et 38. dissimiles sui, Metellique discessus rationes affert.

Sunt hæc alia Dissimilitudinis exempla pro Quintio n. 1. et 2. pro Rosc. Amer. n. 72. 88. pro Comœdo n. 7. 20. 6. Verrina n. 115. pro Cluentio n. 128. et 129. pro Dom. n. 130. in Vatinium n 9. in Pisonem n. 31. ubi Pisonis abitum et absentiam cum suo abitu redituque comparat. Item n. 37. et n. 51. ubi reditum suum cum reditu Pisonis per Dissimilitudinem comparat. Pro Plancio n 68. pro Sylla n. 8. Philip. 10. n. 20. pro Rab. Perd. n. 15.

EXER-

## EXERCITATIO.

*In morosam Stoicorum hominum severitatem, qui omnem etiam honestam animi oblectationem respuunt.*

Locus a Similitudine.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet Orator, Stoicos ut multis in rebus, sic in animorum cognitione peregrinos atque hospites extitisse.

Propositionem efferet per Interrogationem. Nam quid ineptum magis, quam rejicere omnem animi oblectationem?

Rationem afferet, quia ea est animi natura, ut assidua contentione frangatur.

Confirmationem petet a Similitudine, et 1. quidem a Parabola. Narrabit, ut Villicus terram fertilissimam natura sua, dum eandem assidue nimis fodit et excolit, fecerit sterilem. Ornabit Parabolam Hypotyposi, qua describet hominem in arando, in fodiendo, in serendo assiduum. Quo demum exitu? etc. Addet, hoc ipsum evenire in animis etiam natis ad ferendos studiorum fructus egregios, si nimium fatigentur.

2. Idem probabit per inductionem rerum tam naturalium quam arte factarum, quæ cessationem a labore postulant. Agri etiam feracissimi tertio quoque anno sinuntur requiescere. Arcus, si continuo tendatur, frangitur: res quælibet usu frequentiore conteritur.

3. Exemplorum collectione, puta, Lepidi, Catulli, Scipionis, Lelii, qui sapientissimi ha-

habiti ab omnibus relaxabant interdum animum, soliti per Brutorum hortos discincti ludere: B. Joannis Evangelistæ, quem in solitudine sua ferunt cum avicula collusisse; supremi etiam rerum omnium Conditoris, qui post sex dierum laborem, septimo tandem conquievit.

Concludet explodendo Stoicæ severitatis æmulatores.

## ORATIO.

Cum multis in rebus hospites ac peregrini haberi merito possunt illi Philosophi, qui severiorem quandam virtutis formam æmulati, Stoici vulgo nuncupantur; tum certe nunquam errasse gravius, aut turpius hallucinati fuisse visi sunt, quam cum certas regendis ac moderandis hominum animis præscribere leges voluere.

Agite enim vero, quid ineptum magis, aut ab ipsa animorum ratione magis alienum videri possit quam eosdem, quod factitabant illi pertinaciter, sic exercere rebus seriis ac gravibus, ut nullam ipsis ne honestam quidem relaxationem permittas.

Datur enim consensu omnium aliqua ætati cuilibet animi relaxatio, quæ si moderate adhibeatur, neque præscriptos honestatis limites excedat, non modo non rejicienda, sed utilis etiam ac necessaria videatur. Nam quis tam rudis et imperitus, qui nesciat, eam esse animorum indolem, ut contentione assidua debilitentur plurimum atque etiam infringantur, ne dum confirmentur aut invalescant?

Erat

Erat Agricolæ cuipiam uberrimum, si quod fuit in tota vicinia, solum. Illic veniebant feliciter segetes, uvæ, poma, et suavissima cujuscumque generis fructuum copia succrescebat. (*Similitudo per Parabolam*) Hic lucri avidus inter paucos, et ubertatem terræ expertus non semel, minime cessabat agrum excolere, et nunc arando, modo fodicando, jam serendo fatigare. Nullam partem anni a labore vacuam abire patiebatur: nullus etiam inter multos dabatur annus, quo nativo exhausto succo, et molli decocta pinguedine, terra tantisper conquiesceret, et amissas frequentiore partu vires repararet. Quid demum putatis evenisse? vel quos assiduæ culturæ fructus tulisse Agricolam arbitramini? An ferax ille natura sua et pinguis ager factus est perenni cultu fertilior? an uberiores singulos in annos fruges protulit? an herum ditavit aut locupletavit suum? Nihil minus: hæc una fuit tam inepti laboris merces, hoc stultæ aviditatis præmium tulit, ut agrum arefaceret, excoqueret, labefactaret. Quid aliud consequimini, amabo vos, insani, quotquot estis, animorum cultores? quem habet finem illa, quam adhibetis perpetuo, exercitatio gravis ac seria? quo demum exitu felices illi, et ferendis quibuscumque studiorum fructibus pares animi pertractantur a vobis, nisi ut serius ocius hebescant et obtundantur?

(*Similitudo per Inductionem*) Ignoratis igitur quod ipsa nostris quotidie oculis natura subjicit? Attendite enimvero, quam uberrimi etiam et soli pinguioris agri culturam pa-

patiantur. At non, nisi quiescere illos identidem siveris, arescant continuo, et sua dominum expectatione destituant? Quid in artefactis peritissimum rerum magistrum usus atque experientia commonent? Arcus si tenditur semper, illum frangi videas, aut certe multum enervari: duriora marmorea crebriore frictu minuuntur: res quælibet assiduo nimis usu aniteritur ac deperit. Et hanc putatis esse solius animi conditionem, ut nullis debilitetur exercitationibus, ut perenni contentioni resistat, ut repetitis quantumlibet laboribus succumbat numquam aut vincatur?

(*Similitudo per Collectionem Exemplorum*) Tamen haud ita sentiebant viri ætatum omnium judicio sapientissimi: alium sibi vestra disciplina morem ineundum putaverunt: non tam rigidum virtutis ipsius cultum profitendum censuere. Non Crassi, non Lepidi, non Catuli, non Scipiones, non Lælii, quos honesta interdum oblectatione relaxasse animum legimus: imo, si quid Tullio creditur, discinctos lusisse nonnunquam, et posita ad tempus, quæ Magistratus decet, gravitate, pene dixerim puerorum instar per Brutorum hortos discursasse.

At tunc etiam, severæ si quis es ejusmodi doctrinæ, æmulator tu ne id reprehendes in nobis, quod vel ab ipso B. Joanne novimus factitatum? Tu rejicies et amandabis procul a vita oblectamentum omne, quod nec ipse, austerissimæ sanctitatis exemplar, amantissimus Christi Discipulus abhorruit? Tu acerbius illum increpabis, qnod in media rerum æter-

æternarum contemplatione cicurem foveret avicülam, et cum ea identidem colluderet?

Aude etiam et ipsum supremum rerum omnium artificem aut inertiæ aut languidioris otii Deum accusare. Cessatorem urgere, et oscitantem increpa, quod sex in orbe fabricando dies cum posuisset, septimo tandem ab omni opere conquieverit. O temeritatem inauditam! o imprudentiam singularem! o ridiculam et omnium sibilo explodendam sapientiam!

Desinant ergo fucum facere intempestivi, si qui sunt, obtrectatores; personatam illam severitatem exuant; aut si morosa ipsos indoles tantopere delectat, suis conclusi tenebris, viros licitis frui oblectamentis patiantur.

## ALIA EXERCITATIO.

*Labor improbus omnia vincit.*

Adhortatio ad Juventutem studiosam, ut ad capessendas liberales Artes diligenter incumbat.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Commendabit Orator Divinam Providentiam, quæ varia hujus vitæ bona mortalium laboribus redimenda proposuit.

Rationem afferet: quia alioquin molli in otio consenescerent, si nullo suo labore votorum compotes fierent.

*Propositio.* Dicet, hoc saltem habere nos solatium, quod nihil non assequi labore nostro liceat.

Con-

Confirmationis prima pars petetur a Parabola adolescentis cujusdam, cui pater moriens agrum liquerat hereditatis loco, sed eumdem incultum. Describet per Hypotyposim et Ethopœjam, ut grandi labore deterritus Adolescens otiari mallet, quam agrum exercere; donec adfuit consultior quidam, qui ita divisit agrum breves in portiunculas, ut singulas singulis diebus arandas adolescenti proponeret: quod ille dum exequitur ultro, totum brevi excultum agrum vidit. Mox conversa ad studiosam juventutem oratione, eam hortabitur, ne deterreatur rerum discendarum multitudine; sed in singula, quæ proponuntur, tantum incumbat cum ea expectatione, quæ laboris assidui mercedem adpromittat.

Secunda pars ducetur ab Inductione rerum multarum, quæ labore comparantur. Agri steriles et infructuosi, dum exercentur, fertiles fiunt; crassa et impolita marmora in statuas egregias assurgunt, lapilli rudes et informes pretiosas in gemmas mutantur.

Tertia pars petetur ab Exemplis Demosthenis, qui linguæ difficultatem labore vicit; Ciceronis, qui homo plebejus ad summum laudis ac dignitatis apicem pervenit; Socratis, qui nonagenarius didicit ludere fidibus.

Concludet, nemini de re qualibet esse desperandum, si parcere labori noluerit.

## ORATIO.

Cum multis in rebus incredibilis quædam divinæ providentiæ sapientia virtusque singularis elucet; tum certe mirabilis semper visa est, cum varia hujusce vitæ bona ita morta-

libus comparanda proposuit, ut eadem laboribus ipsorum vendere quodammodo videretur.

Quotus enimvero quisque hominum est (adeo pigrum in otium turpemque omnes in desidiam inclinantur) qui, si fieri votorum compos, et nullo suo labore assequi posset, quod ambit, otiari potius et indulgere genio eligat, quam inanibus sese curis nihilque profuturis laboribus macerare?

Verum in hac ipsa, quæ singulis hominum imposita est, laboribus exercendi necessitate, hoc saltem nobis relictum est non leve conditionis nostræ solatium, quod nihil invium laboriosæ industriæ, nihil inaccessum existat.

(*Similitudo per Parabolam*) Hoc erat profecto, quod persuadere filio volebat pater quidam familias non imperitus, et in ipsa sui ruris asperitate ac solitudine non vulgaris sapientiæ cultor diligens ac studiosus æmulator. Is moriens adolescenti filio agrum testamento reliquerat pinguem illum quidem natura sua ac feracem in primis, sed eumdem tam incultum, tam neglectum ab omni parte, nihil ut præter spinas et inutiles carduos exhiberet. Doluit non mediocriter adolescens, et illusum sibi ratus a patre, suam verissimis lacrymis sortem deplorabat. Frustra admonebant ruris illius incolæ, esse naturam soli uberrimam; venturus illic non pœnitendus fructus, si cultura diligens accederet; experiretur ipse tantum, et operi manum admoveret. Obsurderat tam sapientibus monitis laboris impatiens adolescentior, et se oneri tanto imparem dictitans, totos dies aut somno aut inertia turpi conterebat. Adfuit inter

inter ceteros quidam consultissimus, qui juvenis illius vicem miseratus, ita sefellit ipsius ignaviam, ut laboris atque industriæ studium accenderet. Nam cum advertisset, hominem difficultate ac diuturnitate deterritum a labore cessare; agrum, qui arandus juveni incumbebat, varias sic divisit in partes, ut portionem exiguam singulos in dies excolendam tantum proponeret. Quod ille ex longa veluti difficultate recreatus ultro volensque dum perficit, intra breve tempus purgatum sentibus ac carduis agrum vidit, et ad excipiendas fruges optimas easdemque magno cum fœnore reddendas comparatum.

Atque hoc utinam persuadere sibi vellent, quicumque liberalibus disciplinis dant operam adolescentes ingeniosi! Viderent illi, quam inanem obtendant socordiæ suæ causam, dum expostulant, obrui se rerum discendarum multitudine, neque ætatem tam teneram ferendis tot laboribus parem esse. Evanesceret brevi illa difficultatum moles, si rebus ipsis, quæ perdiscendæ singulos in dies incumbunt, attenderent diligenter, eumque post aliquot annos laborum suorum fructum experirentur, ut illius, cui navassent operam, facultatis perfectionem aliquam absolutionemque attigissent. Enimvero quid assiduus improbusque labor tandem aliquando non assequatur!

(*Similitudo per Inductionem*) Ubinam gentium est solum aliquod tam ingratum ac sterile, quod si vertere sæpius, arare, bonisque inserere frugibus diligens agricola voluerit, suos aliquando fructus non ferat, eosque mi-

minime pœnitendos? Est aliqua massa tam rudis, marmor aliquod tam impolitum, truncus aliquis tam informis, unde vel Mivervæ, vel Jovis, vel Alexandri simulacrum egregium non prodeat, si sedulus ac diligens aut Phidiæ, aut Praxitelis, aut Polycleti labor accesserit? Aurum ipsum, tam speciosum, tam splendidum, micat oculis, quin esset aliud, quam frustum aliquod asperum et informe, nisi coctum sæpius ac recoctum, nisi reditum incudi centies suum a labore decus ac pretium accepisset? Quid dicam de lapillis illis pretiosissimis, qui terrestria veluti totidem astra haberi possunt? unde, amabo, lucem suam splendoremque mutuantur, nisi ab artificum industria, qui tanto majorem ac longiorem in iis perpoliendis operam impendunt, quanto illustrius cetera artium ornamenta pretio ac dignitate superant?

Verum ista videri fortasse poterunt obscuriora, quamdiu sine appositione exemplorum disputabuntur. Agite ergo: quibus tandem gradibus Demosthenes ad tantam Eloquentiæ laudem ac famam pervenit? Videbatur ille tam alienam nactus indolem ab ea dicendi facultate cui studebat, propter linguæ quo laborabat, vitium, ut ne primum quidem sui nominis apicem valeret pronunciare. Accedebat tam absona, tam invenusta vocis exilitas, ut tacendi potius quam loquendi partes homini ad agendas causas ineptissimo convenirent. (*Similitudo per Exemplorum Collectionem.*) Tamen vicit assidua contentione difficultates illas Orator laboriosus, et appositio sub lingua calculo, contentaque sæpius

ad

ad rupes et montes voce, sic impeditam dissolvit linguam, et exilem vocis naturam firmavit, ut nemo felicius ageret aut loqueretur.

Quæ spes relicta videbatur plebejo homini, ut ad primos dignitatis gradus aliquando assurgeret, rerumque adeo summa potiretur, nisi hoc labore suo atque industria Tullius perfecisset? Adeo nihil est rerum omnium, quod longo studio et assidua contentione comparari non possit!

Mitto dicere de Socrate, qui nonagenarius jam senex non dubitavit operam dare fidibus, quibus in exercendis ita profecit labore ac vigilantia, ut Musicorum nemini cederet.

Et erit deinceps quispiam, qui Literarum salebras adeo reformidet, ut otiari turpem in modum malit, quam laudabili studio ac labore excutere soporem at veternum, et se ad assequendum quod est in unaquaque arte præstantissimum, comparare? Macte igitur animo, Adolescens ingeniose, quisquis es: ne te deterreat in Literarum studio quidquam, quantumvis durum atque asperum, quo minus ad illud superandum vim omnem inginii, quam habes, atque solertiam adhibeas.

## EXERCITATIO.

*Paterfamilias morti proximus ad filios de tuenda inter fratres concordia.*

Locus a Dissimilitudine.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet, nihil habere se, quod commendet filiis impensius, quam ut tueri inter fratres concordiam conentur. Ra-

Rationem afferet: quia nihil est, quod tam ad omnium et singulorum gloriam ac felicitatem juvare possit.

Confirmationem petet 1. a Parabola: narrabitque, quod fecit pater, qui virgarum fasciculum filiis porrigens jussit, ut bacillos singulos alios post alios frangerent; quod fecerunt illi labore nullo, cum fasciculum ipsum disrumpere non potuissent.

2. Per Inductionem petitam ab arte factis et naturalibus: ruunt fornices, si avulsus e tota mole lapis vel unus fuerit: ipsa mundi fabrica labefactabitur, si desierit esse partes inter singulas concordia, per quam subsistunt. Bona habitudo corporis pendet ex nexu atque unione partium, quæ si dissolvitur, ruinam affert toti corpori.

3. Ab Exemplorum collectione. Successores Alexandri Magni res ab ipso partas tueri non potuerunt, quia servare concordiam non voluere. Eteocles et Polynices dissidentes inter se Regnum Thebanum perdiderunt. Romani, dum bellis civilibus indulgent, extremam toti Imperio perniciem attulere.

*Conclusio.* Videte ergo, quam concordes vivere vos oporteat, etc.

## ORATIO.

Proximum adesse mihi vitæ finem natura deficiens admonet, Filii carissimi. Vixi hucusque pater satis, neque habeo quidquam de Superis quod querar. Si quid ultra superest optandum mihi, unum hoc precabor, ut quales esse vos semper ambierim, dum vixi, tales pergatis esse, postquam e vivis exces-

excessero. Quapropter nolite exspectare, vobis ut aliud præcipiam, aut commendem jam jam moriturus, quam quod præcipi vobis a me tam sæpe, tam enixe commendari hactenus audistis. Vivite concordes, Filii amantissimi, pacem colite diligenter, et mutua fratres caritas perenni vinculo cunctos adstringat.

Nihil ego vobis concordia melius vel dare, vel precari possim: hic certum nomini vestro decus, ampla rebus vestris copia, perpetua consiliis vestris felicitas adspirabit. Nemo vos lacessat umquam, qui conjunctos norit; vel damno sentiat suo, quam frustra vis unita fratrum oppugnetur: quos si quid olim dirimeret, viribus singuli ne fidite, non est uspiam contra rixas aut simultates præsidium.

Hoc erat, Filii amantissimi, quod liberis olim suis pater quidam familias innuebat. Is, uti jam ego sum, morti proximus, virgarum fasciculum filiis disrumpendum obtulit. Nihil illi vel seorsim singuli, vel conjunctim omnes viribus, quidquam profecere. (*Dissimilitudo per Parabolam*) Tum pater, soluto fasce, virgas easdem alias ex aliis jubet infringi. Quas conatu nullo conjunctas rumpere non potuerant, divisas semel ab invicem disrumpere: adeo concordia res parvæ stare possunt, discordia maximæ dilabuntur.

(*Dissimilitudo per Inductionem.*) Attollite oculos, Filii carissimi, suscipite ingentem illum fornicem, quo tota domus hujus nostræ moles innititur. Unde librari tenues in auras ac veluti suspensi tot lapides contra vim innatam, qua deorsum feruntur, resistunt tamen

ac

ac perstant; nisi quod catenati simul ac vincti sese invicem tuentur ac sustinent? Unum aliquem a reliquis avellite, continuo fornix ipse corruat, et totam domum, quam fulcit, secum in ruinam trahat.

Video vos omnes hodie firmo robustoque corpore: nemo vestrum est, qui spem longioris vitæ patri non afferat: quem utinam voti compotem Superi faciant! At quid lætam, amabo, vegetamque in vobis valetudinem efficit, efficietque deinceps, ut pollicetur sibi pater? nempe ille nexus felixque partium concordia, quæ, se dum invicem adjuvant, et suas unaquæque vices obeunt, bonam toti corpori habitudinem et sanitatem incorruptam conciliant: qui nexus quoniam in me jam dissolvitur, neque suis deinceps vacare officiis propter ingravescentem ætatem possunt partes singulæ; idcirco, Filii, fatiscit pater, et valedicere vitæ cogitur.

Sed quid ego vos moror? ipsam hanc mundi tam mirabilem fabricam diligentius contemplamini. Putatis molem illam, quæ tam variis ex rebus tamque repugnantibus elementis coalescit, in eodem statu diu conservandam, nisi temperata singularum partium concordia præstaret orbi-toti perennitatem, et perpetuus tam stupendæ varietati nexus famularetur?

(*Dissimilitudo per Exemplorum Collectionem*) Hujus porro rei tam necessariæ vitio, quis memoret, Filii carissimi, quam multa non modo privatorum hominum familiis, sed maximis etiam imperiis mala evenerint? Dum ambitioni, invidiæ, simultatibus serviunt Alexandri

xandri Magni successores; partas invicti Principis virtute totius Orientis opes atque Provincias brevi perdidere. Si mutuam inter se fidem, et, quæ fratres decebat, concordiam servare potuissent Eteocles et Polynices; neque infestis sese invicem animis atque armis confodissent, neque acceptum a patre regnum evertissent. Et illi gentium victores dominique totius orbis, Romani, dum conspirantibus omnes studiis Rempublicam administrarunt, quantam imperio gloriam peperere! iidem, ubi semel propriæ laudis æmulatio dissociare cœpit voluntates civium, quantam rebus suis cladem atque perniciem attulerunt!

Ex iis atque aliis, quæ proferre possim, simultatum incommodis, documentum capite, Filii carissimi, quod ex usu vobis sit: fugite ab illa peste, quæ tot importat mala; fovete diligenter paribus omnes studiis tot bonorum procreatricem concordiam. Hoc ego vos, per amorem illum tenerum, quo dilexi unumquemque, per amplexus illos, quos singulis moriens divido, precor atque obtestor. Sit illud mihi etiam post suprema fata solatium, me cultores pacis et amantes concordiæ filios genuisse.

## CAPUT VII.

### *Locus ab Oppositis, seu Contrariis.*

*Quid sunt Opposita, seu Contraria?*

*R.* Sunt ea, quæ in eodem subjecto vel esse non possunt, vel si in eodem fuerint, necesario inter se pugnant.

*Quot*

*Quot sunt Contrariorum genera?*

*R.* Quatuor vulgo nominantur: Adversa, Relata, Privantia, et Negantia.

## ARTICULUS I.

### *De Adversis.*

*Quid sunt Adversa.*

*R.* Sunt ea, quæ inter se maxime distant, et ab eodem subjecto se expellunt: ut virtus et vitium, calor et frigus.

*Quomodo probares ab Adversis, expetendam esse temperantiam?*

*R.* Hoc modo. Odiosa est intemperantia; ergo temperantia est expetenda.

*Quomodo amplificandus est hic Locus?*

*R.* Demonstrandum est breviter, Contrariorum contrarias esse rationes; quamquam hoc sæpe, quasi manifestum, probari non eget. Deinde contrarietas in multis ostendenda: et hic præsertim insistendum.

*Quomodo variandus est hic Locus?*

*R.* Tribus præcipue modis. Primus est, quo verba verbis opponuntur. Exemplum habes apud Ciceronem Catil. 2. nu. 25. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor, hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: denique æquitas, temperantia et fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: postremo copiæ cum*

*cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit.*

Et pro Rosc. Amer. n. 75. *In urbe luxuries creatur, ex luxuria avaritia existat necesse est, ex avaritia erumpat audacia, inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra est.*

Item Verr. 4. n. 192.

Secundus modus est, cum Membra Membris opponuntur, ut Verr. 5. a n. 2. ad 7. *Nam qui hoc sibi sumpsit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinarit?... Furem aliquem, ac rapacem accusaris? vitanda tibi semper erit omnis avaritiæ suspicio. Maleficum quempiam adduxeris, aut crudelem? cavendum erit semper, ne qua in re asperior, aut inhumanior fuisse videare. Corruptorem, adulterum? providendum diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat. Omnia postremo, quæ vindicaris in alieno, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne objurgator quidem ferendus est is, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur.... Fidem in vita sanctissimam qui putat, potest ei non inimicus esse, qui Quæstor Consulem suum, consiliis commissis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis, spoliare, relinquere, prodere, oppugnare ausus sit? Pudorem, et pudicitiam qui colit, potest*

*animo*

*animo æquo istius quotidiana adulteria, meretriciam disciplinam, domesticum lenocinium videre? Qui religiones Deorum immortalium retinere vult, ei, qui fana spoliarit omnia, qui ex thensarum orbitis prædari sit ausus, inimicus non esse qui potest? Qui jure æquo omnes putat esse oportere, is tibi non infestissimus sit; cum cogitet varietatem, libidinemque decretorum tuorum? etc.*

Et pro Roscio Amerino, n. 88. *Restat, Judices, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roscium occiderit: is, ad quem morte ejus divitiæ venerint; an is, ad quem mendicitas: is qui antea tenuis fuerit; an is qui postea factus sit egentissimus: is qui ardens avaritia feratur infestus in suos; an is qui semper ita vixerit, ut quæstum nosset nullum, fructum autem eum solum, quem labore peperisset: is qui omnium sectorum audacissimus sit; an is, qui propter fori judiciorumque insolentiam, non modo subsellia, verum etiam urbem ipsam reformidet: postremo, Judices, id quod ad rem, mea sententia, maxime pertinet, utrum inimicus potius, an filius?*

Item pro Cœlio, num. 12. *Utebatur hominibus improbis multis:* (de Catilina loquitur) *et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. Erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam industriæ stimuli quidem ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam studia rei militaris. Neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex con-*

*contrariis, diversisque inter se pugnantibus naturæ studiis, cupiditatibusque conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? Quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hostis huic civitati? Quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus potentior? Quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? etc.*

Item Phil. 2. n. 31.

Tertius modus est, cum Periodis Periodi opponuntur; cujus exemplum esse possit laudatum jam Exordium Verrinæ 5. a n. 1 ad 7.

Et Oratione pro Lege Manilia, num. 11. *Majores vestri sæpe, mercatoribus ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt: vos tot civium Romanorum millibus, uno nuncio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Græciæ lumen, extinctum esse voluerunt: vos eum Regem inultum esse patiemini, qui Legatum Populi Romani, Consularem, vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi civium Romanorum libertatem imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos Legatum Populi Romani, omni supplicio interfectum, inultum relinquetis? Videte, ne, ut illis, pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere; sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri ac conservare non posse.*

Et Oratione post Reditum in Senatu, n. 2. *Quod si carissimos parentes habere debemus, quod ab iis nobis vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est: si Deos immortales, quorum beneficio et hæc tenuimus, et ceteris rebus aucti sumus: si Populum Romanum, cujus honoribus in amplissimo consilio, et in altissimo dignitatis gradu, atque in hac omnium terrarum arce collocati sumus: si hunc ipsum ordinem, a quo magnificentissimis decretis sumus honestati: immensum quiddam et infinitum est, quod vobis debeamus, qui vestro singulari consilio atque consensu parentum beneficia, Deorum immortalium munera, Populi Romani honores, vestra de me multa judicia, nobis omnia uno tempore reddidistis.*

## EXERCITATIO.

*Orator coram Salomone alteram e mulieribus, quæ ad ipsius tribunal venerant, falsam matrem arguit, quod Infantem vivum, quem ambæ repetebant, geminas in partes dividi postulasset.*

Locus ab Adversis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Mater se prodit sua erga liberos caritate; ergo per contrariorum regulam, Mater illa non est, quæ in eosdem crudelem se probat.

2. Per interrogationem cum Subjectione junctam dicet, nihil magis esse contrarium mater-

maternis affectibus, quam velle et impetrare mortem illius, quem filium suum vindicet.

Confirmationem petet ab Adversis. 1. Verba verbis opponendo: Filium repetere, eumdem interimere, alterum pietatis, alterum immanitatis est. Hinc pugnat honor, illinc odium, etc.

2. Membra membris opponendo, per expositionem ostendet, illam non esse matrem, quæ contrarios maternæ pietati sensus exhibeat: per Antitheses. Matres filios suos enutriunt; hæc enecat: etc.

3. Periodos Periodis opponendo. Vidimus matres, quæ, ne quid infantes sui paterentur, nihil non pertulere, quæ etc. Hæc vero matrem se audet profiteri, quæ etc. Paria membra adjiciet, quæ priori periodo respondeant.

*Conclusio.* Facessat ergo crudelis illa mulier, etc.

## ORATIO.

(*Adversa.*) Cum ea sit materni affectus indoles, et ab ipsa natura insita vis, Rex sapientissime, ut eximia in liberos caritate statim se prodeat; necesse est profecto, ut, quæ alienos ab amore materno sensus præseferat, illa nihil matris habere, ne nomen quidem, judicetur.

Quo igitur pacto mulier illa matrem se probet, aut quo tandem jure filium in hoc puero repetat aut vindicet suum, quæ in eumdem tam dura, tam crudelis, tam barbara sit? Age enim: te ipsam compello, mulierum omnium maxime impia: an non te satis

matrem

matrem abnegasti, cujus ex ore sceleratissimo dira in hunc pu[illegible]um sententia modo lata est: *Neque mihi, neque tibi, sed dividatur?* Nam quid pietati maternæ oppositum magis, quam sic affectam videri te erga eum, quem a te genitum mentiris, ut eumdem non patiare modo crudeliter trucidari, sed tristissimum illud spectaculum siccis oculis aspicias, et ipsa tam immanem carnificinam jubeas exerceri?

(*Adversa per Oppositionem Verborum verbis*) Equidem filium tuum dum repetis, dum sapientissimi Regis æquitatem appellas, matrem agnosco, materna sentio viscera; at eumdem carnificis furori dum permittis, dum medium dividi ante oculos jubes, novercam intelligo, mulieris alienæ sævissimam immanitatem exec[illegible]ror. Ex altera quidem parte favent tibi pugnantque pro te quædam maternæ pietatis officia; ex altera te falsitatis ac mendacii arguunt immanissimi barbaræ mulieris sensus: hinc certat amor, illinc odium: hinc caritas, illinc impietas: hinc misericordia, illinc ferocitas. Imo, imo vincit amorem odium, pietatem scelus, misericordiam immanitas superat. Nam si tu mater, mulierum crudelissima, quæ noverca tandem, quæ parricida censebitur?

(*Adversa per Membrorum Oppositionem*) Sed quid te moror Regum sapientissime, qui pro tua incredibili sagacitate fictam a vera matre satis internoscis? Matres quos genuere, eos nutriunt; illa, quem genitum a se profitetur, jubet enecari. Matrum viscera vel ad levissimos infantis dolores commoveri solent,

solent; illa præsentissimo infantis miseri periculo non tangitur. Nulla mater umquam audita est, quæ nullo cupidit is æstu incitata in filium ferox deliberata voluntate extiterit; illa sponte tranquilloque animo filium morti devovet.

(*Adversa per Periodorum Oppositionem*) Vidimus matres, quæ, ne carissimo uteri sui pignore spoliarentur, aut æternis abdidere se latebris, aut irrupere medios inter armatorum hominum cuneos, aut ardentes inter rogos insiliere, aut filiorum vitam servare cum non possent, eadem se trucidandas manu objecere. Et illa pueri hujus infortunati mater reputabitur, quæ carere illo ultro lubensque patiatur; quæ, servare illum cum possit, morti objiciat; quæ, nullo ipsum persequente aut ad pœnas repetente, crudelissimum ipsa supplicii genus irroget; quæ deniquæ insolens et inauditum ad hunc usque diem ferocitatis exemplum futuris ætatibus relinquat?

Facessat ergo suppositita mater, et crudelissimi mendacii pœnas ferat: aut si vera ac germana mater, immanissimas inter feras procul mandetur.

## ALIA EXECRITATIO.

*Ab Adversis.*

Consolatio ad Senecam, cum jussu Neronis, cujus adolescentiam instituerat, ad mortem damnatus esset.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Sumet Orator ab Adversis: dicetque non debuisse ipsum aliud institutionis suæ præmium a Nerone expectare. Pro-

Probabit allatam Propositionem ab Adversis. Ille non debuit ferre te in vita diutius, cujus vitam et mores tam verbis quam moribus arguebas; sed vitam et mores ejus verbis et moribus arguebas; ergo, etc. Incipiet a Propositione, quam tractabit a Contrariis. Nam quæ societas esse poterat etc. Hic Verba verbis opponet, Neronis vitia virtuti Senecæ opponendo.

Deinde veniet ad Assumptionem, quam tractabit pariter Sententias sententiis opponendo. Tu pietatem in parentes; ille etc. Tu mansuetudinem in cives commendabas; ille etc. et sic deinceps sanctos Senecæ mores cum prava Neronis agendi ratione comparando.

Concludet, consolando Senecam a Contrariis, Periodos Periodis opponendo. Non potuisses videre Neronem furentem in cives, in fratres, in conjugem, in matrem, quem ad virtutes tam contrarias institueras, etc.

## ORATIO.

(*Adversa*) Etsi non debuit esse tam luctuosus institutionis tuæ fructus, sapientissime Seneca, ut pro laude contumeliam, odium pro benevolentia, pro mercede supplicium reciperes; tamen qui vel a teneris perviderās Neronis animum, projectam ad gravissimum quodque nequitiæ genus voluntatem, tu nihil præter mortem, vel quidpiam ipsa morte crudelius, habebas, expectandum. (*Adversa per Verborum Oppositionem*) Nam quid aliud vir integerrimus a nequissimo Principe, quid studiosus in primis moderator

derator a juvene ferocissimo sperare poterat, nisi ut eum de medio tolleret, quem tam adversum suis moribus, et quotidianum pravitatis suæ censorem experiebatur? Quæ enim societas esse poterat pudoris cum petulantia, pudicitiæ cum libidine, pietatis cum scelere, æquitatis cum injustitia, humanitatis cum crudelitate, rationis cum amentia, virtutum deinde omnium cum turpissimo vitiorum comitatu.

(*Adversa per Membrorum Oppositionem*) Tu pietatem in parentes, benignitatem in propinquos, humanitatem in omnes persuadebas; ille furorem in omnes bonos, sævitiam in domesticos, in propinquos immanitatem, parricidium in parentem meditabatur. Tu continentiam magnis in opibus, liberalitatem, magnificentiam extollebas; ille turpissima depravatus avaritia, non modo nihil largiebatur de suo, sed quibuscumque privatorum hominum fortunis inhiabat. Tu auream rebus in singulis temperantiam, in judiciis æquitatem, in plectendis etiam nocentibus commiserationem servandam esse dictitabas: ille nec inflecti innocentium lacrymis, nec æquitatis habere rationem, nec ullam in agendo servare moderationem aut sustinebat, aut etiam noverat. Tu refrænandas libidines, cupiditates coercendas, pudorem ac pudicitiam excolendam non moribus minus quam verbis prædicabas: ille corpore pariter atque animo corruptus ac perditus volutabat se se voluptatum in cœno, et obscœnissimas quasque libidinum sordes sectabatur.

(*Adversa*

(*Adversa per Periodorum Oppositionem.*) Noli igitur queri, vir sapientissime, quod tam immisericorditer ab eo morti sis addictus, qui salutem tuam, si fuisset aliquando periclitata, suo etiam Imperio ac capite redimere debuisset. Felicem te, qui ad ultimam sceleratissimamque Neronis ætatem non perveneris. Mori certe tibi longe antiquius duxisses, quam vivere his miserandis Reipublicæ temporibus. Quid tu sustinuisses Imperatorem nequissimum, evertentem aras, maternum in pectus ferrum exigentem? Vidisses illum perdentem suos, lapidantem Remp. vexantem Imperium, ferrum facesque patriæ inferentem; tu qui colere Deos immortales, pietatem in parentes fovere, populum et cives tueri, Remp. amplificare, defendere patriam docueras illum a teneris, et præclarissima quæque virtutum omnium præcepta instillaveras? Aliud dedisti, dum viveres, virtutis specimen: neque, ut eras animo comparatus, tibi placere vita hac conditione potuisset.

## ARTICULUS II.

### De Relatis.

*Quid sint Relata?*

*R.* Sunt ea, quæ se invicem spectant, ita ut unum sine altero intelligi non possit. Ita se habent pater et filius, dux et miles, præceptor et discipulus.

*Quomodo amplificatur et ornatur hic locus?*

*R.* Hoc illi commune est cum reliquis Contrariis, ut per Antitheses maxime exornetur.

*Quis*

*Quis est illius usus?*

*R.* Frequentissimus est, tametsi plerumque minus advertitur; quid enim magis commune est, quam comparare præterita cum præsentibus, filium cum patre? quam laudare subditum a rege, hospitem ab hospite, militem a duce. Valet autem præsertim hic locus in exordiis, quæ nisi sumantur a Relatis, vulgo debiliora sunt.

Exemplum Relatorum habes pro Rabirio Posthumo num. 2. ubi Tullius Rabirium excusat a patre: *Satis est homines imprudentia lapsos non erigere, urgere vero jacentes, aut præcipitantes impellere, certe est inhumanum: præsertim, judices, cum sit hominum generi prope natura datum, ut si qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere, qui sunt ejus stirpis, quod sermo hominum ad memoriam prodendam patrum virtute celebretur, cupidissime persequantur. Siquidem non modo in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius, sed etiam in devotione vitæ et etiam genere mortis imitatus est P. Decium filius; sint igitur similia, judices, parva magnis. Fuit enim nobis pueris, hujus pater C. Curius Princeps ordinis Equestris, fortissimus et maximus Publicanus; cujus in negotiis gerendis magnitudinem animi non tam homines probassent, nisi in eodem benignitas incredibilis fuisset, ut in augenda re non avaritiæ prædam, sed instrumentum bonitati quærere videretur. Hoc ille natus, quanquam patrem suum nunquam viderat, tamen et natura ipsa duce, quæ plurimum valet,*

*valet, et assiduis domesticorum sermonibus, in paternæ culpæ similitudinem deductus est. Multa gessit, multa contraxit, magnas partes habuit Publicanorum, credidit popilis, in pluribus provinciis ejus versata res est, etc.*

Sic in oratione pro Marcello num. 3. laudat Tullius et extollit factum Cæsaris a Relatis: *Ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria.*

Et pro Milone nu. 7. *Negant intueri lucem esse fas ei, qui hominem occisum esse a se fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum judicium vidit de capite M. Hortatii fortissimi viri, qui non dum libera civitate populi Romani Comitiis liberatus est cum sua manu sororem interfectam esse fateretur.*

Item Catilinaria 4. num. 21. ubi probare nititur a Relatis majorem se habuisse groriam, quod patriam ab interitu vindicasset, quam maximi Imperatores, qui rerum gestarum laude eandem honestassent.

## EXERCITATIO.

*Vir Nobilis, idem Senior ad Filium, cum ipsum ad primam Expeditionem bellicam Barcinonem in Hispaniam mitteret.*

Locus a Relatis.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Optabit, ut sibi per ætatem liceret adesse filio comitem, eumque exemplis magis quam verbis erudire. 2.

2. Admonebit ipsum a Relatis, ut meminerit sæpe, quibus sit ortus majoribus, et quam conspicuum rebus præclare gestis nomen gerat, caveatque proinde, ne ab antiqua majorum virtute degeneret.

3. Ab iisdem Relatis dicet, non defuturos ipsi commilitones, cui eum officii sui admoneant, eam esse Gallicæ nobilitatis laudem, ut nullum inertiæ locum esse patiatur.

4. Jubebit, ut oculos etiam in Regem Hispaniæ totius exercitus Imperatorem conjiciat: hinc fore ut intelligat, quanto quisque nobilior sit, tanto eundem generosiorem esse oportere.

Concludet hortando, ne Patris ipsius memoriam revocare pigeat, et ab ipso capere virtutis documentum.

## ORATIO.

Si mihi per ætatem et infractas bellorum laboribus vires liceret adesse tibi socium ac comitem, dum ad Barcinonensem expeditionem proficisceris; non ego te, fili charissime, commonendum verbis, sed factis potius ad magna quæque stimulandum arbitrarer. Verum quoniam affectæ jam male senectutis incommoda, et tristissimi, quos experior, longioris militiæ fructus, dulcissimum hoc parenti solatium eripiunt, ut inter armorum primitias moderari juventutem tuam et informare exemplo possit, excipe saltem ultro volensque isthæc virtutis documenta, quæ parentis absentis vice defungantur.

(*Relata.*) Ac primum recurrant frequenter animo fortissimi viri Majores tui, qui has, quas

quas capessis hodie, partes tanta cum laude sustinuerunt. Etenim circumstant te innumeræ Heroum imagines, quæ te oblivisci domesticæ laudis non sinant, quæ commoneant dies noctesque trahere te ab iis originem, quos actis retro temporibus omni virtutum genere cumulatos fuisse Annales nostri testantur. Tu factus es hæres illius sanguinis, qui per tot heroum venas fluxit, et continua ad te serie propagatus in clarissimos Imperatores pullulavit. Hujus ergo sanguinis integritatem atque nobilitatem vide, non dicam, ne ullo unquam flagitio polluas ac contamines, sed novo virtutum tuarum splendore distinguas magis et illustres: ut nominis illius, quod geris, partam tot egregiis facinoribus gloriam non obscures, sed spectatam magis ejusdem famam laureis ac triumphis efficias.

(*Relata*) Quanquam vel si deesse possent tibi potentissima quæque a majoribus tuis recte factorum incitamenta, haberes tamen in commilitonibus tuis eos gloriæ stimulos, qui te requiescere non paterentur, si in obeundis officii tui partibus deses aut ignavus esse posses. Est hæc enim Gallicæ juventutis indoles, ut nullum aut inertiæ, aut ignaviæ locum relinquat; felix ex omni parte fortunataque, si quam alacris, et comparata semper ad aggrediendum quidlibet, tam esset in agendo prudens ac moderata. Hujus tu porro, fili charissime, sic æmulare fortitudinem, ut temeritatem fugias; sic avidum laudis animum imitare, ut pravitatem ac corruptelam morum declines.

(*Relata*)

(*Relata*) Quod si volueris proponere tibi perfectissimum virtutum omnium exemplar, cujus ad normam ac regulam exigere vitam tuto possis, conjice identidem oculos in Philippum ipsum invictissimum totius exercitus Imperatorem. His sociatas felici communi vinculo videbis dotes omnes, quæ Imperatorem commendant! nihil in eo temeritas et audacia de fortitudine, imprudentia de maturitate, levitas de consilio, de magnificentia importuna gravitas, aut majestas de comitate vel humanitate deterit. Suus est ita cuique virtuti locus, ut nullum vitiorum commercium aut societatem admittant.

(*Relata*) Adderem hic de me ipso quidpiam, fili charissime, nisi jam in cæteris suffecissem tibi graviora multo laudis incitamenta. Tamen meminisse interdum patris non pigeat, et dum narrari de me quidpiam audies, cum aliqua virtutis commendatione, documentum inde cape, quanti sit eandem aliquando promeruisse.

## ALIA EXERCITATIO.

Amilcar Charthaginensium Dux, Filium Annibalem solemni ante aras sacramento adigit, ut nullam cum Romanis pacem unquam admittat.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Per Prolepsim, dicet non dubitare se, quin habeat in filio paternæ virtutis æmulatorem; at velle se id habere solatii, ut si quid sibi humanitus contigerit, hæredem relinquat sui in Romanos odii.

Deinde Propositionis locum suum in Romanos odium exponet, quod dicet accepisse se a majoribus hæreditarium, doliturus nisi eodem filius stimularetur.

Tum excitabit ipsum Carthaginensium exemplo, qui nihil aliud spirare viderentur, nisi Romanum sanguinem.

Mox per vehementem Adhortationem filium adiget ad eliciendum solemne sacramentum de facienda nunquam cum Romanis pace.

Concludet sperando fore, ut filius laborum suorum ac periculorum socius odisse Romanos assuescat.

## ORATIO.

Quanquam, fili amantissime, juvenili animo virtus insita et multis argumentis jam probata certissimam spem facit, fore ut acerrimum in te paterni exempli æmulatorem aliquando habebam; tamen si quid in eo bello, quod meditor, humanitus contingeret, non tam ultro, ut fatear, quod res est, concederem satis, nisi juratum hostem Romani nominis meique hæredem odii relinquerem.

Quod quidem, quale quantumque mihi cum illa gente vel ab ipsis ineuntis adolescentiæ temporibus extiterit, commemorarem ego pluribus, nisi gesta per tot annos bella, rejectæ toties conditiones pacis, instructus etiamnum hodie florentissimus exercitus satis declararent. (*Relata.*) Nam quod vitæ meæ tempus, aut quæ consiliorum meorum ratio ab inferenda Romanis clade vacavit unquam? aut quid prætermissum a me fuit ad hunc usque diem, ut invisum genti nostræ populum delerem penitus

tus atque extinguerem? Neque vero quidquam attinet, fili amantissime, retexerem hic operosius capitalis illius odii causas, quod non voluntate mea susceptum, quam hæreditario quodam jure a majoribus nostris acceptum gratulor. Hoc unum perpendere te velim, et singulari animi attentione considerare; ne, sicut Amilcari gloriosum fuit suscepta odiorum semina non fovisse modo diligenter, sed etiam provexisse, ita sit Annibali turpissimum quidquam ex eo vel torpore, vel negligentia remisisse.

(*Relata.*) Ipsa, ipsa te Carthaginensium nostrorum exempla stimulent, et accendant. Quotquot hic milites aspicis, tot juratos puta Romanorum hostes, tot Amilcares ad eorum ruinam ac perniciem incensos. Intuere, fili, vultus singulorum, oculos, orisque totius ac corporis habitum attentius considera; quid illa spirat nobilis ferocitas, quid ille generosæ mentis impetus loquitur? quid instructæ et erectæ ad feriendum dexteræ aut volunt, aut ambiunt præter Romanorum cædem ac sanguinem? Hinc disce, qualem esse te oporteat, qui regendis talibus viris ac moderandis destinere.

Quid igitur in mora est, quo minus ante istas Deorum immortalium aras capitales populo Romano jures inimicitias, quæ nullum nisi cum vita ipsa finem inveniant? Hoc a te repetunt sacramentum Majores nostri, qui sempiternam illam, quam ipsi consecuti sunt, nobisque transmisere, laudem ac gloriam Romanorum cladibus acceptam debent; hanc a te fidem postulant tot generosi milites, qui vitam

vitam suam pro communis patriæ salute ac gloria fortiter devovent. Hoc unum te erga se amoris monumentum precatur pater, qui te laborum suorum periculorumque comitem ac socium ultro dum adsciscit, id demum se consecuturum sperat, ut Romanos odisse jam tu assuescas.

## ARTICULUS III.

### De Privantibus.

*Quid sunt Privantia?*

*R.* Sunt ea, quæ opponuntur sicut habitus et ejus privatio. Ita se habent vita et mors, visus et cæcitas, lux et tenebræ, Mors enim est privatio vitæ, cæcitas visus, tenebræ lucis.

*Quomodo probares a Privantibus optandam esse mortem?*

*R.* Hoc modo. Vita misera est; ergo mors optabilis.

*Quomodo tractatur hic locus?*

*R.* Non tam dilatatur plerumque a Cicerone, quam urgetur pressius, et per modum sententiosi cujusdam axiomatis. Ita Cicero pro Milone num. 78. argumentum petit a Privantibus: *Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si mutetis per vos restitui posse, nolitis; et de ejus nece lata quæstio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset.*

Et Catilinaria 1. n. 20. *Quid est Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis eorum silentium? patiuntur, tacent. Quid expectas*

*ctas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis?*

Et pro Marcello n. 23. *Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans casus duntaxat humanos et incertos eventus valetudinis; et naturæ communis fragilitatem extimesco, doleo, cum Respublica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere.*

Item pro Cœlio n. 33. *Existat igitur ex ista familia aliquis, ac potissimum cæcus ille; minimum enim dolorem capiet, qui istum non videbit.*

Interdum tamen latius amplificari potest hic Locus, et ornari varietate figurarum; ut Oratione pro Cœlio n. 12. quem jam laudavimus in articulo de Adversis, ubi Catilinæ naturam multiplicem ac variam describit.

Et libro 3. de Oratore n. 8. felicem Crassum esse probat, quod mors illi clauserit oculos eo tempore, quo visus nihil erit ipsi nisi funereum quid objecturus. *Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriæ, grave bonis omnibus, sed ii tamen casus Remp. secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a Diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia Senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiæ, non exilium generi; non acerbissimam C. Marii fugam, non illam, post reditum ejus, cædem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria præstitisset.*

Item

Item pro Muræna n. 65. ubi Catonis Stoici, et Ciceronis Academici sententias privative opponit.

Et libro 1. Tuscul. Quæstionum n. 12. Cicero Atticum Epicuri discipulum fateri cogit, miseros mortuos non esse, si omnino nulli sint, ut illi credebant. *Jam mallem, Cerberum metueres, quam ista tam inconsiderate diceres. Att. qui tandem? M. Quem esse negas, eundem esse dicis? ubi est acumen tuum? Cum enim miserum esse dicis, tum eum, qui non sit, esse dicis . . . Att. Age, jam concedo, non esse miseros, qui mortui sunt, quoniam extorsisti, ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse.*

## EXERCITATIO.

Consolatio ad Homerum Poetarum principem, cum cæcus factus fuisset.

*Locus a Privantibus.*

Nihil est, quod oculorum usum requiras; ergo debes esse contentus tua cæcitate.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet Orator rem sibi fore difficillimam ad persuadendum, posse quempiam ea re facile carere, quæ in vita maxime expetenda est, si rem haberet cum alio, quam cum Homero.

*Propositio.* Dicet nihil esse, quod Homerus ereptam sibi oculorum facultatem doleat.

Confirmationem petet ex triplici capite.

1. Nihil est, quod Homerus illud desideret, quod

quod sibi commune esset non tantum cæteris hominibus, sed animalibus etiam vilissimis, maxime cum multa habeat, quæ nemo alius sibi vindicare possit; divinum ingenium, eruditionem, rerum omnium cognitionem perfectissimam.

2. Quia oculorum facultas nullam ipsi delectationem afferre possit, qua sine oculis frui non valeat; nihil enim videret, quod jam non viderit, atque etiam animo comprehensum habeat. Hortabitur, ut fruatur illa rerum notitia, quam assecutus est.

Quia id habebit commodi, ut multa mala non videat, quorum aspectus boni affliguntur: deteriorem in dies fieri hominum conditionem ac vitam.

*Conclusio.* Hortabitur, ut cæcitatem suam æquo animo ferat, tot instructus præsidiis ad damnum illud resarciendum.

## ORATIO.

Cum nihil in vita expetendum magis videri soleat, quam facultas oculorum, iis autem orbatum esse durius quiddam atque intolerabilius vulgus hominum existimet; ego certe dicturus hodie de cæcitatis commodis atque utilitate, difficillimi plenam operis provinciam aggrederer, si apud alium quemlibet, quam apud Homerum Orationem ejusmodi habendam esse intelligerem. Verum confirmat me mirum in modum ac recreat singularis præstantissimi viri probitas atque incredibilis sapientia; neque vereor coram eo laudare cæcitatem, qui jacturam levem arbitratur, aut certe

certe detrimentum ejusmodi inter mala gravissima non putat esse reponendum.

Liceat enimvero, vir præstantissime, prædicare de te palam, quod sentio; liceat conditionem illam tuam, quam imperiti homines miseriam arbitrantur, fortunatissimam appellare. Scilicet nactus ingenium, quod ad ipsam Deorum immortalium sortem atque naturam accedat, eruditionem adeptus ejusmodi, quam nemo hominum aut assecutus unquam est, aut deinceps assequi posse videatur: complexus animo perfectam rerum omnium destinctamque notitiam, tunc desiderandum cupidius illud arbitraris, quod tibi cum cæteris mortalium, probis pariter atque improbis commune sit; quo vilissima etiam animalia habere se glorientur; quod nullum deinceps tibi commodum, nullam voluptatem atque delectationem afferret?

Nam quid deinceps Horum juvent oculi, aut quid conferre demum vel ad utilitatem, vel etiam ad voluptatem posse videantur? Age enim, quid objiciant illi spectandum in rerum natura, quod non videris? quod penitius, quam contendere possit oculorum acies, non perspexeris? Quam illi veritatem aut pulchritudinem menti exhibeant, quam ante non senseris, de qua ingeniose, solerter, erudite non disserueris, Quod illi pariant novum oblectationis genus, qua orbatus etiam oculis frui facile non valeas? Retracta enimvero, quas informasti animo, accuratissimas eorum omnium, quæ sub aspectum cadunt, ideas, revolve tecum diligenter partam assiduo labore naturæ totius cogni-

cognitionem, cujus expressa tam fideliter in divinis operibus tuis vestigia admiramur; contemplare speciosas illas rerum omnium imagines, quæ multo pulchrius atque illustrius menti tuæ ornatæ videbuntur, quam vel a natura, vel ab arte possint decorari.

Quanquam vel si carendum sit tibi voluptate aliqua, quam facultas oculorum afferret; quam luctuosa te et ineluctabili necessitate eorundem orbitas exsolvit! Dicamus enimvero, quod res est, vir sapientissime, neque dubito, quin idem pro tua sagacitate jam diu senseris. Senescit sensim hominum genus, et deterior in dies nostra conditio fit. Quis porro deploret satis ac lugeat illam malorum eluviem, quæ magis ac magis orbem hunc nostrum inundat ac perdit? Quis effusam ubique vitiorum caliginem sine gravissimo acerbitatis sensu sustineat? Quis tam parum cupidus amansque probitatis, quem tantæ depravationis aspectus non offendat? Quæ dum ego contemplor attentius, non tam ereptos tibi a Diis immortalibus oculos, quam eosdem ab infami servitute vindicatos puto. Crescat enimvero, et augeatur in immensum hominum improbitas, nullam deinceps ab ea parte mœstitiam capies. Non videbis deformatam morum corruptela civitatis totius faciem, non inertem ac desidiosam adolescentiam, non intemperantem ac libidinosam juventutem, non virilem ætatem fluctuantem curis, ac solicitudinibus agitatam, non morosam et avaram senectutem: non lites, non jurgia, non dissensiones, non inimicitias, non bella, et alia id generis incommoda, quæ eadem videntibus

tibus graviorem afferunt ipsa cæcitate molestiam.

Hoc igitur accedat cæcitati tuæ solatium, vir præstantissime, et cum habeas tam multa, unde ereptam tibi oculorum facultatem consoleris atque etiam compenses, noli jacturam tam levem malorum in numero computare.

## ALIA EXERCITATIO.

### *Veras esse in paupertate divitias.*

Veræ divitiæ non sunt in divitiis positæ; ergo in paupertate.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet Orator, nihil esse, in quo fallantur homines gravius, quam in ea, quam habent, de divitiis opinione.

Rationem afferet, quæ Propositionem continebit, quia non in pecuniis, non in pretiosa suppellectili, etc. quæ tantopere illi æstimant, divitiæ reponendæ sunt.

Confirmationem ex ea ratione petet, quia isthæc omnia non habent, unde animum expleant: quam rationem tractabit per interrogationem, et per viam Negationis et Affirmationis. Age enim, quis demum divitiarum fructus? an ut contempleris in arca, etc.

Hoc ipsum illustrabit ditissimorum hominum exemplo, puta, Crœsi, Midæ, Crassi, qui quo haberent plura, eo plura appeterent; dicetque eos nunquam fuisse divites.

Denique dicet, illum vere fuisse divitem, qui in summa rerum indigentia contentus sua sorte oblatos ab Alexandro thesauros rejecerat. *Con-*

*Conclusio.* Pauperes consolabitur, quibus, si velint, contentos esse liceat.

## ORATIO.

Cum in rebus æstimandis errare graviter solet hominum genus, tum certe nunquam hallucinari turpius, aut a recta ratione sensisse quidquam visi sunt alienum magis, quam cum futilibus inanibusque momentis divitiarum nomen posuere.

Nam quæ est ista multorum in commemoranda pecunia, in jactanda pretiosa suppellectili, in recensendis latifundiis superba et insolens ostentatio? quo tandem jure divites appellant, ista qui habent, et in ejusmodi rebus aut consectandis aut assequendis curas, studia, contentiones collocant? Soli ne igitur divites, qui magnam vim auri et argenti, qui aurea tecta, qui villas, qui signa, qui tabulas, qui suppellectilem ac vestem infinite possident? Quid si nec divites quidem, quid si etiam pauperes merito nuncupandi videantur? Quem enim intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor in eo, cui tanta possesio est, ut ad beate liberaliterque vivendum contentus sit: qui nihil quærat, appetat nihil, nulla re egeat, nihil sentiat sibi deesse, nihil omnino requirat. Animus enim hominis oportet se judicet divitem, non vulgi opinio. Divitiarum fructus omnis atque utilitas in copia est: copiam declarat satietas rerum atque abundantia, quam qui non assequuntur, nunquam divites futuri sunt.

Nunc

Nunc vero date mihi unum aliquem ex pecuniosis illis et copiosis hominibus, cui satis illud sit, quod habet; qui satiatus omnino sit; qui nihil curet amplius; qui propter aviditatem pecuniæ nullum quæstum turpem faciat, neminem fraudet, decipiat, expilet. Revocate ex omni temporum serie, divitis alicujus memoriam, qui in summa rerum illarum, quas isti bona appellant, possessione laudabilem tenere patuerit continentiam. Crœsum scilicet divitem nuncupabis, qui regno locupletissimo non contentus instabili habendi plura cupiditate in extremum egestatis ac calamitatis discrimen devenit? Venditabis mihi Midam tanquam locupletissimorum hominum e numero, quem insanabilis auri argentique amor eo demum adduxit, ut medias inter opes crudeli fame ac siti tantum non interiret? Crassum vero inter homines ditissimos censebis reputandum, cui cum privato homini tantæ possessiones suppeterent, ut integro exercitui suis impensis alendo par esset, novos tamen in singulos dies thesauros aggerebat?

Quinam igitur divites dicendi sunt, si divites illi non debent appellari? Ille, ille dives erat, qui oblatas ab Alexandro ingentes pecunias in magna rerum indigentia sic rejecit, ut ipso etiam principe beatior ac fortunatior videri posset.

Vos ergo, quotquot tenues et exiles fortunas nacti estis, quantum vel ipsi vestra illa egestate atque inopia ad veras solidasque divitias præsidium habetis, quibus tam facile liceat, quod est divitiarum proprium, vestris rebus esse contentos? ARTI-

## ARTICULUS VI.

### De Negantibus seu Repugnantibus.

*Quid sunt Negantia, seu Repugnantia, seu Contradicentia?*

*R.* Sunt ea, quorum unum negat aliud; ut, est sapiens; ne igitur dicas insipientem vel non sapientem.

*Quot modis erui potest argumentum ex hoc loco?*

*R.* Duobus præcipue. Primus est, si duo Contradicentia secundum varios effectus, causas et adjuncta sumpseris, v. g. amor et odium sunt contradicentia, hinc sequitur, amoris effectus, causas et adjuncta odio repugnare. Ita recte concluderes: Non odit ille Deum, qui sæpe sacrificium cum magno pietatis sensu offerre consuevit, qui preces assiduas fundit, quem uberrimis lacrymis sibi propitium reddit, quem ut alii colant ac venerentur, omni studio ac diligentia contendit. E contrario autem: Si me amas, cur me verberibus excipis? cur criminaris? cur conviciis oneras? cur ut inimicum aversaris? cur jacentem erigere abnuis?

Alter modus est, si antecedentibus ac consequentibus adjeceris particulam *non*. Tunc enim argumentum facies a Repugnantibus: v. g. sol ortus est, ergo dies est: adde particulam *non*. Non sol ortus est, ergo non est dies.

Habes exempla apud Ciceronem Repugnantium plurima. Pro Cœlio n. 5. ubi probat a Repugnantibus falso objectum fuisse Cœlio,

quod apud suos probatus non fuisset. *Nam quod objectum est Municipibus esse adolescentem non probatum suis. Nemini unquam præsenti Puteolani majores honores habuerunt, quam absenti M. Cœlio, quem et absentem in amplissimum ordinem cooptarunt, et ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt: iidemque nunc lectissimos viros et nostri ordinis et Equites Romanos cum legatione ad hoc judicium miserunt cum gravissima atque ornatissima legatione etc.*

Et pro Sylla n. 83. probat a Repugnantibus, eum nullam habuisse in conjuratione Catilinaria partem: *Sed quid? Ego qui Catilinam non laudavi, qui reo Catilinæ Consul non adfui, qui testimonium de conjuratione dixi in alios, adeo ne vobis alienus a sanitate, adeo oblitus constantiæ meæ, adeo immemor rerum a me gestarum esse videor; ut, cum Consul bellum gesserim cum Conjuratis, nunc eorum Ducem conservare cupiam, et in animum inducam, cujus nuper ferrum retuderim, flammamque restinxerim, ejusdem nunc causam vitamque defendere **** Ego ille conjurationis investigator atque ultor certe non defenderem Syllam, si conjurasse arbitrarer.*

*Qui est usus repugnantium?*

*R.* Multiplex ac frequens. 1. Deservit hic locus amplificationi, ut probat laudatus n. 85. Pro Sylla. Item Ver. 7. n. 84. *Vide, quid intersit inter tuam libidinem, Majorumque auctoritatem; inter amorem furoremque tuum, et illorum consilium atque prudentiam.*

*tiam. Illi aditum literis Syracusanis ademerunt; tu maritimum imperium concessisti. Illi habitare in eo loco Syracusanum, quo naves accedere possent, noluerunt; tu classi et navibus præesse Syracusanum voluisti Quibus illi suæ urbis partem ademerunt, iis tu imperii nostri partem dedisti.*

Et pro Cœlio n. 45. probat non deditum ipsum fuisse amoribus, quia repugnat, tantam eloquentiam, quanta elucebat in Cœlio, stare posse cum amorum blandimentis atque deliciis. *Atqui scitote eas cupiditates, quæ objiciuntur Cœlio, atque hæc studia, de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse; fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate sæpe nimia, copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quidquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verum etiam cogitando possit sustinere* *** Et n. 74. *An hic, si se isti vitæ dedisset, Consularem hominem admodum adolescens in judicium vocavisset? hic, si laborem fugeret, si obstrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie versaretur? appeteret inimicitias, in judicium vocaret, subiret periculum capitis, ipso inspectante populo Rom. tot menses aut de salute aut de gloria dimicaret?*

Et pro domo sua n. 4. ubi probat, non fuisse se expellendum a Clodio, quem ejectum omnes boni duxerunt: quo carere Civitas se non posse profitebatur.

2. Hic locus orationem illustrat; ut pro Milone n. 2. *Nam illa præsidia, quæ pro tem-*

*templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, afferunt tamen Oratori horroris aliquid, ut in foro et in judicio, quanquam præsidiis salutaribus et necessariis septi sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus.*

Item Verrina 4. n. 159. ubi probat, fieri non potuisse, ut Siculi sua voluntate et non coacti statuas Verri erexissent, quas decedente ipso e Sicilia dejecerant.

*Quomodo tractandus hic locus?*

*R.* Vel per Affirmationem, cum ex affirmatione unius infertur negatio alterius; vel per Negationem, ex qua inferatur affirmatio. Sic dum affirmat Tullius, magnos honores habitos fuisse Cœlio etiam absenti, negat eundem fuisse non probatum suis Municipibus. Sic negat, Syllam habuisse ullam in conjuratione Catilinaria partem, quia ipsum laudaverat, et ejus defensionem susceperat.

## EXERCITATIO.

*Roscius paternæ cædis accusatus, quod in perempti patris cubiculo dormiens inventus esset, defenditur.*

Locus a Repugnantibus.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Conqueretur Orator de Accusatorum iniquitate, qui confectum dolore Roscium ob peremptum patrem, novo accusationis genere exaniment.

*Propositio.* Patrem Roscius non occidit; id tractabit per aliquam figuram.

*Con-*

*Confirmatio.* Petetur a Repugnantibus. 1. quia dormiens filius in occisi patris cubiculo inventus est. Repugnat, ut quis occiso patre ullam quietis partem capiat: sed Roscius dormiens inventus est: ergo repugnat, ut Roscius patrem occiderit. Incipiet ab expositione Assumptionis, quod unum argumentum afferunt adversarii ad probandam accusationem, dicetque, hoc uno satis eximi suspicione sceleris miserum adolescentem; quam complexionem tractabit per varias interrogationes. Tum veniet ad Propositionem, ostendetque fieri non potuisse, ut Roscius ullam quietis partem caperet, si occidisset patrem. Hoc probabit.

1. Ratione petita a testimonio conscientiæ, quæ reum tanti sceleris perpetuo exagitat; hoc esse primum nocentis supplicium.

2. Orestis exemplo, qui matre interfecta etiam ad vindicandam patris mortem, exagitatus fuit a Furiis: quanto magis Roscius, si parentem optimum interfecisset?

3 Ab iisdem Repugnantibus, ex parte amoris, quo Roscius filium, et filius vicissim patrem complecteretur. Repugnat, ut patrem occiderit Roscius, quem amabat, et a quo amabatur; sed etc. Omissa Propositione veniet ad Assumptionem, ostendetque, quantus esset patris in filium amor, et vicissim filii in parentem.

4. Ex anteacta Roscii vita aliud argumentum a Repugnantibus eliciet. Non potuit cadere parricidium in eum, cujus vita fuit innocens; sed Roscii vita fuit innocens, etc. Propositionem tractabit; dicetque scelus ejusmodi

modi non cadere, nisi in eum, cujus vita fuerit perdita, quia nemo repente fit pessimus, ergo ostendatur in vita Roscii flagitium, per quod, quasi per gradus ad parricidium pervenerit. Deinde Assumptionem tractabit, invitabit adversarios, ut probent corruptam fuisse Roscii adolescentiam.

*Conclusio* fiet per vehementem Deprecationem, qua commiserationem Judicum excitabit.

## ORATIO.

Quod unum Adolescenti optimo restabat in acerbissimo parentis amantissimi desiderio doloris solatium, ut ad persequendos impiæ cædis auctores curas omnes ac studia converteret, id hodie novo atque inaudito scelere non sustulerunt modo homines imprudentissimi, sed recens adhuc ac cruentum miserabiliter vulnus insanabili plaga ulcerarunt.

Accusatur enimvero, et in vestrum judicium Roscius adducitur, compescere cogitur pias lacrymas, quibus filius optimus parenti optimo parentabat; et quam nefariis interfectoribus vindictam meditabatur, eamdem a se ipso jubetur propulsare. Adeo nullum furori suo ponunt modum, quos Roscius adversarios patitur, nisi adolescentem miserum, quem erepto patre luctu perdiderunt, eumdem incredibili accusationis genere exaniment.

Quid agam judices? quid loquar? an diluendam serio accusationem illam aggrediar, quæ per se satis ipsa refellitur? scilicet ullam inveniat apud vos fidem, quod illi mentiuntur turpiter, aut erit vestrum quispiam, qui sibi persuadeat interfectum a Roscio parentem suum?

suum? Tam parum vobis notus esset adolescens suavissimus, ut vel levissimam sceleris tanti suspicionem in eum cadere posse putaretis?

At enim inclamantes audio ipsius adversarios. Eadem ipsa nocte, qua peremptus est Roscii pater, inquiunt, inventus filius patris in cubiculo altum dormiens. Egregium enimvero judices, et ad faciendam fidem comparatum belle argumentum. *Roscius occisi patris in cubiculo dormiebat.* (*Repugnantia ab adjunctis.*) Ecquis ex vobis, judices, qui vel ex hoc uno, quod firmissimum ponunt accusatores contentionis iniquæ fundamentum, suspicione sceleris miserum adolescentem non liberet? quis statim non perspiciat conflatam hanc esse malevolorum invidia ad labefactandam innocentiam *Roscii* calumniam? Non viderunt illi scilicet delatores minime mali, hac ipsa parte ruere accusationem, qua fulciendam eamdem esse arbitrabantur?

Agite porro, judices æquissimi, putatis quemquam, cum omnia divina atque humana jura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisse? creditis, licuisse huic sine cura quiescere, qui ne spirare quidem sine metu sustinuisset? Etenim sua quemque fraus, suus error maxime perturbat: suum quemque scelus exagitat amentiaque afficit; suæ malæ cogitationes conscientiaque animum terrent; atque illud solet primum esse nocentis supplicium; ut horrificis admissi sceleris imaginibus torqueatur. Ita se res habet, judices, magnam vim, magnam necessita-

sitatem, magnam religionem possidet paternus præsertim sanguis; ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non possit, verum usque permanet ad animum, ut summus furor atque amentia consequantur. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas a sceleratissimis filiis repetant.

Hinc Orestes ille, quem patris ulciscendi causa ita sumpsisse legimus de matre supplicium, ut Deorum immortalium monitis atque oraculis id fecisse dicatur, perpetuis tamen agitabatur furiis, quæ nec quiescere usquam miserum paterentur; quod ne pius quidem sine scelere esse potuisset. Interim Roscius nulla impulsus ad interficiendum patrem contumelia, nullo parentis odio provocatus, in recenti memoria peracti sceleris, conspersis adhuc ac cruentis sanguine paterno manibus, tam securus debitæ parricidis vindictæ, tam quietus perstitisset, ut alto demergi somno potuisset?

(*Repugnantia a Causis.*) At enim quid his immoror diutius, judices? jam sensistis inflictam optimo adolescenti calumniam; jam illatam sceleris nefandi labem tacitis suffragiis depulistis. Notus vobis nimirum Roscii animus, spectata primis ab annis suavissima juvenis indoles, et tenerrimus in optimum parentem amor; qui non modo tanti sceleris societatem non admittit, sed etiam vel levissimam suspicionis umbram amolitur. Scilicet Roscius parentem occidisset, quem amabat tantum, et a quo vicissim tantopere amabatur? O si loqui posset infelix Roscius! si redire

redire rursum in hanc lucem, quo sensu doloris summo capitis in discrimine positum sua causa videret eum, quem non tam ipsa communio sanguinis, quam eximia spectatæ pietatis officia et singularis quædam in parentem charitas amabilem efficiebant!

Sed redeat vobis in memoriam, judices, qualis ab ipso ineuntis ætatis exordio Roscius extiterit; hæc enim ipsa maleficii, quod irrogatur ipsi, magnitudo facit, ut nisi adolescentis in vita ostendantur expressa parricidii vestigia, res profecto tanta, tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non possit. Proferatur ergo necesse est turpis adolescentia, omnibus flagitiis vita inquinata, sumptus effusi cum probro ac dedecore, prorupta audacia, summa temeritas, quæ ab insania non abhorreat. Accedat huc oportet odium parentis, animadversionis paternæ metus, amici improbi, servi conscii, tempus idoneum, locus opportune captus ad eam rem: pene dicam, respersas manus sanguine paterno judices videant oportet, si tantum facinus crediturі sint.

(*Repugnantia ab Effectis.*) Vos, vos appello, accusatores nefarii, et tam inauditæ calumniæ nequissimi artifices; edite nobis, excogitate, fingite etiam, si potestis, aliquod in tota Roscii adolescentia flagitium, per quod, quasi per gradus, ad istam, quam imputatis ipsi, impietatem ascenderit. Nemo repente fit pessimus, sed in minimis noxis et levioribus peccatis exercitatum esse quempiam oportet, antequam in extrema scelera prorumpat; vos mihi arripitis, quod vitiorum omnium extremum est; relinquitis illa, quibus remo-

remotis hoc ipsum esse non potest. Nulla culpanda familiaritas, non amor, non risus, non convivia, non levitas animi ulla ostenditur: et cum ea non reperiantur, quæ sceleris umbram habent, in eo summum furorem, atque impietatis cumulum reperiri posse insulsissimi accusatores mentiuntur.

Videte ergo, judices, quo tandem animo in hac causa vos esse oporteat. Vestris in manibus adolescentis miseri salus posita est. Videtis testes innocentiæ lacrymas, auditis suspiria, acerbissimum, quo iam exanimatus pene est infelix Roscius, luctum intuemini. Ah! utinam vel hoc pretio redimere parentis vitam liceret! utinam effusione sanguinis eum ab interitu revocare posset! Hoc ergo date misero adolescenti solatium, ut cum parente optimo, etiam boni nominis famam, quod unum bonum superest, amisisse per vos non videatur.

## ALIA EXERCITATIO.

*Religio Christiana per universum orbem propagata, magnum miraculum.*

Locus a Repugnantibus.

### *SYNOPSIS.*

*Exord. et Prop.* Dicet Orator, felix illud fuisse Religionis fatum, ut cum tam multa propagationi ejusdem obsistere viderentur, tamen longe lateque disseminata sit.

Confirmationem petet. 1. a Repugnantibus effectis. *Religio* Christiana multa præcipit, quæ sunt naturæ contraria, puta abjicere se

infra

infra cæteros, cupiditates domare, colere paupertatem, oblivisci injurias, inimicos diligere, etc.

2. A Causis Repugnantibus. An adhibitus ad id operis Tullius aliquis qui eloquentia, an Philosophus qui argumentorum momentis, an Imperator qui potentissimo instructus exercitu Religionem illam colendam esse persuaderet, aut ad eamdem amplectendam cogeret, etc. Id perfecere vilissimi homunciones, piscatores duodecim, etc.

3. Ab Adjunctis Repugnantibus, resistentibus scilicet populis, qui falsis addicti jampridem essent Numinibus, vetantibus Imperatoribus, et vim tormentorum omnium adhibentibus, ne *R*eligio nova induceretur.

Denique veram causam afferet, potentiam nimirum divinam, qua instructi duodecim homines, rebus alioquin humanis destituti, difficultates omnes superavere.

Concludet exclamando: O miraculum, etc.

## ORATIO.

Quam felici *R*eligionis Christianæ fato fieri dicam, ut quæ evellendis ex hominum animis priscis erroribus, et depravatis longo usu moribus emendandis nata videbatur; ea tamen in orbem terrarum universum sic disseminata ac propagata sit, nulla ut regio quantumvis recondita, suavissimo divinæ illius lucis splendore caruerit.

(*Repugnantia ab Effectis.*) Agite enimvero, quot et quantas habuit *R*eligio Christiana superandas difficultates, quot infirmanda corruptæ naturæ præjudicia, antequam fidem

fidem apud mortalium animos aliquam inveniret? Illa compellebat homines abjicere se infra cæteros; at ii patati semper assurgere, subjiacere nemini, omnibus superiores esse volunt. Illa coercere libidines, cupiditates [illegible]nari, animo dominari præcipiebat; at ii cupiditatibus liberius indulgent, et nullo temperari eas fræno patiuntur. Illa distribuere facultates egentibus, diligere paupertatis incommoda admonebat; at ii cumulandis opibus inhiant, summamque in divitiarum possessionem felicitatem esse positam arbitrantur.

Quid cætera appellem *R*eligionis illius quot documenta, tot obstacula, condonare injurias, inimicos diligere, lacessitum silere, bene precari maledicentibus, contumeliis affectum beneficia rependere, a quibus quantum hominum indoles abhorreat, testes ipsi sumus, qui præceptionibus iisdem jam dudum imbuti, vix ac ne vix quidem in iis exequendis dociles atque obsequentes invenimur.

(*Repugnantia a Causis.*) Verum quibus tandem artibus adducti sunt homines, ut *R*eligionem naturæ tam adversam, tam repugnantem moribus amplecterentur? An adhibitus Tillius aliquis, qui sermonis elegantia demulceret animos, et eloquentiæ vi *R*eligionis dignitatem extolleret? an Philosophus, qui rationum et argumentorum pondere suscipiendæ illius necessitatem demonstraret? an Imperator potentissimus, qui armorum metu cogeret populos, et extrema quæque contumacibus minaretur? Nullam, mihi credite, ex ista laude partem sibi vindicant, vel Orator, vel Philosophus, vel Imperator; totum

totum illud, quantum, quantum est, aggressi sunt duodecim vilissimi homunciones, qui fame morerentur, nisi pisciculos caperent, rudes, illiterati, contemptibiles, ignoti. Et tamen, quis credat? opus tam arduum, tam difficile, tam humanis impar viribus perfecere, quod neque Eloquentiæ subsidiis Oratores, neque argumentorum momentis Philosophi, neque Imperatores numerosissimis exercitibus, non dicam exequi, sed ne tentare quidem ausi fuissent.

(*Repugnantia ab Adjunctis.*) Quamquam ne quis existimet sic invectam in orbem terrarum ab istis hominibus Christianam Religionem, ut conspirantibus in unum animis excepta sit. Imo tanto infensiores habuit adversarios, quanto graviores leges imponebat. Obstitere populi, quibus, dum inanem falsorum Numinum cultum proscriberet, interdictum volebat, quidquid in deliciis atque in amoribus aliquando habuissent. Obstitere Principes, quorum dissolutos et omni flagitiorum genere inquinatos mores arguebat: obstitere, quantum erat in ipsis, Romani Imperatores, ne fidem obtineret illa Religio, quæ retundebat fastum ipsorum atque superbiam, quæ effrænatam dominandi libidinem intra justos limites coercebat. Quas porro illi artes, quas non admovere machinas, ut serpentem manentemque latius invitis ipsis ac repugnantibus Religionem Christianam reprimerent, et suo in ortu penitus extinguerent? Quid hic referam equuleos, flagella, rotas, cruces, ferventia liquati plumbi balnea, ardentes craticulas, incensos rogos, et alia id

generis crudelissima supplicia, in quibus Neronum furor, Diocletianorum ac Caligularum immanitas triumphat? Quid eloquar blanditias, promissa, divitiarum voluptatumque illecebras, quibus vires frangere, enervare animos, eorumque debilitare constantiam pertentarunt, quos aperta vi superare non potuerant? Verum neque blandis deliciarum irritamentis emolliti, neque suppliciorum infracti terroribus Piscatores illi duodecim obstacula quæque fortiter devicere; et pugnantibus nequicquam contra ipsos rebus, ut sic loquar, universis, Christianam ubique terrarum Religionem stabiliere.

At enim sic destituti præsidiis, unde vim roboris tantam hausere? Repetamus altius prodigiorum tam insolentium magnitudinem. Aderat nimirum ipsis e Cœlo Deus, cujus causam agebant in terris: hinc periculis omnibus confidentia illa superior, hinc ex ipsis difficultatibus rerumque angustiis fortitudo animi major crescebat. Quid enim divinæ potentiæ, qua freti tam ardua, tamque inaudita moliebantur, resistere valeat? quid hominum consilia contra supremam voluntatem potuissent? O vim divinæ potentiæ admirabilem! o miraculum nulla temporum memoria conticescendum!

## CAPUT IX.

### Locus ab Adjunctis.

Frequentissimus est hujus loci usus, et Oratori maxime necessarius, cum nulla pars sit Ora-

Orationis, cujuscumque generis illa sit, cui non inserviat.

*Quid sunt Adjuncta?*

*R.* Sunt ea, quæ cum re, de qua agitur, non necessario quidem, sed probabiliter cohærent.

*Quot sunt Adjunctorum genera?*

*R.* Tria. Præcedentia, quæ rem præcedunt; Comitantia, quæ rem comitantur; Consequentia, quæ consequuntur.

*Quid sunt Adjuncta Præcedentia?*

*R.* Causæ, consilia, injuriæ illatæ, vel acceptæ, consuetudo, minæ, susceptum iter, omnis denique institutus ad rem apparatus.

Habes exemplum in Oratione pro Sylla num. 52. ubi ab Adjunctis Præcedentibus probat, ipsum cum Catilina non conjurasse: *Nam quis est igitur, qui tum dicat, in campum aspirasse Syllam? atqui si tum se cum Catilina societate sceleris conjunxerat, cur ab eo discedebat? cur cum Autronio non erat? cur in pari causa non paria reperiuntur signa criminis . . . hoc tempore cum maxime arderet conjuratio, cum Catilina egrederetur ad exercitum; Cassius incendiis, Cethegus cædi præponeretur, Lentulus in urbe relinqueretur; Autronio; ut occuparet Etruriam, præscriberetur; cum omnia ordinarentur, instituerentur, pararentur, ubi fuit Sylla, Corneli? Num Romæ? imo longe abfuit. Num in iis regionibus, quo se Catilina referebat? multo etiam longiùs, etc.*

Et prò Milone num. 51. *Video adhuc constare omnia, Judices, Miloni etiam utile fuisse*

*fuisse Clodium vivere: illi ad ea, quæ concupierat, optatissimum interitum Milonis fuisse; odium illius in hunc acerbissimum, in illum hujus nullum; consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, hujus tantum in repellenda . . .* Ex his Antecedentibus probat Clodium fuisse insidiatorem.

Et pro Muræna num. 13. probat saltatorem non fuisse Murænam, quia in eo non reperiuntur ea omnia, quæ saltationem vulgo antecedunt; qualia sunt, intemperantia, convivium intempestivum, et aliæ, id genus, deliciæ, quarum extrema est saltatio.

*Quænam sunt Adjuncta Comitantia?*

*R.* Ad septem genera vulgo revocantur, quæ hoc versiculo continentur.

*Quis, Quid, Ubi, Quibus Auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

Habes illustre Comitantium Adjunctorum exemplum pro Milone num. 54. *Si hæc non gesta audiretis, sed picta videretis; tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali.* (Quid) *Cum alter veheretur in rheda penulatus una sederet uxor; quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum* (Quis) *an comes? quid minus promptum ad pugnam, cum penula irretitus, rheda impeditus, uxore pene constrictus esset? Videte nunc illum* (Quando) *primum egredientem e villa subito; cur vesperi?* (Cur) *Quid necesse est? qui convenit præsertim id temporis? Divertit in villam Pompeji; Pompejum ut videret?* (Quibus auxiliis.) *Sciebat in Alsiensi esse. Villam*

*Villam ut perspiceret? millies in ea fuerat. Quid ergo erat moræ et tergiversationis? dum hic veniret, locum relinquere noluit. Age nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate.* (Quomodo.) *Semper ille antea cum uxore, tum sine ea, numquam non in rheda, tum in equo, comites Græculi, quocumque ibat, etiam cum castra Etrusca properabat? tum nugarum in comitatu nihil. Milo qui numquam, tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat, et ancillarum greges; ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat, tum neminem, nisi ut virum a viro lectum diceres. Cur igitur victus est?* (Ubi) *quia non semper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore. Clodius tamen mulier inciderat in viros....* Habes præcedente num. 53. circumstantiam Loci. *Videamus nunc, quod caput est, locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior, etc.*

*Quænam sunt Adjuncta Consequentia?*

*R.* Sunt ea, quæ rem gestam subsequuntur; ut pallor, rubor, incessus titubans, frequens anhelitus, reprehensio publica, hæsitatio, exhaustum patrimonium, morbi, gladius cruentus, clades, etc.

Habes egregium exemplum Adjunctorum subsequentium, pro Milone nu. 61. *Quod si nondum satis cernitis, cum res ipsa tot, tam claris argumentis luceat, pura mente atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum Romam revertisse; recon-*

*recondamini per Deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus ejus, qui ingressus in forum, ardente Curia; quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio! Neque vero se Populo solum, sed Senatui tradidit, neque Senatui modo, sed etiam publicis præsidiis et armis; neque iis tantum, verum etiam ejus potestati, cui Senatus totam Remp. omnem Italiæ pubem, cuncta Populi Romani arma commiserat; cui se numquam profecto tradidisset, nisi causæ suæ confideret, præsertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis est conscientiæ, Judices, et magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, et pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.*

Et pro Flacco num. 99. *Cum tabella vobis dabitur, Judices, non de Flacco dabitur solum, dabitur de ducibus auctoribusque conservandæ civitatis; dabitur de omnibus bonis civibus; dabitur de vobismetipsis; dabitur de liberis, dabitur de vita, de patria, de communi salute. Non judicatis in hac causa de exteris nationibus, nec de sociis, de vobis ac de vestra Republica judicatis.*

Item Philippica septima pene tota negat Antonium admittendum esse in civitatem, idque probat ex iis malis, quæ secum importaturus in urbem esset.

Et pro Milone num. 78. recenset pericula, quæ Reip. imminebant, si Clodius a Milone interfectus non fuisset. *Mandate*

*hoc*

*hoc memoriæ, Judices; spero, multa vos liberosquæ vestros in Rep. bona esse visuros; in his singulis ita semper existimabitis, vivo P. Clodio nihil horum vos visuros fuisse. In spem maximam, et, quemadmodum confido, verissimam adducti sumus, hunc ipsum annum, hoc summo viro Consule, concussa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus et judiciis constitutis, salutarem civitatis fore. Num quis igitur est tam demens, qui hoc P. Clodio vivo contingere potuisse arbitretur? Quid? ea, quæ tenetis privata atque vestra, dominante homine furioso, quod jus perpetuæ possessionis habere potuissent? etc.*

*Quis est Adjunctorum usus?*

*R.* Frequentissimus est, quam qui maxime, præsertim tamen valet ad laudem ac vituperium, item ad describendum et narrandum. Etiam in exquirenda intentione formandisque conjecturis plurimum potest. Pro Rosc. Amer. num. 85. *Hunc quæsitorem ac judicem fugiebant atque horrebant ii, quibus periculum creabatur; ideo quod tametsi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam, quam implicatus ad severitatem videbatur.*

*Quomodo amplificandus et ornandus hic Locus?*

*R.* Primo expendendum est, quid uniuscujusque circumstantiæ nomine intelligatur. 2. Consulendus est Cicero, et ad ejus imitationem recurrendum. Atque ut diligentior habeatur Adjunctorum notio, singula explicabi-

cabimus, et petitis ex Ciceronis exemplis illustrabimus.

*Quis.* Personam significat, in qua spectare oportet affectiones animi varias, amorem, iram, artes, virtutes, puta, justitiam, prudentiam, fortitudinem etc. Item vitia, v. g. avaritiam, ambitionem, iracundiam, et reliquas animi labes. Præterea in persona, de qua agitur, attendenda figura corporis, deformitas, pulchritudo, fortunæ, sive bona externa, nomen, genus, conditio vitæ.

Adjuncto Personarum tractat Cicero Ver. 7. n. 143. *In externorum hominum et maleficorum sceleratorumque, in prædonum hostiumque custodias, tu tantum numerum civium Rom. includere ausus es? Numquamne tibi judicii, numquam concionis, numquam hujus tantæ frequentiæ, quæ nunc animo te iniquissimo infestissimoque intuetur, venit in mentem? Numquam tibi Populi Rom. absentis dignitas, numquam species ipsa hujuscemodi multitudinis in oculis animoque versata est? Numquam te in horum conspectum redituram, numquam in Forum Populi Rom. venturum, numquam sub legum et judiciorum potestatem casurum esse putasti? At quæ erat ista libido crudelitatis exercenda? quæ tot scelerum suscipiendorum causa? Nulla, judices, præter prædandi novam singularemque rationem.*

Et nu. 147. *Videtis cives Romanos gregatim conjectos in latomias, videtis indignissimo in loco coacervatam multitudinem vestrorum civium. Quærite nunc vestigia, quibus*

*quibus exitus illorum ex illo loco compareant, nulla sunt, etc.* Idem persequitur n. 148. et 149.

Ita defendit Roscium Amer. num. 39. et ab Adjunctis personæ probat non fuisse ab eo patrem occisum. *Patrem occidit Sext. Roscius? qui homo? Adolescentulus corruptus, et ab hominibus nequam inductus, annos natus magis quadraginta? Vetus videlicet sicarius, homo audax, et sæpe in cæde versatus? At hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominum nimirum, et æris alieni magnitudo, et indomitæ animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt? de luxuria purgavit Erutius, cum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse, nihil autem umquam debuit. Cupiditates porro quæ possunt esse in eo, qui ut ipse accusator objecit, ruri semper habitarit, et in agro excolendo vixerit, quæ vita maxime disjuncta a cupiditate et cum officio conjuncta?*

Et pro Dejotaro num. 26. probat eum non saltasse senem, qui puer gravissimus et severissimus fuerat.

Pro Cœlio n. 42. excusat liberiorem consuetudinem a persona Cœlii, cujus adolescentiæ multa ignosci oportebat.

Pro Comœdo num. 20. Hominem defendit ex Adjunctis personæ, quibus Chæream fraudulentum probat, et ab eo deceptum Roscium ostendit.

Catilinaria 3. num. 13. ab Adjunctis personarum conjuratos sceleris reos arguit. *Ac mihi quidem, Quirites, cum illa certissima*

*sunt*

*sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio; tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se aspiciebant, ut non jam ab aliis judicari, sed ipsi, a se viderentur.*

Et Catilinaria 2. num. 5. conjuratorum vim et copias a vilitate personarum elevat ac deprimit, eosdem describit n. 10. et 18.

Verrina 7. num. 139. flagitium Verris exaggerat a dignitate civium Romanorum, quos virgis cædi cruentum in modum jusserat.

Philip. 3. a num. 28. ad 32. bellum suadet in Antonium ab Adjunctis personæ ipsius Antonii, cujus mores ac vitia describit.

*Quid.* Negotium ipsum, vel rem, de qua agitur, explicat.

Habes exemplum illius Adjuncti Verrina 7. nu. 148. ubi crudelitatem Verris in cives Romanos exaggerat.

*Si quis Rex, si qua civitas exterarum gentium, si quæ natio fecisset aliquid in civem Rom. ejusmodi, non ne publice vindicaremus? non bello persequeremur? possemus hanc injuriam ignominiamque nominis Romani inultam impunitamque dimittere? Quot bella majores nostros et quanta suscepisse arbitramini, quod cives Romani injuria affecti, quod navicularii retenti, quod Mercatores spoliati dicerentur? At ego retentos non queror; spoliatos ferendum puto; mancipiis, mercibus adeptis,*

*in*

*in vincula conjectos esse Mercatores, et in vinculis cives Rom. necatos esse arguo, etc.*

Et ibid. nu. 166. *Si tu apud Persas et in extrema India deprehensus, Verres, ad supplicium ducerere, quid aliud clamitares, nisi te esse Civem Romanum? et si tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atque ultimis gentibus positos nobile et illustre apud omnes nomen tuæ civitatis profuisset; ille, quisquis erat, quem tu in crucem rapiebas; qui tibi esset ignotus, cum civem se Rom. esse diceret; apud te Prætorem si non effugium, ne moram quidem mortis, mentione atque usurpatione civitatis assequi potuit.*

*Ubi.* Differentias loci complectitur, et varias species; ut si profanus, si sacer, si publicus, si privatus, si agrestis, si urbanus.

Luculentum Adjuncti illius exemplum Philip. 2. num. 63. *Sed hæc quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus. Loquamur potius de iniquissimo genere levitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in conspectu Populi Rom. vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! si inter cœnam, in tuis illis immanibus poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in cœtu vero Populi Rom. negotium publicum gerens, Magister Equitum, cui vacare turpe esset, is vomens, frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal implevit.*

Et

Et num. 63. *Tu ingredi domum illam ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium Diis Penatibus os importunissimum ostendere? quam domum aliquamdiu nemo aspicere poterat, nemo sine lacrymis præterire, hac te in domo tamdiu diversari non pudet? in qua, quamvis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse jucundum. An tu illa vestibula, rostra, spolia cum aspexisti, domum tuam te introire putas? . . . Me quidem miseret parietum istorum atque tectorum, quid enim unquam domus illa viderat nisi pudicum, nisi ex optimo more et sanctissima disciplina? Fuit enim ille vir, P. C.* (Pompejus) *sicut scitis, cum foris clarus, tum domi admirandus, neque rebus exteris magis laudandus, quam institutis domesticis. Hujus in sedibus, pro cubiculis stabula, pro triclinniis popinæ sunt!*

Ejusdem compotationes et luxum in domo Varronis, hominis abstinentissimi, exaggerat num. 104.

Et pro Milone n. 53. ex opportunitate loci, ex quo pugnat Clodius, arguit Milonem insidiatorem.

Et ibid. num. 90. scelus Clodii, qui incenderat Curiam, a loci sanctitate amplificat. *Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo Populo Romano uni ordini concessam vidimus inflammari, exscindi, funestari.*

Et

Et oratione 2. in Rullum num. 94. Campanos arrogantes libidinibusque perditos a natura loci arguit.

*Quibus auxiliis*, hoc est, quibus instrumentis ac præsidiis, an baculo, an gladio, an sica? vel quibus ministris, auctoribus, adjutoribus?

Exemplum habes, pro Milone in loco jam laudato, ubi tam Milonis, quam Clodii apparatum describit. *Age nunc iter expediti latronis, etc.*

Et Philip. 2. n. 58. describit apparatum, quo Antonius incedebat cum Mima sua. *Videbatur in essedo Tribunus plebis, lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica Mima portabatur, qua ex oppidis Municipales, homines honesti obviam necessario prodeuntes non noto illo et mimico nomine, sed Volumniam consalutabat. Sequebatur rheda cum lenonibus comitis nequissimi, rejecta mater amicam impuri filii tamquam nurum sequebatur.*

Adde Clodianam eædem, qua Miloniana tota ab eo loco describitur.

*Cur*, causam significat maxime efficientem et finalem, ut quo consilio, qua spe, quo motu, etc.

Eo loco Cicero utitur ad Milonis defensionem num. 22. *Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse.*

Et ibidem num. 49. *Age, si ita factum, quæ causa, cur Romam properaret? cur*

*in noctem se conjiceret? quid afferebat festinationem? quod hæres erat? primo erat nihil? cur properato opus esset? Deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posses, amitteret autem, si postridie Romam venisset?*

*Quomodo*, totius rei gestæ varios modos complectitur; ut si triumphus, si cædes, si sacrificium narratur; statim modus ipse et ratio ponitur ante oculos. Potest enim diversa ratione triumphus decerni et institui, item et cædes.

Exemplum habes 7 Verrina num. 160. *Ipse inflammatus scelere et furore in forum venit. Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat; expectabant omnes, quo tandem progressurus, et quidnam acturus esset, cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac religari, et virgas expediri jubet. Clamabat ille miser, se civem Rom. esse . . . Cædebatur virgis in medio foro Messanæ Civis Rom. judices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc: Civis Rom. sum. hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque corpore dejecturum arbitrabatur. Is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur; sed cum imploraret sæpius usurparetque nomen civitatis, crux, crux, inquam, infelici et ærumnoso, qui numquam istam potestatem viderat, comprobatur, etc.*

Ad eum porro locum refertur, quidquid tam de Hypotyposi, quam de Ethopœja, in libro

libro de Figuris, diximus. Duæ enim istæ figuræ natæ sunt ad rerum gestarum rationem graphice describendam.

*Quando.* Tempus significat, quo aliquid sit actum, an nocte? an pleno die? an æstate? an hyeme? etc.

Pro Quintio n. 91. Nævium Tullius coarguit; probatque septuaginta passuum millia aut esse biduo decursa, aut Sext. Nævium compluribus diebus ante misisse in possessionem, quam postularet, ut ipsi bona possidere liceret.

Pro lege Manilia num. 35. Pompeji victoriam commendat a celeritate. *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.*

Pro Milone num. 49. *Atque ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potius, quam expetendus fuit; sic Miloni, cum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsistendum atque expectandum fuit. Noctu, invidioso et pleno latronum in loco occidisset, nemo ei neganti non credidisset, quem omnes salvum esse, etiam confitentem volunt. Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator et receptator locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque cæca nox ostendisset Milonem.*

EXER-

EXERCITATIO.

*Goliath immanis Gigas a juniore Davide prostratur.*

Locus ab Adjunctis Comitantibus.

*SYNOPSIS.*

*Quis.* An ille est tam timendus hostis populo Israelitico!

*Quid.* Describetur informe cadaver, immanis truncus avulso capite, spirantes adhuc minas oculi, etc.

*Ubi.* Invitabit Orator Philistæos, ut propioribus oculis aspiciant Imperatorem suum, tingentem suo sanguine terram illam, in qua laurearum segetem metere cogitabat.

*Quibus auxiliis.* Tractabit Locum illum per Sustentationem. An exercitus totus in hominem irruit? an bellator aliquis egregius illum oppressit? an Saul ipse? hoc perfecit adolescentulus.

*Cur.* Sic mortalium fastus reprimit Deus, sic amat hostes suos levibus instrumentis profligare, ne, etc.

*Quomodo.* Non percutit semper Deus nocences fulmine, nec ferrum adhibet, aut faces, etc. Erit posteris documentum prostratus bellator funda, et lapide.

*Quando.* Hortabitur Israelitas, ut agant gratias Deo, cujus in extremo rerum suarum discrimine amicam manum senserint.

ORATIO.

Quid video? Quale se meis oculis offert spectaculum! Hiccine est immanis Gigas Israeli-

Israelitico populo tam timendus hostis? (*Quis*) quem aggredi nemo sustinuit, nemo provocantem ad pugnam ausus est experiri; qui solus magni instar exercitus haberi poterat; cujus vel aspectum fortissimi bellatores expavescebant; tantum animi ferocitate, virium præstantia, corporis immanitate cæteris mortalibus prævalebat? Proh! quam mutatus a semetipso, quam dissimilis subjicitur!

(*Quid.*) En jacet informe cadaver; extenditur truncus ingens, et avulsum humeris caput suo natat in sanguine. Frustra residesiras spirant adhuc oculi, et in torva fronte prioris audaciæ vestigia deprehendas; silet lingua procax in omne tempus, et lumina in æternam noctem clauduntur.

Adeste Philistæi quotquot estis, tanto præsidio, dum viveret, tumidi nimium et insolentes; accedite propius, aspicite curiosis oculis vestrum Imperatorem. Ecce terram illam suo inficit sanguine, quam inaccessam fore et ab armis nostris intactam confidebatis: (*Ubi*) hic dedecoris et opprobrii multa vobis seges exurgit, ubi laurearum ac palmarum messem amplam expectabatis.

At quis prostravit tam terribilem, tam metuendum bellatorem? quis spes cum eo vestras afflixit? quis illatam toti populo ipsique Deo injuriam vindicavit? (*Quibus auxiliis.*) An irrumpens in eum universus exercitus sua hominem unum multitudine oppressit? an selectus ex omni populo vir aliquis fortissimus formidantem Gigantem aggressus est? an ipse Saul tot palmarum nobilis et partis toties de Philistæa gente victoriis conspicuus tumi-

tumidos viri insolentis fastus repressit? Expectate dignius aliquod admiratione facinus, et prædicandum posteris miraculum suspicite. Rem peregit pastor imbellis, rudis et imperitus belli adolescentulus, et tractandis armis nondum idoneus.

(*Cur.*) Sic mortalium superbiam confundis, o Deus! ac ne quis suo confisus robore et solertia ferox insolescat; ne debitam tibi rei bene feliciterque gestæ gloriam audeat sibi vindicare; quos adversarios experiris, quos plectere pro tua æquitate statuisti, eosdem amas levibus quibusque instrumentis profligare.

(*Quomodo*) Neque vero fulmine semper nocentes feris, et dejicis superbos: non adhibes ferrum et faces ad vindicandas hominum injurias. Erit in omne tempus salubre mortalibus documentum immanis ille Colossus funda prostratus et lapide, quid valeas, quam frustra tibi genus hominum illudat; quam sit inutile ac supervacaneum, quidquid contra voluntatem tuam struit ac molitur.

(*Quando.*) Vos vero dilectus supremo Numini et amabilis populus, plaudite, Israelitæ, et immortales liberatori vestro gratias persolvite. Sic ille vestræ saluti consulit, sic opitulatur suis, et in extremo rerum discrimine, cum spes affulget nulla, cum retro fluere ac desperata prorsus esse cuncta diceres, acerrimum se defensorem ac præsentissimum vindicem exhibet.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

*Trajectus a Gallis Rhenus inspectante et obsistente in adversa ripa hostium exercitu.*

Ab iisdem Adjunctis Comitantibus.

### *SYNOPSIS.*

*Quis.* Exord. a laudatione gentis Gallicæ, cui nihil licet esse impossibile, quantumvis plenum periculis videri possit.

*Quid.* Describet objectas Gallicæ virtuti moras. Non fossæ, non paludes, non propugnacula hostium manibus extructa, sed flumen rapidissimum et altissimum natura sua Gallorum impetus retardabat.

*Quibus auxiliis et Quomodo.* Dicet Orator Gallos non construxisse pontem exemplo Xerxis; non derivasse flumen, ut fecerat olim Cyrus, non comparasse navigia, sed ingressos flumen ipsum et rapidissimas aquas equo trajecisse, in quibus stare pontium structura non potuisset.

*Ubi et Quando.* Describet expertes formidinis Gallorum animos mediis in periculis, stantes adversa in ripa hostes et tormenta omnia in Gallos explodentes.

*Cur.* Ostendet unde comparandæ gloriæ et ostentandæ fortitudinis desiderio impulsos ad tentandam tanti periculi aleam.

Concludet extollendo prodigium illud vix ullam apud posteros fidem inventurum.

### ORATIO.

Ne pigeat revocare in memoriam illustrissimum Gallicæ fortitudinis specimen, et facinus

cinus omnium linguis ac sermonibus decantatum toties, etiam post longum tempus retractare. (*Quis*) Crederent unquam posteri, quod dicturi sumus; et rei tam fidelibus monumentis consignatæ fidem adjungerent, nisi jam diu eam obtinerent Galli apud universos populos famam, nihil ut sit tam arduum, quod non aggrediantur, nihil tam plenum periculis, quod non ultro subeant, nihil tam inexpugnabile, quod vincere non soleant ac superare?

(*Quid.*) At quantum illud fuit, quamque ad admirationem singulare, quod de ipsa rerum natura triumphare Galli visi sunt, neque oppositis ab ea potentissimis obicibus potuit virtus eorum invicta retardari! Vidit enimvero noster exercitus objectam sibi non fossæ, non muri, non propugnaculi, non paludis moram, aut quidvis aliud inusitati operis repagulum, quod hominum manus fabricaverant, sed altissimi rapidissimique fluminis alveum: Rhenum uno verbo, quem non tam muniti undique aggeres, propugnacula, insulæ tuerentur, quamvis aquarum immensa, et nusquam hactenus pertentata defenderet: vidit, inquam, neque has sibi vias insuperabiles putavit.

(*Quibus auxiliis et Quomodo.*) Tamen non contabulavit fluvium, ut Xerxes, aut Cæsar; non derivavit, ut Cyrus; non adhibuit navigia, ut mos est bellorum martisque communis; sed immensos aquarum vertices, illud pelagus securus eques ingreditur; pedem figit, ubi stare pontium structura non po-

potuisset; aquas ambulat, quas navigiis transmittere periculosum fuisset.

(*Ubi et Quomodo.*) Quod si fecisset unus aliquis in tanto exercitu, si imminentis hostis contemptor in adversam ripam evasisset, hominis industriam, fortitudinem miramur. Nunc autem trajecisse turmas integras inspiciente hoste, ripam insidente, tormentis, jaculis, telis omnibus ingruente, non repulsas fuisse, non territas; sed in hostium arces intonuisse, ex inferiore loco irruisse in propugnacula, obsistentes ac repugnantes trucidasse, mactasse, occidisse, id si admirabile quiddam ac prodigiosum non dicimus, vestram fidem obtestor, quid deinceps a nobis in miraculorum numerum reponetur?

(*Cur*) Neque vero hæc patrata quis putet a Gallis aut periculi metu, quod instaret, aut potiundæ spe prædæ, quam ambirent, aut propagandi longius imperii gratia, quod interpositi fluminis repagulum arctius coerceret, fuerint illa priscis heroibus virtutis incitamenta. Hæc una genti Gallicæ merces proposita, unum hoc erit tantæ fortitudinis præmium, si nova quædam fiat ad comparatam jam laudem accessio, et inusitatum antea invicti roboris exemplum futuris ætatibus ostentetur.

Gaudeat ergo parta tam insigni facinore gloria, et apud seros nepotes eam, quam meruit fortitudinis invictæ laudem, sibi gratuletur.

EXER-

## EXERCITATIO.

*Vitellii in Senatu Oratio, qua Pisonem illatæ Germanico mortis reum accusat.*

Locus ab Adjunctis, Antecedentibus et Consequentibus.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet, non venire se, aut communi aut proprio inflatum odio ad Pisonem accusandum.

*Propositio.* Deferre se ad Senatum extrema morientis Germanici verba, quibus ipsorum æquitatem adversus interfectorem suum flagitabat: quod unum etsi sufficeret ad probandam accusationem, multa alia ad eamdem confirmandam concurrere.

*Confirmatio.* Petetur ex duplici capite. 1. Ab Adjunctis Antecedentibus, et ab odio Pisonis in Germanicum, quod probabit tam a publica Oratione, quam habuerat Piso in Germanicum Athenis, quam a privatis sermonibus, in quibus carpere Germanicum affectabat.

2. A corrupta militia in Syria, suffectis fortissimorum Centurionum in locum ignavis militibus, quos ea ratione conciliatos in Germanicum incitaverat.

3. A missis frequenter exploratoribus, dum Germanicus ægrotaret, qui morbi et porrecti veneni eventum nunciarent.

Deinde idem arguet ex Adjunctis Consequentibus, et 1. a ludis et sacrificiis, et aliis lætitiæ signis, quæ Piso post Germanici mortem ediderat, quem locum tractabit per Antitheses,

theses, comparando Pisonis gaudium, cum publico Romæ, civitatum, totius exercitus mœrore.

2. Ab alba veste, quam Plancina Pisonis conjux induerat, atra quam gerebat deposita.

3. Ab oppugnata Agrippinæ classe, quæ Germanici cineres cum universa ejus familia veheret. Non habuit satis Piso tollere Germanicum de medio, nisi totam ejus familiam perderet, quasi vero speravisset defuturos accusatores, si spem gentis inclytæ totam excidisset.

4. Ab absentia Pisonis, qui venire Romam jussus ad purgandum illatum crimen, abnuerat obsequi.

Denique ab ornata Pisonis domo, quam ut Judices subire velint, sceleris vestigia deprehensuri, hortabitur.

*Conclusio.* Per Deprecationem, etc.

## ORATIO.

Etsi incredibilis civitatis totius in præmatura Germanici morte luctus ac mœror, meaque cum fortissimo Principe necessitudo satis me adhortantur, ut meritas ab æquitate vestra judiciorumque vestrorum severitate in parricidam ipsius repetam pœnas; nolite tamen existimare, Patres Conscripti, me vel publico vel privato ut Pisonem, virum post hominum memoriam longe scelestissimum, in tam frequenti consessu accusarem.

Quare ignoscet mihi vel in istis rerum adjunctis universus populus, si neque suis, neque mei ipsius inimicitiis hodie serviam. Satis habebo deferre vobis, Patres Conscripti, tristes

tristes infortunatissimi Principis querelas, qui nefario adversariorum suorum sceleri coactus cedere, hoc unum habuit acerbissimæ mortis solatium, si suam vestris in manibus causam deponeret. Utinam extremos morientis spiritus recipere, et ultimas voces audire vobis contigisset. Parcite, inquiebat, unumquemque nostrum, fidissimos rerum suarum comites respiciens, parcite, amici, inanibus lacrymis miseri Principis funus persequi.

Extremæ gentes Germanicum lugebant; vos si quid amico indultum volueritis, facite, Senatus ut sciat, me Pisonis odio atque insidiis interceptum interire. Hæc una vox, hoc unum fortissimi viri testimonium etsi sufficeret per se satis ad evincendam interfectoris perditissimi improbitatem; tamen offerunt se mihi tam multa sceleris argumenta, ut perstringendis eorum nonnullis temperare non possim.

(*Adjuncta Antecedentia, Odium.*) Oderat Germanicum Piso, P. C. et ita oderat, ut nulla provocatus umquam injuria suam Germanico salutem ac vitam deberet. Sed quid adeo mirum est, si Pisoni cum tanto viro tam parum conveniret? Nam quæ poterat esse societas rationis cum amentia, pudoris cum libidine, fortitudinis cum ignavia, virtutum omnium cum nequissimo vitiorum omnium comitatu? Quid dicam quam sæpe privatis in colloquiis maledicendi de Germanico, vellicandi res ab eo præclare gestas, allinendi labem ipsius moribus occasionem arriperet? Saltem si pestiferum invidiæ suæ virus inter angustos nefarii pectoris limites continuisset;

si

si tantum inter paucos conceptæ jam diu malevolentiæ labem effudisset. (*Maledicta privata et publica.*) At media in luce, coram universo exercitu detrectare de Germanico cruentum in morem non dubitavit. Hominem urebat scilicet, quod æquitatem Populi Romani apud exteras gentes Germanicus humanitate sua commendabat, quod significatione benevolentiæ Atheniensium animos demerebatur. Volebat Piso eos haberi durius, et quod obtineri clementia poterat, id verberibus ac plagis malebat extorqueri.

(*Corrupta a Pisone Militia in Syria.*) Quamquam ne quis existimet constantem esse in ea morum severitate Pisonem; non est ille tam rigidus ac ferreus, ut flecti ac mansuescere nesciat. Voluit interdum videri clemens ac misericors. Testis Syria, in qua tam insignia mansuetudinis suæ vestigia hominum suavissimus impressit. Hic habebant hyberna castra legiones nostræ, quæ sub Germanici institutione hanc erant assecutæ militaris disciplinæ laudem, ut neque minus segniter suas quisque vices obiret, quam si a tergo institisset hostis; neque modeste minus ac civiliter viverent, quam si medios inter cives versarentur. Non placuit Pisoni ista vivendi forma, offendit hominem mitissimum asperior ratio disciplinæ. Positus ab Imperatore leges reformandas putavit l gatus consultissimus idemque blandissimus, novum in castra morem induxit, et ejectis fortissimis quibusque Centurionibus, ignavos eorum in locum milites suffecit; hac spe fretus nimirum, ut dum indulgentia sua foveret militum socordiam,

regidioris invidiam disciplinæ in Germanicum traduceret.

(*Exploratores a Pisone missi, dum Germanicus ægrotaret.*) Et dubitaret aliquis, conjurasse Pisonem illius in vitam, quem capitali odio persequebatur? Parco hic memorare P. C. ut ægrotante Germanico frequentes in ejus castra exploratores atque emissarios Piso mitteret, qui morbi illius, cujus auctor ipse et causa extitisset, seriem, vim, progressus in dies singulos referrent: ut, crescente malo, cresceret pariter Pisonianæ familiæ gaudium, et remittente interdum fatalis veneni contagio, singulorum ora contabescerent.

(*Adjuncta Consequentia.*) Sed quid in istis diutius immorer, quæ si Pisonem illatæ Germanico mortis reum non arguerent, quæ sunt obitum ejus consecuta, ejusdem parricidii conscium satis evincant? (*Pisonis gaudium in publico mœrore.*) Revocate quæso, animis P. C. quanto bonorum omnium luctu perlatus ad nos fuerit de Germanici morte nuncius; quanta singulos ordines invaserit et quam sincera comploratio: ut universa hæc civitas repentino concussa metu lamentari cœpit, quasi parens patriæ occidisset. Interim Piso, quasi re gesta feliciter sacra Diis immortalibus hostias immolabat. Dum populi totius suspiriis ac gemitibus Roma personaret, Piso festas solennis lætitiæ voces incendebat: dum squalerent municipia, afflictarentur coloniæ; civitates hujus imperii universæ civi fortissimo parentarent, Piso triumphalem ludorum pompam populo exhibebat: dum

dum orbatæ invictissimo duce legiones abjectis hastis, amarissimo sese luctui permitteret, Piso militum suorum voluntates ac gaudia effusis largitionibus redimebat. Ipsa, ipsa viri nequissimi conjux Plancina noluit in tanta gestientis familiæ exultatione sui pariter gaudii publicum negare monimentum, et quæ fuerat sceleris particeps ac machinatrix, rebus ad votum fluentibus sibi non gratulari. Hinc posita veste, quam gerebat, pullata, quasi metuisset lætissimi triumphi diem lugubri cultu funestare, decentiorem ornatum induit, et candidis amicta vestibus sese palam ostentavit.

At ista levia sunt, P. C. attendite animis ad graviora. (*Oppugnatio Aggrippinæ classis a Pisone.*) Non stetis per Pisonem, quin una cum Germanico tota Cæsarum familia occumberet; ac nisi tutelares Imperii hujus genii paratam Agrippinæ Germanicique liberis cladem avertissent, orbatam fortissimo robore Rempublicam nostram lugeremus. Nam quid loquar, quod nemo vestrum ignorat, P. C. quales per insidias, et quam valida manu oppugnata classis illa fuerit, quæ tristissimas Germanici reliquias desolatamque ipsius familiam Augusti nepotes deportaret? Grates enimvero vobis, Superi, qui nobis carissima illa capita, dum gravius lacesserentur, conservastis; qui contra spem omnem expectationemque nostram publicæ incolumitati ac saluti providistis.

Te vero, hominum sceleratissime, quis demum furor in tot innocentes victimas armabat? quis erat sensus pestiferæ conjurationis?

qua

qua spe ad fundendum tot Cæsarum sanguinem incitabare? Putabas nimirum, si Germanici familiam sustulisses, neminem in posterum adfore, qui parricidii tui immanitatem revelaret; qui te huic ordini amplissimo merita mulctandum pœna deferret? At quam falsus opinione tua es? Tot habebis accusatores, quot sunt in hac urbe cives optimi, quot in Romanis legionibus fortunati Germanici commillitones, quot sunt in tota Italia Reipublicæ nostræ defensores acerrimi. (*Absentia Pisonis ab urbe.*) Verum quia nec ea parte salvum se et incolumen fore sensit, aliam homo vaferrimus ineundam putavit exitii, quod imminere sibi videbat, declinandi rationem. Scitis ipsi, Patres Conscripti, qua contumacia venire jussus, ut illata accusatione sese purgaret apud vos, parere abnuerit; quam ægre demum hinc judiciorum vestrorum æquitate perterritus, inde amicorum consiliis, qui spem impunitatis, si adesset, injiciebant, victus et impulsus in hanc urbem redierit.

(*Ornata Pisonis domus.*) Quamquam videte, quæso, P. C. ut ipsa se prodit improbitas, et in paratos laqueos ultro irruit, et funi, quem obduxerat, impatiens, talis postmodum, qualis est, videri amat. Venit Piso, ut objectum sibi crimen dilueret, ut ostenderet nullam habuisse in Germanici morte partem; tamen dum mœrent omnes, dum jacet confecta senio tota civitas, dum luctum ac mœstitiam spirant omnia, sola Pisonis domus luctu vacat. Succedite enimvero P. C. Pisonis in domum; quid hic pompam lætissimam,

simam, celerem triumphi apparatum, quid gratissimam festivitatem non sapit? Quid igitur moræ est, quin latentem etiam rerum vestris sententiis eruatis, et quam meritus est scelere suo pœnam, irrogetis? Hoc repetunt pii Germanici cineres, hoc Augusti nepotis Agrippina flagitat et obtestatur.

## ALIA EXERCITATIO.

*Romani cujusdam ad Coriolanum Oratio, cum matris et uxoris precibus expugnatus, Romam ab obsidione solvere statuisset.*

Locus ab Adjunctis Antecedentibus et Consequentibus.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Rem ipsam, quam facere parat, exhibebit. Scilicet expugnatum fuisse mulierem precibus illius animum, quem Legati Romanorum, amor patriæ invictum senserant.

*Propositio.* Petet, an abjecerit laudabile consilium, quod inierat, vindicandi Romam ab iniqua plebis dominatione; an non videat periculum, quod adeat, si ab incœpto destiterit?

Priorem partem probabit ab Antecedentibus; jubebitque ipsum meminisse, quo studio libertatis arma sumpserat; non te privatæ injuriæ, non populi odium, sed patria jugo mancipata stimulavit; non potuisti ferre dominantem nobilitati et leges imponentem populum. An elanguit ardor ille mulierc[illegible]arum precibus evictus, etc. an docilis populus factus est, etc.

Alte-

Alteram partem probabit a Consequentibus; exponetque, quam multum timendum habeat a Romanis, qui serius ocius illatas iniurias ulciscentur, quam multa ab ipsis Volscis, qui patientur iniquius initum cum ipsis fœdus abrumpi, etc.

*Conclusio.* Per vehementem Deprecationem.

ORATIO.

Ergo vinceris, dux fortissime? metuenda tuis hostibus et fatalia postmodum futura ponis arma? Roma pacem obtinet? Scilicet imbelles fœminæ animum illum expugnant, quem nulla umquam bellorum pericula, nullæ Senatus preces, nullus mœrentis et obsequentis populi dolor: nullæ quantumvis honorificæ oblati fœderis conditiones, non ipsa ruituræ jam jam in cineres patriæ caritas inflexerat? Equidem non incusem ego pietatem tuam, Dux fortissime; scio, quid blanda conjux apud fidum conjugem: quid verenda mater apud amantem filium possit. At patere, meum ut stuporem tibi, et incredibilem, qui pro te me angit, metum aperiam. Nam quid putem demum, vel quid loquar? An oblitus hodie tui es? an periculum non vides, quod subis? Sic inchoata tanto ambitu cœpta momento excidunt? sic propriæ salutis contemptor in apertum exitium corruis?

(*Antecedentia.*) Ah! liceat revocare tibi in memoriam, quo te consilio ad oppugnandam Romam accinxeris; quis fuerit sensus armorum tuorum, cum inferre bellum patriis mœnibus statuisti. Non te impotens ambitio, non cæca dominandi cupiditas, non civium tuo-

tuorum odia, non injuriarum recordatio, non implacabilis vindictæ furor manum armarunt. At te sincera patriæ caritas, libertatis amor, Romæ gloria, Imperii salus ad suscipiendum bellum hoc pepulere. Non potuisti ferre dominantem plebem, dum nobilitas serviret: doluisti, illam regnare, quæ parere didicerat; hanc obsequi, quam imperare docuisset. Exarsisti nobili studio vindicandæ ab infami jugo patriæ, quam diligis, et in pristinum libertatis decus restituendæ. Tu suum sacris legibus vigorem, suam Magistratibus reverentiam, Patribus auctoritatem asserere meditabaris. Huccine tamdem recidit dignum Coriolano consilium? tam cito ardor ille nobilis deferbuit? remisit virtus illa, et quam superba Roma vereri primum visa est, adversus mulierculanum lacrymas elanguit? At ne te gloriæ studium, libertatis decus, tuorum amor, patriæ salus moveant; piget dicere, moveat te periculi gravitas, quod imminet, si rerum hoc in discrimine inflecti te indignis precibus permiseris.

(*Consequentia.*) An ergo tam parum nosti populum illum perduellem, cui parcis? Nempe jam posuit furores, jam docilis factus est, et mansuescere didicit? jam patiens excipiet jugum? nihil ille deinceps iniquum meditabitur; nihil retinebit veteris pertinaciæ: exosus turbas ac tumultus innatæ levitatis oblivisceturr? non dolebit umquam illatam sibi ab eo fuisse vim, quem expulerat? nihil pigebit, abjecisse se illius ad pedes, quem olim proscribere meminerit? reverebitur usque, aut etiam amabit Coriolanum, quem, nisi obstitisset

tisset conjux, nisi vetuisset mater, ferocem victorem et implacabilem expugnatorem expertus fuisset?

Sed esto: Romani nihil in te peccent; tam mites in posterum, tam dociles habeas, quam rebelles olim, quam contumaces persensisti. Nihil ne videtur tibi, quod a Volscis metuas? Non iniquo ferent illi animo violari fœdus, quod sancitum a te cum ipsis est? Non indignabuntur, deseri se ab eo turpiter, quem ejectum patria, exulem et egentem consilii exceperunt? non irruent in te tamquam in proditorem? non te repetent ad pœnas, devotam furori suo victimam, et concussam ingratæ urbi pacem tuo sanguine non rediment?

Ah! ne tuam ipsius in ruinam præceps corruas, Dux fortissime. Si tuæ consultum gloriæ in perpetuum tempus esse volueris, siqua tuendæ salutis cura te remordeat; nisi laborum tuorum socios tuæque sortis comites in apertum capitis discrimen objicere volueris, persta firmiter in eo consilio, quod iniisti tam laudabiliter, tam feliciter promovisti. Securus esto matris, ac conjugis, quibus nihil periculi imminet, si viceris. Permitte illas tantisper dolori suo, dum triumphi tui magnitudo lacrymas abstergat, et brevissimi luctus moram magno gaudii fœnore consoletur. Interim Romæ mœnibus exercitum admove. Rerum mox dominus atque arbiter, si quid indulgere patriæ volueris, tanto gratius beneficium impendes, quanto minus expectatum illa sibi gratulabitur.

CA-

# CAPUT X.

## Locus a Causis.

*Quid est Causa?*

*R.* Causa vulgo definitur a Philosophis, id unde res aliqua est.

*Quotuplex est Causa?*

*R.* Quadruplex. Efficiens, Materialis, Formalis, et Finalis.

*Quid est Causa efficiens?*

*R.* Est id, a quo res habet, ut existat. Alia autem est physica, ut artifex domus; alia Moralis, ut spes præmii.

*Quid est Causa Materialis?*

*R.* Est id, in quo, vel ex quo fit aliquid, ut lignum est causa materialis scamni, parietes domus; quia ex ligno fit scamnum, domus constat ex parietibus.

*Quid est Causa Formalis?*

*R.* Est ratio quædam et forma, per quam res aliqua in sua natura ita constituitur, ut per eamdem a cæteris distinguatur. Hæc porro triplex vulgo numeratur, Essentialis, ut anima in homine, Accidentalis, ut calor in igne, Artificialis, ut colorum ductus in tabella.

*Quid est Causa Finalis?*

*R.* Est ea, propter quam aliquid fit. Ita beata vita est causa finalis hominis, quia agit omnia, ut illam acquirat.

*Quomodo ducitur argumentum a Causis?*

*R.* 1. Si tollantur Causæ et negentur, tolluntur pariter et negantur Effecta: v. g. nullus fuit Architectus, ergo nulla domus.

2.

2. Si affirmetur causa necessaria, effectus quoque affirmabitur: v. g. Fuit ignis in hoc loco, ergo et calor.

3. Si res possibilis ostendatur ex vi et potentia Causarum. Ita probare poteris Resurrectionem esse possibilem, ex eo, quod Deus sit Causa efficiens, et materia, sive Causa materialis, homine etiam mortuo, superstes maneat.

Exempla Causæ Efficientis pro Rosc. Amer. num. 38. ubi probat, eum non esse parricidii reum: quia caret iis vitiis, quibus ad parricidium stimulari aliquis et incendi possit. *Quibus tamdem te, C. Fruci, argumentis accusatorem censes uti oportere? Non ne et audaciam ejus, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, et mores feros, immanemque naturam, et vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, et denique omnia ad perniciem profligata et perdita? quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne objiciendi quidem causa contulisti.*

In Pisonem num. 41. Carpit in ipso mollitiem vitæ tanquam causam vitiorum omnium, quibus erat deditus. *Nam ille gurges atque helluo natus abdomini suo, non laudi atque gloriæ, cum Equites Rom. in provincia, cum Publicanos nobis et voluntate et dignitate conjunctos omnes fortunis, multos fama vitaque privasset, cum egisset aliud nihil in illo exercitu, nisi ut urbes depopulaetur, agros vastaret, exhauriret domos, ausus est a Senatu supplicationem per literas postulare. Tunc etiam atque adeo vos geminæ voragines scopulique Reipublicæ, vos*

*vos meam fortunam deprimitis, vestram extollitis.*

Sic in Oratione pro Milone exponit causas, cur Clodius Milonem odisset, num. 35. et pro domo sua, cur multi a se desciviſsent, nu. 6. et 7. Et pro Sylla nu. 48. probat, nihil esse, cur irascatur Torquatus, quod Syllam defendat.

*Quis est usus Causæ efficientis?*

*R.* Valet maxime ad rem amplificandam. Sic in Verrina 3. num. 7. Verrem exhibet agitatum scelerum pœnis, quæ tam in Deos, quam in homines commiserat. *Agunt eum præcipitem pene civium Rom. quos partim securi percussit, partim in vinculis necavit, partim implorantes jura libertatis et civitatis, in crucem sustulit. Rapiunt eum ad supplicium Dii patrii, quod iste inventus est, qui e complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, et parentes pretium pro sepultura liberorum posceret. Religiones vero ceremoniæque omnium sacrorumque violatæ, simulacraque Deorum, quæ non modo ex suis templis ablata sunt, sed etiam jacent in tenebris, ab isto retrusa atque abdita, consistere ejus animum sine furore atque amentia non sinunt.*

Valet etiam ad rem minuendam. Ita Cicero extenuat res bellicas Cæsaris tamquam Imperatoris minus proprias, ut ejus clementiam extollat, qua Marcello injurias condonarat, n. 6. pro Marcello. *Bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum. Et certe*

*in*

*in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum juvant. Maximam vero partem, quasi jure suo, Fortuna sibi vindicat, et quidquid est prospere gestum, id pene omne ducit suum, etc.*

Valet etiam ad hortandum. Sic 2. Verrina nu. 51. Glabrionem hortatur hoc modo Tullius ad suscipiendam judiciorum causam: *Cogita, qui sis, quo loco, quid dare Populo Rom. quid reddere majoribus debeas. Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis optimis judicis severissimisque judicibus usus est. Circumstant te summæ auctoritates, quæ te domesticæ laudis oblivisci non sinant, quæ te dies noctesque commoneant, fortissimum tibi patrem, sapientissimum avum, gratissimum socerum fuisse.*

Item et ad dehortandum ille Locus utilis est. Sic in libro de Senectute num. 40. 41. ut excitet voluptatis odium et ab ea deterreat, exhibet perniciosos voluptatis effectus. *Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc clandestina cum hostibus consilia nasci dicebat; nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra vero et adulteria et omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptate; cumque homini sive natura, sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem, nec enim dominante libidine, temperantiæ locum*

*cum esse omnino, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere.*

Exempla Causæ materialis habes Verrina 6. n. 64 Exaggerat furtum Verris a materia Candelabrorum, quæ rapuerat, quia gemmis et auro constabant. *Candelabrum e gemmis clarissimis opere mirabili perfectum.* Et ibidem num. 62. *Non pauca etiam pocula ex auro, quæ, ut mos est regius, et maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. Erat autem vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata cum manubio aureo.*

Et Verrina 4. num. 33. Sthenii elegantem a materia commendat supellectilem, quam Verres variis modis suam fecerat. *Etenim Sthenius ab adolescentia studiosius paulo hæc compararat, supellectilem ex ære elegantiorem et Deliacam et Corinthiam, Tabulas pictas etiam argenti benefacti, prout Thermitani hominis facultates ferebant. Quæ posteaquam ipse abstulit, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo, ferebat Sthenius, ut poterat, etc.*

Item lib. 2. de natura Deorum num. 39. Sydera commendat a materia. *Atque hac mundi divinitate perspecta, tribuenda est syderibus eadem divinitas, quæ ex nobilissima purissimaque ætheris parte gignuntur, neque ulla præterea sunt adinstar naturæ, totaque sunt calida atque perlucida.*

*Quis est usus illius Loci?*

*R.* Valet hic locus ad commendationem man factorum, ad extollendum rei alicujus pretium, aut idem minuendum. Sic pro Mu-

ræna Jurisprudentiam elevat ab exilitate rerum, circa quas versatur n. 19.

Exempla Causæ formalis suppeditat Oratio pro Sextio nu. 47 ubi Tullius probat, mortem sibi expetendam fuisse potius, quam timendam, quia hominis animus immortalis est. *An mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tum mortem ne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine cum gerebam, non mihi mors, non exilium ob oculos versabantur? Non hæc denique a me tum, tamquam fata, in ipsa re gerenda, continebantur? an erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disjunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers consilii aut ingenii? nihil audieram? nihil videram? nihil ipse legendo quærendoque cognoveram? nesciebam vitæ brevem esse cursum, gloriæ sempiternum? cum esset omnibus definita mors, optandum esse, ut vita, quæ necessitati deberetur, patriæ potius donata, quam reservata naturæ videretur? Nesciebam inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent hominum animos sensusque morte restingui; alii autem tum maxime mentes sapientum ac fortissimorum virorum, cum e corpore excessissent, sentire ac vigere. Quorum alterum fugiendum non esse, carere sensu, alterum etiam optandum, meliore esse sensu.* Et

Et lib. 1. Officiorum numero 106. concludit homini fugiendam esse voluptatem ab excellentia ingenii seu animi, qua polleat. *Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantia, eamque contemni ac rejici oportere. Sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse modum ejus fruendæ. Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referantur et ad vires, non ad voluptatem. Atque etiamsi considerare volumus, quæ sit in natura excellentia et dignitas, intelligemus, quam sit turpe diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere; quamque honestum parce, continenter, severe sobrieque.*

Et Verrina 6. n. 72. exaggerat sacrilegium Verris ab egregia forma simulacri Dianæ, quod Verres sustulerat. *Fuit apud Segestanos, ex ære simulacrum Dianæ tum summa atque antiquissima præditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum.*

Et num. 74. de eodem Dianæ simulacro. *Hæc posita Segestæ sane in excelsa basi, in qua grandibus literis P. Africani nomen erat incisum. . . . Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola: verumtamen inerat in illa magnitudine ætas atque habitus virginalis: sagittæ pendebant ab humero: sinistra manu retinebat arcum, dextera ardentem facem præferebat.*

Item Candelabrum jam a nobis laudatum extollit ab egregio operis artificio, n. 65. ibid. *Etenim erat in splendore, qui ex clarissimis et plurimis gemmis esse debebat; ea varie-*

*varietate operum, ut ars certare videretur cum copia: ea magnitudine, ut intelligi posset, non ad hominum apparatum, sed ad amplissimi templi ornamentum esse factum.*

*Quis est usus illius Loci?*

*R.* Valet ad explicandam et describendam rem clarius, et etiam ad amplificandam.

Habes exempla Causæ Finalis pro Roscio Amer. n. 84. ubi Tullius probat a Fine, non fuisse Roscium patris interfectorem, quia nullum habere poterat ipsius occidendi propositum finem. *Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere. Lucius ille Cassius, quem populus Rom. verissimum et sapientissimum judicem putabat, identidem in causis quærere solebat, cui bono fuisset*

Sic et pro Milone n. 32. concludit Cicero, insidias non ab illo, sed a Clodio fuisse comparatas; quia spes emolumenti Clodium respiciebat, non Milonem.

*Quonam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte positam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, Cui bono fuerit, in his personis valeat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi sæpe parvo. Atqui Milone interfecto Clodius hoc assequebatur, non modo ut Prætor esset, non eo Consule, quo sceleris nihil facere posset; sed etiam ut his Consulibus Prætor esset, quibus, si non*

*non adjuvantibus ac conniventibus, certe sperasset, se posse Remp. eludere in illis suis cogitatis furoribus.*

Et pro Sextio n. 98. et 99. Optimates commendat ab eo fine, quem sibi proponunt. *Quid est igitur propositum his Reip. gubernatoribus? quid intueri, et quo cursum suum dirigere debeant? Id quod est præstantissimum maximeque optabile omnibus sanis, et bonis, et beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes Optimates; qui efficiunt, summi viri et conservatores civitatis putantur. Neque enim rerum gerendarum dignitate homines ita efferri convenit, ut otio non prospiciant, neque ullum amplexari otium, quod abhorreat a dignitate, etc.*

Et lib. 8. Epistola 11. ad Atticum ita commendat hominis Politici finem. *Ut gubernatori cursus secundus, medico salus, Imperatori victoria; sic huic moderatori Reip. beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Hujus enim operis maximi inter homines, atque optimi, illum esse effectorem volo.*

*Quis est illius Loci usus?*

*R.* Valet imprimis ad amplificandum et movendum. Ita pro Rosc. Amer. n. 145. Tullius ostendit, nullam adversario subesse causam Roscii accusandi; cum ea omnia, quibus induci potuisset ad accusandum eum, jam esset consecutus *Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in re voluntatem tuam lædi a me putas? ubi*

*tuis*

*tuis commodis officio? quid tibi obsto? si spoliorum causa vis hominem occidere? spoliasti. Quid quæris amplius? si inimicitiarum? quæ tibi sunt inimicitiæ cum eo, cujus antea prædia possedisti, quam ipsum cognosci? sin metuis? ab eo ne aliquid metuis, quem vides ipsum a se tam atrocem injuriam propulsare non posse? sin, quod bona, quæ Roscii fuerunt, tua facta sunt, idcirco hunc illius filium studes perdere? non ne ostendis id te vereri, quod præter cæteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur?* Sic in Pisonem n. 56. probat Cicero nihil habere Pisonem, quod tot patrata a se scelera excuset, nisi se cupidum fuisse triumphi, quod negabat, fateatur.

Et Oratione 2. in Rullum n. 74. deterret Populum Rom. ab agro Campano divendendo, exponendo finem, quo Decemviri ad vendendum movebantur. *Non obscure regnum constituitur, non obscure libertas vestra tollitur; nam cum iidem totam Italiam suis opibus obsidebunt, iidem libertatem vestram suis præsidiis et coloniis interclusam tenebunt, etc.*

EXER-

## EXERCITATIO.

*Innocentii IV. Summi Pontificis ad B. Ludovicum Galliarum Regem Oratio, cum is ad Hierosolymitanam Expeditionem proficisceretur.*

### Locus a Causis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* A Causa Efficiente, felicem appellabit Ludovicum, qui consilii ejusmodi habeat auctorem Deum; removebitque alias causas, puta ambitionem, dilatandi Imperii desiderium; gratulabitur etiam operis sociis ac comitibus.

2. Hortabitur ipsos a Causa Materiali, ne deterreantur iis laboribus, quos in expeditione illa ferendos habuerint, majorem inde gloriæ segetem habituri.

3. A Causa Formali dicet, tanto illustriorem fore ipsorum triumphum, si regionem illam occupaverint, quanto terra illa præstat cæteris; terram illam esse, quam Christus suis laboribus, suoque adeo sanguine nobilitavit: indignum quid esse terram illam a Barbaris possideri.

*Conclusio.* Fiet a Causa Finali, ostendetque quantam eo facinore gloriam Deo paraturi sint, quantam Christianorum genti lætitiam, quibus victoria sua aditum in loca sancta aperturi sint; quantum sibi ipsis decus: jubebitque ipsos hac spe sustentare sese.

ORA-

## ORATIO.

Felicem te, fortunatumque, Princeps Religiosissime, qui Deo duce atque auspice, dignum animo, dignum Imperii majestate, dignum Rege Christianissimo facinus aggrediare. Nam quid aliud præter incredibile divinæ gloriæ studium, quo flagras, tibi mentem illam inspiret, ut compositis feliciter domi forisque rebus, et parta lætissimi regni tranquillitate, tam durum tamque laboriosum expeditionis genus suscipias, (*A Causa Efficiente*) et avulsus medio regni de sinu, fidelibus populis ereptus, peregrinas procul in oras viam pertentes; ut certam apud tuos gloriam spei dubiæ et ancipiti, gloriosæ pacis otium novis bellorum tumultibus, regales aulæ delicias longis viarum obsidionumque defatigationibus postponas? Non te, quæ cæteros heroas exstimulare et accendere solent, vel impotens ambitio, vel comparandæ gloriæ cupiditas, vel dilatandi imperii spes et expectatio incitarunt. Totum hoc sibi Deus vindicat, quodcumque apud barbaros quæris; tu promovendæ ipsius gloriæ, propagandis ulterius ipsius regni finibus adlaboras. Et vos, quos tanti operis socios atque adjutores sibi Ludovicus adscivit, æstimate, ut par est, conditionis vestræ dignitatem, et honorificum sapientissimi Regis judicium factis confirmate.

(*A Causa Materiali.*) Neque enim difficultatibus ac periculis vacat consilium illud, quod suscipitis, neque ad facilem vel certam gloriæ segetem advolatis. Nostis varios et ancipites armorum exitus, et vestra Martis in

in laboribus virtus jam diu exercitata, sortis cujuscumque discrimen pati didicit. At nondum experti estis, quid sit pugnare cum barbaris, et quanta vos ignotis in regionibus pericula maneant: quot parta laboribus, quam multo redimenda sanguine sit illa victoria, quam animo percipitis. Sed quid ego hic vel periculorum magnitudinem, vel difficultatem operis, vel laborum multitudinem extollam, unde tanto major gloriæ vestræ meritorumque vestrorum seges exsurgit? non illa caduca vel fragilis, non inanis aut peritura, qualem plerique mortalium ambiunt; sed vera, sed certa, sed incorrupta, et nullis umquam temporum spatiis conscribenda.

(*A Causa Formali.*) Nam quis unquam triumphus, quæ victoria tantam olim peperit priscis heroibus gloriam, quantam regiones illæ, quas paratis armis vestris subjicere, vobis offerunt? Mementote, quæso, quam uberem illa palmarum segetem, quam fœcundam laurorum sylvam tellus ostentet, quam Christus ipse dignam suis laboribus inter cæteras judicavit. Hæc ipsa terra est, quam delapsus e pulcherrimo cœli domicilio sibi ad habitandum elegit, quam impressit vestigiis, peregrinationibus decoravit, tinxit sudoribus, illustravit miraculis et totius effusione sanguinis purpuravit. Et hanc sibi terram tot abhinc annis barbari vindicent, fœdissimis dæmonum religionibus polluant, infami lucro mancipent, et sanctissimæ Religionis nostræ spoliis divites nobis audeant insultare? Excitetur ad tanti dedecoris memoriam Christianorum heroum fortitudo, incendatur studium,

pietas

pietas inflammetur. Videte, quæso, ne cum nullus in toto terrarum orbe locus sit sanctior, nullus cultu vestro dignior, nullus meliori jure vobis mancipatus, tanto tolerandum minus viberi debeat, hereditatem tam sanctam, tam verendam, tam expetendam, ab impiis hominibus occupari. Ite igitur alacres, perficite fortiter, quod tam viriliter inchoastis.

(*A Causa Finali.*) Quod si difficultates itinerum, rerum angustiæ, laborum asperitas, gravioris belli fastidia constantiam vestram pertentabunt, et incredibilem illum, quo jam succensi estis, ardorem videbuntur temperare; spes illa, quam vobis ipsis proposuistis, vos sustentet, et præclari facinoris, cui navatis operam, conscientia consoletur. Veniat frequenter vobis in mentem, quod Religioni ipsique Deo militatis; quod universæ Christianorum genti tutum ac facilem in illas terras aperitis aditum, in quibus sanctissima salutis nostræ mysteria patrata sunt; quod vobismet ipsis intermoriturum numquam apud posteros decus, et coronam in cœlo quovis pretio redimendam comparatis.

## ALIA EXERCITATIO.

### *A Causis.*

Adhortatio ad Mortales, ut abjecto rerum terrenarum amore, ad sectanda cælestis patriæ bona contendant.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Deplorabit Orator sortem hominum, qui nati perfruendis æternis bonis, rebus perituris adhærescunt. *Pro-*

*Propositio.* Hortabitur ipsos, ut posito fucatæ beatitudinis amore, ad felicitatem veram adspirent.

*Confirmatio.* Ostendet a Causis cælestis patriæ pretium. Et 1. a Causa Efficiente, hoc est a Deo ipso, qui cælestem patriam suis ipse manibus condidit; comparabitque illam cum cæteris rebus, quæ admirationem hominum stimulant; puta palatiorum magnificentiam, hortorum amœnitatem, argenti, aurique splendorem, lucem gemmarum; dicetque Deum lusisse quodammodo reliquis in rebus; at suam in ædificanda cælesti patria industriam exhausisse.

2. A Causa Materiali. Quæret a Mortalibus, quæ tandem maxímo in pretio habeant? an aurum? an argentum? an lapides pretiosos? dicetque Cælum auro stratum esse, muros ex margaritis conflatos, portas totidem esse pretiosissimos lapides, etc. qualis describitur in Apocalypsi B. Joannis sancta civitas.

3. A Causa Formali. Dicet loci illius pulchritudinem exsurgere ex ipsa Dei majestate, quæ cælestem regionem ornabit; ex Christi præsentia, qui solis instar Cælum collustrabit. Hinc fore ut his rebus perfruentes numquam satientur, sed novo semper easdem videndi et possidendi desiderio accendantur.

4. A Causa Finali. Condita est cælestis patria, ut esset merces rerum pie sancteque gestarum. Jubebit ergo homines pensare labores Sanctorum, vigilias, cruciatus, etc. Christi ipsius meritorum magnitudinem, quæ Deus ut compensaret, videtur exhausisse suas opes, ut Cælum ornaret.

Con-

Concludet: Et erit aliquis tam fastidiosus cælestis patriæ contemptor, qui, etc.

## ORATIO.

Cum altissimis mortalium animis sic insitus est a natura veræ ac sinceræ beatitudinis amor, ut in ea vel possidenda vel saltem consectanda expleri penitus ac satiari nequeant: tum certe quis non mirabitur in persequendis fragilibus caducisque rebus plerosque hominum tam esse pertinaces, ut solidis et numquam perituris carere bonis facile posse videantur?

(*A Causa Efficiente.*) Nam quis vos error, mortales miseri, quis demens furor obcæcat? quo fucatæ larva beatitudinis insanos rapit? Tantum ne vobis infelix placet exsilium? sic perpetuæ mortis habitaculum delectat æternitati destinatos? Respicite enim vosmetipsos; intelligite tandem aliquando conditionis vestræ nobilitatem, et dignos naturæ vestræ excellentia sensus induite. Cogitastis umquam cælestis illius regionis, quæ nostris capitibus imminet, eximiam pulchritudinem, magnitudinem immensam, splendorem admirabilem? Hic scilicet beatum pacis ac quietis domicilium vos expectat: in hac regione fortunatissima, elaborata ipsis omnipotentis Dei manibus, jucundissima felicis ævi domus vobis præparatur. Ah! si vos tantopere delectat ac rapit regalis palatiorum magnificentia, amænissima ruris varietas, hortorum deliciæ; si perstringit oculos argenti nitor, ac splendor auri; si gemmarum fulgor, lux syderum, firmamenti majestas in admirationem rapit; cogi-

cogitate præstantius aliquid ac magnificentius in hac cælesti patria, quæ hominum generi perfruenda destinatur. Scilicet in rebus universis, quæ sub aspectum cadunt, aut condendis aut exornandis lusisse quodammodo divini Numinis potentia visa est, at in extruendo exornandoque cælestis gloriæ domicilio operam suam atque magnificentiam collocavit, ut opes exhausisse suas, et vim industriæ adhibuisse omnem videri voluerit.

Qualem enimvero putatis esse augustissimi illius palatii apparatum, quod ex pretiosissimis quibusque rebus conflatum est? (*A Causa Materiali.*) Agite, vosmetipsi mortales, quid vobis videtur in bonis creatis pretiosissimum? quid inter cætera aut admirationem concitat, aut cupiditatem vestram incendit? an argentea supellex et aurea? an adamantini lapides perstringunt oculos, et suis vos illecebris pertentant? bene est, erit, unde cupiditatis vestræ satietur sitis: nihil erit ultra, quod expetendum vobis relinquatur: dabitur vobis aliquando, si vultis, in eam civitatem ingredi, quæ purissimo strata sit auro, cujus muri intexti gemmis et margaritis colluceant, quam portæ totidem pretiosi lapides exornent, quæ nativa quadam et numquam obscuranda luce collustretur.

(*A Causa Formali.*) Sed quid hic aurum, quid gemmas, quid pretiosos lapides appello, quasi suam ab ejusmodi rebus pulchritudinem totam admirabilis ille locus mutuetur? Altius, mihi credite, cælestis patriæ magnificentia petenda est. Ipsa est Dei omnipotentis majestas, quæ suum cælo pretium facit;

quæ domum illam exornat; eamque rebus omnibus, quæ vel cogitari possunt, exhibet multo magis expetendam: hanc sua ipse præsentia Christus illustrat, et splendidissimi solis instar novam illi lucem impertit. Quid porro de Virgine sanctissima, quid de variis cælestium Spirituum ordinibus, quid de innumero beatarum mentium comitatu loquar, quæ de sua omnes gloria ad decorandam regionem illam fortunatissimam conferunt? Nihil ergo jam mirer, si purissimæ cujusdam voluptatis torrentibus, et incredibili deliciarum ubertate cælestis patria designetur: si, quicumque illam assecuti sunt, ea sic perfruantur, ut novo semper ejusdem potiundæ incendantur desiderio, si satietas illic sine nausea, diuturnitas sine fastidio fatura sit. (*A Causa Finali.*)

Hanc tamen tantam bonorum omnium copiam ac suavitatem ad cumulandam cœlestis patriæ magnificentiam confluxisse qui mirabitur; reputet ille secum, quod illa priorum hominum remunerandis laboribus destinata sit. Deus scilicet, qui in perficiendis cæteris naturæ operibus tam liberalis, tam munificus, tam prodigus extitit, nihil ut immortales divinæ potentiæ divitias non loquatur, parcus in benefaciendo, in remunerando parum magnificus videretur. Etenim bonorum illorum copiam atque affluentiam, quibus hæc terrarum universitas abundat, ex æquo probis atque improbis reliquit ad arbitrium: potentior sæpe, qui pejor, ditior, qui rapacior, felicior, qui sceleratior est. Communis hæc nobis rerum abundantia cum bestiis etiam, cum

cum impiis potiunda permittitur: aliam ergo suis possessionem, opulentiorem illam melioremque seposuit. Si tamen hæc publica, hæc vulgaria et in communi posita tot habent illecebras, tot deliciis perfusa sunt; quid de speciali ac præcipua felicitate sperandum videbatur? si tanta indulsit alienis, peregrinis, et hostibus; quid amicis, quid heredibus, quid filiis erat expectandum, qui virtutum studio, qui divinæ legi constanter adhæsissent; qui labores innumeros, vigilias, solitudines, flagella, mille dolorum ac mortis species ipsius causa pertulissent; qui Christi ipsius merita, cruciatus, supplicia, necem acerbissimam suis ipsorum in meritis computarent?

Erigite igitur animos, Mortales, non jam miseri, sed fortunati, quos tanta beatitudinis æternæ magnitudo respicit. Dilatate vestri pectoris angustias; frena cupiditati laxate, optate, appetite, adspirate ad illa bona, quibus in perfruendis animus sic acquiescat, ut neque ea conservandi anxietate torqueatur, neque eadem amittendi metu.

## CAPUT XI.

### Locus ab Effectis.

*Quid sunt Effecta?*

*R.* Sunt ea, quæ sunt orta de Causis. Unde sequitur tam multa illa esse, tam varia, quam variæ multiplicesque sunt Causæ. Imo quia notiora sunt Effecta quam Causæ, ideo multo frequentiorem apud Oratores usum habent. Effe-

Effectus, qui respondet Causæ materiali, is est qui prodit ex materia: ita statua dicitur Effectus respectu æris aut ligni, quia ex ære vel ex ligno fit.

Effectus, qui respondet Causæ formali, est ipsa actio, quæ procedit a forma; sic formalis animæ immortalis effectus est, facere hominem immortalem.

Effectus Causæ finalis est, quodcumque suscipitur ad finem consequendum. Ita labores, vigiliæ; virtutum exercitatio sunt effectus finalis beatitudinis; quia hæc omnia ad eamdem beatitudinem consequendam adhibentur.

Denique effectus Causæ efficientis est id, quod ab illa efficitur, ut imago a Pictore.

*Quomodo ducitur argumentum ab Effectis?*

*R.* Si ex affirmatione Effecti Causa affirmetur; v. g. Fumus est; igitur ignis aut est, aut fuit. Vel si ex negatione Effecti a Causa necessaria provenientis negatio causæ elicitur; v. g. Nullus est calor; ergo nullus ignis.

*Quomodo tractandus hic Locus?*

*R.* 2. Per Congeriem. Ita Cicero lib. de senectute numeris 40. et 21. a nobis supra jam laudatis in capite de Causis, funestissimos voluptatis effectus recenset. *Hinc patriæ proditiones, etc.*

Et pro Muræna n. 22. commendat militarem virtutem ab Effectis per Congeriem. *Hæc nomen Populo Romano, hæc huic urbi æternam gloriam peperit. Hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit. Omnes urbanæ res, omnia hæc nostra præclara studia, et hæc forensis laus et industria latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis: simul*

*simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt.*

Sic paulo ante eodem numero probaverat virtutem militarem plus præsidii attulisse Murænæ ad Consulatum adipiscendum, quam Jurisprudentia Sulpitio contulisset. *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas; ille ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat: te Gallorum, illum buccinarum cantus excuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiantur. Ille tenet et scit ut hostium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis.*

Ita pariter Eloquentiæ dignitatem, jucunditatem ac necessitatem ab Effectis commendat per Congeriem lib. 1. de Oratore num. 30. 31. 32. *Neque vero mihi quidquam præstabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit; unde autem velit, deducere. Hæc una res in omni libero populo maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus, præcipue semper floruit, semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio ac perpolita? aut tam potens tamque magnificum, quam populi mo-*

*motus, Judicum religionem, Senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper, arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus?*

Et Philip. 5. n. 24. et 25. Antonium Annibali comparat, eumdem dicit tam perniciosum Italiæ extitisse. *Post autem neque solemnibus sacrificiis factis, neque votis nuncupatis, non profectus est, sed profugit paludatus. At quo? in Provinciam firmissimorum ac fortissi . rum civium, qui illum, ac si ita quidem venisset, ut bellum inferret, ferre potuissent; impotentem, iracundum, contumeliosum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebrium. At ille, cujus ne pacatam quidem nequitiam quisquam ferre posset, bellum intulit provinciæ Galliæ; circumsedit Mutinam firmissimam et splendidissimam populi Romani coloniam; oppugnat D. Brutum Imperatorem Consulem designatum, civem non sibi, sed nobis et Reip. natum. Ergo Annibal. hostis, civis Antonius? quid ille fecit hostiliter, quod hic non fecerit, aut faciat, aut non moliatur et cogitet? Totum iter Antonii quid habuit, nisi depopulationes, vastationes, cædes, rapinas? Quas non faciebat Annibal, quia multa ad usum suum reservabat, etc.*

Item

Item Phil. 2. n. 67. Antonii intemperantiam per congeriem ab Effectis describit. *Quæ Charybdis tam vorax, etc.*

Et Pisonem n. 26. probat ab Effectis eum non fuisse Consulem. *An tu eras Consul? etc.* Et pro Arch. n. 16. *Hæc studia adolescentiam alunt, etc.*

2. Tractatur Locus ab Effectis per Conversionem. Ita Cicero Philip. 2. n. 55. malorum omnium, quæ Italiæ acciderant, auctorem facit Antonium. *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus Ordinis afflicta est? afflixit Antonius.*

3. Per complexionem. Exemplum est Locus hic lib. 4. ad Heren. n. 18. *Qui sunt qui fœdera ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui sibi postulant ignosci? Carthaginenses.*

*Quis est usus illius Loci?*

*R.* Valet plurimum in descriptionibus, in amplificationibus, in moribus excitandis.

Exemplum habes pro Cluentio num. 23. *Memoria teneo, Milesiam quandam mulierem, cum essem in Asia, quod ab hæredibus secundis accepta pecunia partum sibi ipsa medicaminibus abegisset, rei capitalis esse damnatam: neque injuria: quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatum Reip. civem sustulisset.*

Valet

Valet etiam in suadendo, et in laudando. Sit illud exemplum ex Oratione pro Plancio num. 26. *An Minturnenses coloni, quod C. Marium ex civili errore atque ex impiis manibus eripuerunt, quod tecto receperunt, quod fessum inedia fluctibusque recrearunt, quod viaticum congesserunt, quod navigium dederunt, quod eum liquentem terram eam, quam servaverat, lacrymis votisque omnibus prosecuti sunt, æterna in laude versantur? Plancio, quod me vel vi pulsum, vel ratione cedentem tempori, receperit, juverit, custodierit, his et Senatui populique Rom. ut haberet quod reducerent, conservarit; honori hanc fidem, misericordiam, virtutem fuisse, miraris?*

Valet pariter hic Locus in vituperando. Habes exemplum in Pisonem num. 18. *Edicere est ausus, cum illo suo pari, quem tamen omnibus vitiis superare cupiebat, ut Senatus, contra quem ipse censuisset, ad vestitum rediret. Quis hoc fecit ullus in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers insignia? eripis lacrymas, non consolando, sed minado, etc.*

EXER-

## EXERCITATIO.

### *Eloquentiæ commendatio.*

Locus ab Effectis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet Orator quibus potissimum rebus moveri hominum animos, gloria scilicet et utilitate.

*Propositio.* Dicet suam hinc Eloquentiæ commendationem ac pretium contingere, quod gloriam et utilitatem pariat.

Confirmationis prima pars probabitur ab Effectis, demonstrabitque per congeriem, quam gloriosum sit Eloquentiæ inclinare posse voluntates hominum, quocumque velit; regere animos, ferre opem laborantibus, liberare periculis, etc. Id ipsum ostenderet exemplo Demosthenis ac Ciceronis, qui dicendo consecuti sunt, ut alter Athenis, alter Romæ dominaretur.

Secunda pars ab Effectis probabitur, Eloquentiæ scilicet utilitas; dicetque plus illam ad incolumitatem salutemque publicam contulisse, armata manu; quod probabit cum exemplo Demosthenis, qui prosperas Philippi res infregit, tum Ciceronis, qui Catilinæ impetum coercuit. Id tractabit per Interrogationem, Repetitionem, Complexionem.

Denique ostendet quantam eadem Eloquentia gloriam et utilitatem attulerit iis, qui ea laude præstiterunt; quod conficiet ab Effectis, recensendo honores, quos homines novi adepti sunt Eloquentiæ beneficio.

Con-

Concludet hortando Candidatos, ut assequi contendant Eloquentiæ laudem, quæ et ipsis et patriæ tantum gloriæ et utilitatis afferre possit.

## ORATIO.

Cum ea mortalium omnium, quantum est qui vivunt, necessaria quædam conditio est, ut alii gloriæ studio, alii propriæ utilitatis expectatione moveantur; tum, si quid erit hujusmodi, quod gloriosum pariter atque utile videri possit, id certe singularem ac præcipuam in humanis rebus commendationem habere necesse est.

Atque hinc facile quivis intelligat, quantam apud hominum animos laudem, quam non vulgare pretium sibi Eloquentia vindicet, cui dos illa gemina, veluti propria atque innata sit, ut incredibilem gloriam cum summa utilitate conjungat.

(*Ab Effectis per Congeriem.*) Age enimvero, quid gloriosum magis, et ad stimulandam ingenitæ laudis ambitionem potentius, quam dominari ubique dicendo posse; nihil ut tam sit arduum ac difficile, quod Eloquentia non vincas ac superes? Nam ubi tandem Eloquentia imperium non exercet suum? ubi singularis illius, quod habet ad permovendos animos, roboris vestigium non deprehendas? Dominatur in foro, et Judicum religionem Senatusque auctoritatem sic regit, ut mentes vel ad iram, vel ad odium, vel ad dolorem incitet, si velit; aut ab hisce permotionibus ad lenitatem, misericordiamque revocet. Dominatur in civitate, populique

lique motibus ita moderatur, ut vel errantes ab errore deducat, vel excitet languentes, vel effrenatos ac furentes compescat ac mitiget. Dominatur in castris, eosque militum animis stimulos acuit, ut, qui armis vicerit, eos sæpe vincendos prius Eloquentia Imperator habuerit. Jam vero quid tam magnificum ac regium, quam ferre opem supplicibus, amicorum periculis adesse, revocare perditos, jacentes erigere, afflictos consolari, tueri innocentes ab improborum injuria; novis denique singulos in dies beneficiis bonorum omnium gratiam ac benevolentiam promereri? Hac ipsa fretos facundia legimus duo Eloquentiæ lumina Demosthenem ac Ciceronem, alterum Athenis, Romæ alterum tantam sibi apud omnes auctoritatem conciliasse, ut civium regerent animos, et quamcumque vellent in partem, voluntates inclinarent.

Quod si tam gloriosum est existere in conserta multitudine unum aliquem, qui in mentes hominum singulare quoddam imperium exerceat; quantam ad ipsum utilitatem affert bene moratis civitatibus, cum ad tuendam populorum gloriam, tum ad earum incolumitatem salutemque conservandam? Est enim hoc plerumque in Oratore diserto præsidium, quod vis armata non sufficiat. Testis est laudatus jam a me divinus ille Demosthenes, qui sola linguæ facundia perfecit, ut prosperas Philippi res infringeret. Inclarmiscebant omnes utilitati publicæ; nemo conferre quidquam ad belli sumptus, nemo arma sumere, nemo subire fortunæ periclitantis aleam

aleam sustinebat; adeo rerum suarum gloria omnium animos Macedonum rex perculerat! Adfuit Demosthenes, qui civium somnolentiam argueret, increparet ignaviam, et residés jam dudum animos ad magna quæque incenderet. Testis et ipse Romanæ linguæ gloria Marcus Cicero, cujus facundia multo plus ad salutem Imperii ac tutelam contulit, quam fortissimi Imperatores profuissent. (*Ab Effectis per Repetitionem.*) Nam quis Romam, illam gentium omnium dominam, cum in ruinam suam præceps rueret, ab interitu vindicavit? quis nefarias improborum civium machinationes retexit? quis contudit impetus? quis metum incussit? quis eripuit arma furentium de manibus? quis urbem ab incendio, cives ab internecione, Italiam totam ab exitio revocavit, nisi una Marci Tullii Eloquentia quocumque præsidio potentior, atque efficacior?

Verum si tantam ex eruditis disertorum virorum laboribus gloriam cum tanta utilitate conjunctam compararunt civitates illæ, apud quas isthæc Eloquentiæ lumina refulserunt; non habuerunt vicissim Oratores illi præstantissimi, quod de patria quererentur, aut minus vel emolumenti vel gloriæ ab eadem percepisse se expostularent. Nam quibus tandem non nituere conspicui honoribus? aut quod tam excelsum dignitatis fastigium est, cujus facti compotes non fuerint? Vidimus homines novos, nulla majorum gloria, nullo generis splendore spectatos, iis defunctos fuisse magistratibus unius Eloquentiæ præsidio, quibus nobilissimi quique viri excluden-

dentur: vidimus eam adeptos fuisse in opinione hominum famam, ut quot eorum dicta, tot effata, quot verba, tot decreta, quot responsa, tot oracula haberentur.

Et erit quisquam tam parum cupidus patriæ laudis aut suæ negligens vel publicis vel privatis in rebus, ut facilem rei utriusque colligendæ viam, si possit, ingredi refugiat? Vos hæc potissimum spectat oratio, quotquot capessendæ Eloquentiæ navatis operam; hæc vobis proponitur digna laboribus vestris merces atque compensatio: hi stimuli teneris adhuc ac recentibus animis adjiciuntur, ut si quam afferret moram asperioris studii diuturnitas, tam gloriosæ mercedis expectatio novum ad superandos obices quoscumque robur, novos animos sufficiat.

## ALIA EXERCITATIO.

*Laudabitur institutum illud, quo laboriosæ Juventuti præmia proponuntur.*

Locus ab Effectis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord. et Prop.* Ducetur a commendatione eorum, qui laboriosæ Juventuti præmia proposuerunt.

*Confirmatio.* Ab Effectis, et 1. per Congeriem quæret, quid sit constitutum utilius quam quod ingenium acuit, diligentiam stimulat, studiorum molestias, scientiarum asperitates lenit ac mitigat.

2. Per Complexionem dicet, hunc fuisse Institutionis illius effectum, ut tot olim

Athenis, tot Romæ, tot hodie apud nos in liberalibus artibus excellant.

3. Per Distributionem ostendet, nullum esse, qui mercedis expectatione non stimuletur; nobiles æque ac ignobiles, ingeniosi pariter atque hebetes, strenui ac socordes accenduntur.

*Conclusio.* Continebit Regis Christianissimi præconium, cujus munificentia perpetua fit, ut numquam Parisiensi in Collegio laborisæ Juventuti præmia defutura sint.

## ORATIO.

Cum multa sunt in omni Repub. ad Juventutem instituendam inventa feliciter, ac sapienter constituta, tum nihil præclarius, quam quod stimulandæ juvenum industriæ præposita præmia esse voluerunt, ut insitam singulorum animis educationis bonæ sementem mercedis expectatio promoveret.

(*Ab Effectis per Congeriem*) Quid enim poterat ad excolendam sedulo Juventutem potentius excogitari, vel sanciri efficacius, quam illud, quod ingenii aciem acuit, vim ejusdem promovet, diligentiam excitat, fugat socordiam, accendit æmulationem, laborum fastidiis occurrit, studiorum molestias mitigat, scientiarum asperitates emollit, et quidquid in assidua corporis atque animi contentione durum ac molestum est, nescio qua suavitate aspergit et condit?

Miramur, inter breves Athenarum angustias tot prodiisse ingenii doctrinæque lumina, tot ornamenta liberalium artium, tot in unaquaque disciplina illustria perfectissimæ cujusdam absolu-

absolutionis exempla extitisse; totum hoc, quodcumque est, protulit, ornavit ac perfecit mercedis expectatio. Miramur, incensos nobili quadam æmulatione Romanos institisse Græcorum vestigiis, pari contentione animi ad capessendos studiorum labores accessisse; (*Ab Effectis per Complexionem.*) Athenienſium industriam, eruditionem et summum singulis in rebus laudis cumulum Romam aut æquasse, aut etiam superasse; tam laudabile æmulationis studium excitavit, fovit, incendit mercedis expectatio. Miramur etiam, florere apud nos hodie in omni doctrinarum genere præstantes viros, qui nec ingenio, nec eruditione, nec dicendi scribendique gloria veteribus Græcis aut Romanis cedant; hanc et nostris temporibus conciliat laudem ac gloriam mercedis expectatio.

(*Ab Effectis per Distributionem.*) Nam quis est tam æmulationis expers, tam aversus a Musis, tam parum veræ germanæque laudis studiosus, quem proposita industriæ atque eruditioni præmia non commoveant, et ad superandas studiorum asperitates non sustentent? Scilicet hæc comparandis laboribus parata merces sic nobilibus et natis ad magna quæque viris novos addit animos, ut tenues atque abjectos aculeis pungere non desistat; sic ingeniosos exstimulat, ut hebetes ac plumbeos otiari non patiatur; sic strenuis ac sedulis incitamenta sufficit, ut ignavos et inertes ad exercitiendam vecordiam invitet.

Laudentur igitur homines illi literarii ludi moderatores, qui tam ingens, tam potens ad incitandam Juventutis solertiam momentum addi-

addidere. At quantas, quam immortales gratias Ludovico Magno habebimus, cujus liberali munificentia factum est, ut in florentissimo totius orbis lyceo, numquam sua laboriosæ Juventuti præmia defatura sint? Celebretur enimvero tam beneficii Principis gloriosum nomen, et quamdiu florebunt liberales Artes, nulla posteritas de laudibus ejusdem conticescat.

## CAPUT XII.

### Locus a Comparatione.

*Quid est Comparatio?*

*R.* Est duarum vel plurium rerum inter se collatio

*Quotuplex est Comparationis genus?*

*R.* Triplex. Primum Majoris cum Minore. Alterum Minoris cum Majore. Tertium Paris cum Pari. Res enim, inter quas instituitur Comparatio, vel majores sunt, hoc est, verisimiliores, et quibus id, de quo agitur, potiori jure conveniat. Vel minores, id est, minus verisimiles, quibus non æque res aliqua conveniat, ac ei, cum qua conferuntur. Vel æquales in gradu veritatis, ut utris res potius conveniat, illis ne, quæ conferuntur, an illis, quibus cum conferuntur, non satis intelligas.

*Quomodo fit argumentum a Majori ad Minus?*

*R.* Quando minus probabile concluditur ex magis probabili; v. g. Catoni licuit sequi bellum civile, licebit et Ciceroni.

Cicero pro Domo sua num. 105. probat, Deos immortales domum suam non concupiisse,

piisse, quod ne homines quidem sceleratissimi, quos illam concupisse æquius erat, illam expetiverint.

*Civis est nemo in tanto populo extra contaminatam illam et cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro suis opibus in illa tempestate defenderit. At qui aliqua se contagione prædæ, societatis, emptionis contaminaverunt, nullius neque privati, neque publici judicii pœnam effugere potuerunt. Ex his igitur bonis, quorum nemo rem unam attingit, qui non omnium judicio sceleratissimus haberetur, Dii immortales domum meam concupiverunt?*

Sic et pro Rosc. Amerino probat, nihil esse mirum, quod Sylla omnia animadvertere non potuerit, cum ne ipse Jupiter id possit, n. 131. *Quid miramur L. Syllam, cum solus Remp. gereret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique majestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animadvertere non potuisse, nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit?*

Et Divinat. in Verrem num. 40. ita disputat contra Cæcilium: *Quod si ego hæc propter magnitudinem rerum ac difficultatem assequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi: quam longe tu te ab iis rebus abesse arbitrare, quas non modo antea non cogitasti, sed ne quidem, cum in eas ingrederis, quæ et quantæ sint, suspicari potes?*

Pro Muræna vero num. 9. probat eleganti et plena assentationis allegoria, non potuisse

se

se a defendendo Muræna temperare. *Atque hujusce rei de tuo ipsius studio conjecturam, Servi, facillime ceperis. Nam si tibi necesse putas etiam adversariis amicorum tuorum de jure consulentibus respondere: et si turpe existimas, te advocato, illum ipsum, quem contra veneris, causa cadere: noli tam esse injustus, ut cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos, etiam amicis putes clausos esse oportere.*

Pro Milone probat, longa amplificatione non esse habendam novo more de P. Clodii morte quæstionem, cum non esset id antea factum in nece clarissimorum virorum a n. 16. ad 22.

Pro Sylla n. 21. confutat a Majori ad Minus, quod Torquatus dixerat, se regnum Ciceronis ferre non posse. *Quod tandem, Torquate, regnum? Consulatus, credo, mei, in quo ego imperavi nihil, sed contra Patribus Conscriptis et bonis omnibus parui; quo in magistratu non institutum est a me regnum, sed non permissum. Quem tum in tanto imperio, tanta potestate non dicis fuisse Regem, nunc privatum regnare dicis; quo tandem nomine?*

Pro Plancio num. 78. probat agendas sibi fuisse Plancio gratias, a quo defensus fuisset, siquidem id Populus Romanus publico decreto fecisset.

*Quomodo ducitur argumentum a Minori ad Majus?*

*R.* Quando magis probabile seu magis verisimile ex minus probabili seu minus verisimili concluditur. Cujus argumenti vis ea est:

est: si, quod minus probabile est, nihilominus verum est; ergo et quod erit magis probabile, verum erit existimandum; v. g. si duabus legionibus vinci potuit hostilis exercitus, certe poterit idem a quatuor superari; si Martyres pro Christi causa vitam effuderunt, nos pro eodem levem contumeliam ferre detrectabimus?

Action. 2. in Verrem n. 28. a Minori ad Majus Cicero argumentatur. *Quid est, quæso, Metelle, judicium corrumpere, si hoc non est? Testes præsertim Siculos, timidos homines et afflictos, non solum auctoritate deterrere, sed etiam Consulari metu et duorum Prætorum potestate? Quid facere pro homine innocente et propinquo, cum propter hominem perditissimum atque alienissimum de officio ac dignitate decedis?*

Pro Lege Manilia n. 11. Populum Romanum Tullius hortatur a Minori ad Majus ad tuendam Imperii dignitatem. *Majores vestri sæpe Mercatoribus ac Naviculatoribus injuriosius tractatis bella gesserunt; vos tot Civium Rom. millibus uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius, Corinthum Patres vestri totius Græciæ lumen extinctum esse voluerunt; vos eum Regem inultum esse patiemini, qui legatum Populi Romani Consularem vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi Civium Rom. libertatem imminutam non tulerunt; vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos Lega-*

*Legatum Populi Romani omni supplicio interfectum inultum relinquetis? Videte ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri ac conservare non posse.*

Eodem argumento utitur Orat. post reditum in Senatu 2. probatque tanto majus esse Populi Romani beneficium, per quem omnia bona recepisset, quanto singula chariora sibi extitissent.

Et Oratione pro Cœlio n. 54. a Minore ad Majus auctoritatem exaggerat Lucceji cujusdam, qua abutebantur adversarii in Cœlium. *Habeo, Judices, quem vos socium vestræ Religionis jurisque jurandi facile esse patiemini L. Luccejum sanctissimum hominem et gravissimum testem, qui tantum facinus in famam atque fortunas suas, neque non audisset illatum a Cœlio, neque neglexisset, neque tulisset. An ille vir illa humanitate præditus, illis studiis, artibus, atque doctrina, illius ipsius periculum, quem propter hæc ipsa studia diligat, negligere potuisset? et quod facinus in alienum hominem illatum severe acciperet, id omisisset curare in hospite? quod per ignotos actum cum comperisset, doleret, id a suis tentatum esse negligeret? quod in agris locisve publicis factum reprehenderet, id in urbe ac suæ domi cœptum esse leviter ferret? quod in alicujus agrestis periculo non prætermitteret, id homo eruditus in insidiis doctissimi hominis dissimulandum putaret?*

Et

Et in Orat. de Provinciis Consularibus probat num. 2. sibi acrius læso jus fuisse majus Pisonem et Gabinium notandi, quam Servilio fuisset carpendi utrumque propter leviorem injuriam.

Habes similia argumenta petita a Minori ad Majus, pro Cæcinna n. 45. pro Plancio n. 26. 3. Catil n. 24. et 25. in Pisonem, n. 13. pro Milone, n. 80. pro Cluentio, num. 32.

*Quomodo fit argumentum a pari?*

*R.* Quando pariter probabile ex pariter probabili colligitur; v. g. Beati omnes innocentia vitæ, virtutis exercitatione, laborum tolerantia ad gloriam æternam pervenerunt; ergo et nos oportet iisdem gradibus ad eamdem gloriam ascendere.

Habes illius loci exempla apud Ciceronem illustria. Pro Sylla n. 48 *Neque vero, quid mihi irascare, intelligere possum. Si, quod eum defendo, quem tu accusas; cur tibi quoque non succenses, qui accuses eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuso meum: et amicum ego defendo meum. Non debes quemquam in conjurationis quæstione defendere; imo, nemo magis eum, de quo nihil est suspicatus, quam is, qui de aliis multa cogitavit.*

Ibid. n. 4. probat a pari, se non esse reprehendendum, quod Syllam defendat, qui ab Hortensio aliisque viris clarissimis defensus fuerit. *Ista conjuratio si patefacta per me est, tam patet Hortensio, quam mihi: quem cum videas honore hac, auctoritate, virtute, consilio præditum non dubitasse, quid*

*quin innocentem P. Syllam defenderet: quæro, cur, qui aditus Hortensio ad causam patuerit, mihi interclusus esse debuerit? Quæro illud etiam, si me, qui defendo, reprehendendum putas esse, quid tandem existimes de his summis viris et clarissimis civibus, quorum studio et dignitate celebrari hoc judicium et ornari, causam defendi hujus innocentis vides? . . .* Et n. 7. *Quamobrem quid est, quod mirere, si cum iisdem me in hac causa vides adesse, cum quibus in cæteris intelligis abfuisse? Nisi vere me unum vis ferum præter cæteros, me asperum, me inhumanum existimari, me singulari immanitate et crudelitate præditum.*

Philippica 5. n. 25. probat Antonium eodem debere haberi loco, quo Annibalem, quia tam hostiliter egit, quam Annibal.

Et pro Roscio Amer. num. 50. probat, non esse probro vertendum Roscio, quod subiungendæ terræ operam dederit; quia multi alii opibus et dignitate præstantes idem fecerint. *Næ tu Erusci accusator ridiculus esses, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro poscebantur, qui Consules fierent. Etenim qui aræsse agro flagitium putes, profecto illum Attilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. At hercule Majores nostri longe aliter et de illo, et de cæteris talibus viris judicabant: suos enim agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant, etc.*

Pro

Pro Muræna n. 31. bellum Mithridaticum, quod consilio armisque promoverat, a paribus bellis exornat

Ibidem n. 35. probat nullo Murænæ detrimento vertendum, quod Muræna prior Sulpitius in petitione Præturæ renunciatus fuisset.

Catilinaria 1. n. 17. probat Catilinæ ex urbe discedendum esset, quia pari omnium honorum judicio damnatus est. *Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? servi, mehercule, si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem; tu tibi urbem non arbitraris? Et, si me meis civibus injuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me aspectu civium, quam infestis omnium oculis conspici mallem. Tu, cum conscientia scelerum tuorum agnoscas omnium odium justum, et jam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum aspectum præsentiamque vitare? si te parentes timerent atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes. Nunc te patria, quæ communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, et jam diu te nihil judicat nisi de parricidio cogitare, tu neque auctoritatem verebere, neque judicium sequere, neque vim pertimesces?*

EXER-

## EXERCITATIO.

*Simon Judæorum Dux et Sacerdos ad Commilitones suos, de vindicanda Fratris sui Jonathæ ipsiusque liberorum morte, quos Tryphon accepto redemptionis pretio per fraudem malam interfecerat.*

Locus a Comparatione.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* A Minori ad Majus dicet, facturum se injuriam ipsorum cum fortitudini, tum grato animo, si longiori Oratione cohortandos ipsos putaret, ad vindicandam illius mortem, qui dux ipsorum ac custos Religionis tam multa pro tuenda ipsorum Religione et salute suscepisset.

*Propositio.* Continebit brevem rei gestæ narrationem: exponetque, ut Tryphonis fraude interierit Jonathas, postquam pro ipso, ipsiusque liberis pacta pecunia persoluta fuisset.

*Confirmatio.* A comparatione ducta a Majori ad Minus, jubebit ipsos meminisse, quantam majores ipsorum in suis contra Barbaros bellis fortitudinem exhibuissent, quoties pro Religione veri Numinis decertassent; non licere ipsis ab antiqua virtute esse degeneres. Admonebit, causam Jonathæ cum ipsius Dei causa esse conjunctam; neque occisum fuisse Jonatham, nisi in odium veri Numinis.

Deinde per Comparationem a Simili, dicet, par ipsis expectandum esse a Deo præsidium illi, quod jam paribus in præliis pro ipsius

ipsius causa susceptis experti essent, si idem studium, eumdem ardorem præseferrent.

*Conclusio* fiet per Anacephalæosim rerum jam dictarum, cum valida cohortatione ad rem strenue gerendam.

## ORATIO.

(*A Majore ad Minus.*) Facerem ego vestræ fortitudini injuriam, aut certe de vestro in Jonatham animo viderer iniquius æstimare, Commilitones amantissimi, si, dum illatum tanto viro funestissimæ mortis dedecus ac probrum paramus vindicare, longiori vos oratione ad rem viriliter gerendam exhortandos putarem.

Nostis enimvero, qualis et quantus vixerit apud vos frater ille mihi charissimus, Dux idem vester, et sacrorum custos ac propugnator acerrimus. Meministis laborum ipsius comites ac periculorum socii, quotquot estis, quam ultro discriminis cujuscumque aleam subierit, quam parum fortunis capitique pepercerit, quoties aut vestra salus, aut Religionis studium reposceret. Nunc ille Tryphonis impii dolo ac scelere nobis ereptus, videte, quos a vobis animos ad exigendam effusi sanguinis ultionem expectet. Equidem cum interceptus hostium insidiis una cum liberis suis Jonathas Tryphonis in manus venisset, doluimus, ut par erat, infelicem strenui bellatoris casum, quem sua virtus in tantum periculum adduxisset; at non erat sine solatio tanti viri calamitas, et hostis avari cupiditas effrænata certam maturæ redemptionis spem afferebat. Neque vero nos fefellit

improbi hominis aviditas. Redimi iniquo pretio captivos jubet: infinitam pecuniæ vim sibi mitti postulat, si salvum Jonatham cum ipsius liberis cuperemus. Nihil moramur; explemus hostis insanam sitim, nec parcendum auro ducimus, qui nec sanguini parcitum vellemus. At quam frustra! Auro potitur infamis prædo, et captivos obtruncat! Nos inultum pateremur scelus, fortissimi Commilitones?

(*A Minore ad Majus.*) Nam quo exarsisse studio legimus Majores Nostros, si quando barbari aut pactam infregissent fidem, aut aliqua nostros homines contumelia affecissent, aut religionis nostræ sanctitatem violassent? Impatientes probri, et acceptæ injuriæ usque memores non deponebant arma, donec hostili in sanguine probrum eluissent. Nos hæredes tanti nominis, et avitæ virtutis æmulatores, segnes et otiosi torpesceremus, dum pacti fœderis jura despiciuntur, dum palam nobis illuditur, dum gentis decus ac caput contra fas omne perimitur, dum veri Numinis cultus ac religio impetitur? Dico impeti veri Numinis cultum ac religionem, Commilitones. Neque enim existimate, dum Jonatham ulciscimur, aut suscipi a me unam fratris charissimi defensionem, aut a vobis Imperatoris fortissimi mortem tantum vindicari. Agitur causa Dei ipsius, quem colimus; agitur honos Religionis, quæ Sacerdotem suum desiderat, et sacrorum custodem acerrimum requirit: non occidisset ille ab impiis, nisi se tam strenuum impietatis hostem, quam egregium patriæ propugnatorem exhi-

exhibuisset. Videte ergo, ne, cum Dei ipsius causa cum Jonathæ causa conjuncta sit, cum in odium Istaeliticæ Religionis occubuerit, cum illius crimen omne fuerit divini cultus amor ac studium, videte, inquam, ne sit impium violatam tam iniqua cæde pietatem negligere, et inultam pati.

(*A Pari.*) Quam erit hodie vobis honorificum, quam gloriosum memoriæ Jonathæ, cum eodem, quo flagravit ipse, veri Numinis studio incensi procedetis in aciem? Quantam hæc una generosi facinoris conscientia nostris hostibus formidinem, quam certam nobis victoriæ fiduciam afferet! Nam quis jam armis suis diffidat, quibus instructum se ab ipso Deo meminerit? Nempe qui vestras olim injurias tam luculenter ultus est, non aderit hodie suas ulciscentibus? qui vos impares numero, et formidolosus contra exercitus decertantes suo robore confirmavit, numero jam, animis, causa superiores destituet? Idem hodie studium, eamdem alacritatem præstate; idem vicissim vindex Deus præsidium, idem robur præstabit.

Oro vos igitur per suavissimam Jonathæ memoriam, cujus sub vexillis tot annos militastis; per illam sanguinis communionem, quam in Simone duce vestro reveremini; per arma illa, quæ geritis, barbaris nuper tam fatalia; per vestram fidem ac religionem, quæ sociorum vestrorum in cæde violata est; ite fortissimis animis, Ducem vestrum ac Sacerdotem, Deum ipsum et Religionis jura vindicate.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

Marci Tullii Ciceronis Oratio in Senatu pro interficiendis Catilinæ sociis, qui in carcere detinebantur.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Demonstrabit, quam alienam a suis moribus rem agat, dum inferendam esse Civibus Rom. mortem persuadere aggreditur.

*Propositio.* Dicet versari in eo periculo Rempub. ut, nisi severitas ejusmodi statuatur in cives nefarios: stare non possit; neque se posse alia ratione ejusdem incolumitati consulere.

*Confirmatio.* Excitabit Senatus odium in conjuratos. 1. Comparatione ducta a pari: quam severe nimirum majores in eos animadverterint, qui res novas in Rep. molirentur, aut aliquod usurpare in Remp. dominium cogitarent: adducetque in exemplum Gracchos, Saturninum, etc. qui in re simili oppressi fuerant.

2. Ducta Comparatione a Majori ad Minus dicet, universum Populum Romanum in perditos viros conjurasse: an lentus segnisque Senatus unus videbitur? quid tota dicet Italia? etc.

3. Per Comparationem a Minori ad Majus adducet se in exemplum, et concludet: Videte ergo, ne, cum mihi honorificum fuerit vitam salutemque pro patria devovisse, vobis turpe sit, etc.

ORA-

## ORATIO.

Quam infelici meo fato fieri dicam, Patres Conscripti, ut cum mea ab ineunte ætate vel consilia, vel dicta, vel facta humanitati ac clementiæ semper servierint; hodie conversis in contrarium studiis, nihil præter cædem atque sanguinem aut velle, aut etiam persuadere videar?

Atque utinam, P. C. Civitatis hujus incolumitas, Reip. salus; et impositi mihi a vobis muneris ratio paterentur carere me hodierno consessu vestro, et tam tristi ministerio abstinere! Fruerer ea, quam sum consecutus ad hunc usque diem, humanitatis laude, et ad ferendas miseris calamitosisque civibus suppetias studium atque industriam converterem. Verum, cum ex illa, in qua me constituistis, ad invigilandum securitati publicæ, specula prospexerim, Remp. salvam esse non posse, nisi perditi ac nefarii cives de medio tollantur; pristinum mihi exuendum putavi amorem clementiæ, ut dignam Consule severitatem induerem.

(*Comparatio ducta a Pari.*) Nihil ego vos moror, P. C. vel in convincendo conjuratorum scelere, vel in gravitate flagitii, quod illi meditabantur, exaggeranda. Patuere insidiæ, clandestina cum hostibus consilia detecta sunt; patratum in ipsis patriæ visceribus crimen intellexistis. Quid restat, nisi ut pares ad vindicandam injuriam animos afferatis? Majores nostri stare posse Remp. non putarunt, nisi publicæ tranquillitatis osores, tamquam putrida totidem membra, rese-

resecarentur. Nam quid ego spectata satis Romanæ severitatis etiam in cives Rom. exempla commemorem? Quid vel ipsa conditæ urbis repetam exordia? Quid Manlium loquar, quid Crassum, quid Melium, quid Flaccum, quid Gracchos, quid Saturninum proferam, quos vel nefaria cum hostibus Reipubl. consilia molientes, vel effusis largitionibus ad populi gratiam adrepentes, vel alienum a libertate nostra dominatum affectantes, gravissimis quibusque suppliciis civitas ista mulctavit? Vos ejusdem auctoritatis hæredes et gloriæ inultos esse patiemini, qui urbem hanc incendere, labefactare *Rem*publicam, communem extinguere libertatem cogitarunt?

Ah! ne, per Deos immortales, P. C. stulta ac præpostera reorum commiseratio flectat vos aut commoveat. Quos meritis ereptos pœnis volueritis, hos universus Populus ad supplicium reposcit. Fuit hæc mihi, ut fatear, quod res est, P. C. inter gravissimos, quos nefaria conjuratio metus incussit, consolatio non levis, cum paratos multitudinis totius, ad repellendum commune malum, animos deprehendi: erexit spem Consulis, et novos etiam addidit stimulos conspirans civium omnium ad tuendam libertatem nostram voluntas; nec prævalituram putavi paucorum improbitatem, quam ad coercendam, quidquid in hac urbe sanctum atque integrum est, incenderetur. (*A Majori ad Minus.*) Videte ergo, qualem in re tali personam tueri vos oporteat. Cogitate, quales vos sitis, et ad quantum dignitatis gradum evecti,

evecti. Nolite hanc inurere ordini vestro labem, ut jactare quis possit, dum præter sortem fortis et animosus populus apparuit, segnem ac lentum in vindicanda communi injuria Senatum extitisse.

(*A Minori ad Majus.*) De me vero nihil dicam, P. C. Intellexistis enim ipsi satis, quanto capitis mei periculo imminentem vobis totique Populo Romano cladem averterim; quantam in me sceleratorum civium isto facinore invidiam concitaverim; quibus meis laboribus quietem ac tranquillitatem huic Imperio redimerim. Videte hoc unum, ne, cum mihi honorificum fuerit, fortunas, salutem, vitam pro communi bono devovisse; ita vobis turpe sit, inani metu deterritos ab extirpandis tanti mali reliquiis abstinuisse.

## CAPUT XIII.

### De Locis Assumptis seu extrinsecus petitis.

*Quid sunt Loci Assumpti, seu extrinsecus petiti?*

*R.* Sunt ii, qui petuntur aliunde, quam ex natura rei, neque pendent ab arte, ut excogitentur, sed ut tractentur.

*Quot sunt Loci extrinsecus petiti?*

*R.* Sex vulgo nominantur. Leges seu Præjudicia, Jusjurandum, Fama, Tabulæ, Tormenta, Testes; de quibus singulis seorsim nobis dicendum incumbit.

ARTI-

## ARTICULUS PRIMUS.

### De Legibus seu præjudiciis.

Observandum est Legem aliam esse æternam, quæ Dei est, aliam naturæ, quæ ab eodem Deo est, ut auctore naturæ, aliam humanam, quæ ab hominibus posita est.

Humana iterum dividitur in Ecclesiasticam, in Militarem, in Civilem sive Togatam, pro varia hominum conditione.

Rursum alia Lex est communis, quæ ad omnes, alia propria, quæ ad aliquos tantum pertinet, puta ad Regnum aut ad Provinciam.

*Quomodo confirmatur Locus a Lege?*

*R.* 1. Si ostenderis per amplificationem a definitionibus conglobatis Leges esse vincula Reipublicæ, Regnorum fundamenta, procreatrices tranquillitatis, 2. Si Leges commendaveris ab eis, a quibus latæ sunt. 3. Si per Amplificationem a frequentatione Consequentium, damna, quæ ex earum violatione secutura sunt demonstraveris.

Legum necessitatem dignitatemque multis commendat Cicero pro Cluentio num. 146. *Ut tibi concedam hoc indignum esse, quod cujusmodi sit, jam videro, ut mihi concedas, necesse est, multo esse indignius in ea civitate, quæ Legibus contineatur, discedi a Legibus. Hoc enim vinculum est hujus dignitatis, qua fruimur in Republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis; mens et animus, et consilium, et sententia civitatis posita est in Legibus. Ut corpora nostra*

*nostra sine mente, sic civitas sine Lege, suis partibus, ut nervis, ac sanguine et membris uti non potest. Legum ministri Magistratus, Legum interpretes judices; Legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.*

Lib. 1. de Inventione num. 70. monet Judices, Legum juratos custodes, ne a Legibus discedant. *Judices, qui ex Lege jurati judicatis, Legibus obtemperare debetis. Obtemperare autem Legibus non potestis, nisi id, quod scriptum est in Lege, sequamini. Quod enim certius Legis scriptor testimonium voluntatis suæ relinquere potuit, quam quod ipse magna cum cura atque diligentia scripsit? Quod si literæ non exstarent, magnopere eas requireremus, ut ex his scriptoris voluntas cognosceretur, etc.*

*Quomodo refutatur Locus a Lege?*

*R.* 1. Si probetur mutari posse Legem humanam hominis ad arbitrium. 2. Si ostendatur causam Legis non esse amplius. 3. Si retegatur aliquid iniquum in Lege. 4. Si lex Legi opponatur. 5. Si necessitatem agendi contra Legem fuisse demonstretur.

Tullius pro *R*abirio Perduelli num. 13. eludit Legem, ostendendo Legem non esse amplius in usu, nec superesse causam, propter quam lata fuisset. *Tu mihi etiam legis Porciæ, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cujusquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modo suppliciis inusitatis, sed etiam verborum inaudita crudelitate, violare libertatem hujus populi, tentare mansuetudinem, commutare*

*tare disciplinam conatus es? Namque hæc tua, quæ te hominem clementem popularemque delectant:* I, Lictor, colliga manus; *quæ non modo hujus libertatis magnitudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem aut Numæ Pompilii, sed Tarquinii superbissimi atque crudelissimi Regis. Ista sunt cruciatus carmina, quæ tu homo lenis libentissime commemoras,* Caput obnubito, arbori infelici suspendito. *Quæ verba Quirites, jam pridem non solum tenebris vetustatis in hac Rep. verum etiam luce libertatis oppressa sunt.*

Sic pro domo sua n. 53. Legem impugnat, quod per vim sit lata. *Quid si per vim tulisti? tamen ne Lex est? aut quidquam jure gestum videri potest, quod per vim gestum esse constet? An si in ipsa latione tua, capta jam urbe, lapides jacti, si manus collata non est, idcirco tu ad illam labem atque eluviem civitatis sine summa vi pervenire potuisti?*

Ibid. Legem Clodiam injuste latam ex caussa efficiente et ex partis Legis demonstrat num. 47. *At quid tulit Legum scriptor peritus et callidus?* Velitis, jubeatis, ne M. Tullio aqua et igni interdicatur. *Crudele nefarium, ne in sceleratissimo quidem cive ferendum sine judicio! Non tulit, ut interdicatur. Quid ergo? ut interdictum sit. O cœnum! o portentum! o scelus! Hanc tibi Legem Clodius scripsit; spurciorem lingua sua, ut interdictum sit, cui non sit interdictum?*

Ibidem

Ibidem Legum oppositione domum suam sibi non juste ereptam demonstrat num. 43. *Fueris sane Tribunus plebis, tam jure, quam Lege, quam fuit hic ipse Rullus, vir omnibus rebus clarissimus, atque amplissimus; quo jure, quo more, quo exemplo Legem nominatim de capite civis indemnati tulisti? Vetant Leges sacratæ, vetant duodecim Tabulæ Leges privatis hominibus irrogari: id est enim privilegium. Nemo unquam tulit, nihil est crudelius; nihil perniciosius, nihil quod hæc civitas minus ferre possit.*

Et pro Milone num. 10. Legem scriptam per Legem naturalem destruit. *Est enim, Judices, non scripta, sed nata Lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si nostra vita in aliquas insidias, si vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Silent enim Leges inter arma, nec se expectari jubent, cum ei, qui expectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quam justa repetenda.*

EXER-

## EXERCITATIO.

*Accusatur apud patrem eumdemque Consulem Manlius victor, quod contra datam sibi legem cum hoste conflixerit.*

Locus a Legibus.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Ducet Accusator a commendatione Legum universim; quod tractabit per Prætermissionem, quia dicit apud virum Consulem, eumdemque magnum Imperatorem.

2. Deinde descendet ad commendandas præsertim Leges militares, quarum infractio multo majoris momenti est, propter audaciam vitæ militaris, quæ fræno indiget, et propter clades, quæ consequuntur.

3. Ostendet, Filium Manlii hac Lege obstrictum fuisse; debent enim viri Principes prælucere cæteris exemplo, et ut majores sunt eorum virtutes, et sic majora solent esse eorum vitia.

4. Ostendet, Manlium patrem teneri Legem infractam vindicare, eo magis quod et a filio et a victore infracta sit. Nam si filium non punierit, dicitur plus naturæ, quam æquitati concessisse; si victori parcat, hoc pessimum apud posteros exemplum violatæ Legis relinquet.

Concludet, infelicem appellando Manlium, cui plus vicisse noceat, quam si victus esset.

ORA-

## ORATIO.

Si mihi apud aliquem alium, quam apud virum Consulem, eumdemque rerum bellicarum peritissimum Imperatorem habenda esset oratio, hodiernam, quam invitus ac reluctans fortissimo Juveni inferre cogor accusationem, singulari Legum commendatione præmuniendam censuissem. Verum quid attinet commendare Leges apud eum, quem Legum ministrum ac custodem sanctissimum, eumdemque sapientissimum interpretem reveremur? Scilicet in hoc apice dignitatis constitutus, unde domi forisque cuncta moderaris; nosti unus omnium optime, Tite Manli, quantus honor, quanta haberi debeat Legibus reverentia, quæ vincula Reipublicæ, fundamenta Imperiorum, tranquillitatis ac pacis procreatrices nuncupantur. Hinc illa majorum nostrorum, vel ab ipsis conditi primum Imperii temporibus, constans opinio, tam esse necessarias Leges ad tuendam Reipublicæ dignitatem incolumitatemque conservandam, ut sine gravissimo ejusdem detrimento infringi illas posse non putarent.

Quod si cæterarum Legum infractio tantopere metuenda est, quanto præcavere diligentius oportet, ne qua militari disciplinæ labes inferatur? Ut enim confidentiores esse solent præter vulgus hominum, arma qui tractant; et ipsa militiæ dignitas quædam ac gloria impunitatis fiduciam inspirat: nisi coerceatur fræno ejusmodi hominum temeritas, atque intra justos obsequii limites retineatur, nemo non videt, tristissimam ab iis

ipsis impendere Reipublicæ perniciem, qui ejusdem tutores ac conservatores reputantur.

Qua igitur confidentia, Tite Manli, tuus ille filius, juvenis alioqui laudatissimus consulare Imperium infregit? An quia excelsiore loco positus nemini latere poterat, quod contra Legem admisisset? an quia vicariam adeptus a te potestatem, tanto impensius primarium in Imperatore ac Consule revereri debuisset? an quia contempto per summum nefas paterno ac Consulari imperio perniciosum cæteris defectionis exemplum ostentaret?

Tu vero, qui tanti sceleris sedes arbiter ac judex, vide, Tite Manli, vide quam severam tibi ipse legem dixeris. Præclusisti omnem tibi ad misericordiam aditum, qui de filio pater, de victore Consul et Imperator judicium susceperis. Si paternæ caritatis studio victus indulgendum aliquid tuo sanguini censueris, quam tibi apud omnes concitabis famam, qui plus amori tenero pater, quam studio Reip. Consul tribuisse videare? Si victoris gloria placatus et inflexus ignoscendum juvenili temeritati existimas, quantum detrectandi deinceps obsequii juventuti Romanæ momentum sufficies Imperator? Quem enim imposterum in officio retineant Imperatorum jussa, quoties aut illecebra victoriæ, aut spes illustrandæ locus se offeret; si polliceri sibi possit temeritas impunitatem, et rei gestæ feliciter obtentu contumaciæ memoriam obliterare? Imo quis virtutum in numero docile mentis obsequium reponendum putet, quod contemni impune posse, et felicibus armorum eventis postponi intelligat? Infe-

Infelicem te, juvenis fortissime, qui Judicem eum offendas, a quo sine magno dedecore sperare quidquam non ausis. Miserum te, cui relatæ victoriæ decus plus nocuisse videatur, quam si victus in acie temeritatis tuæ pœnas dedisses. Faceret acceptæ cladis opprobrium, ne quid tentare ejusmodi exemplo tuo cæteri præsumerent. Deterruisset omnes suscepti infeliciter operis calamitas, ne militaris imperii Leges violandas esse arbitrarentur, et junioris Manlii exitium salubre toti juventuti obsequii documentum exstitisset. Quid restat, nisi ut partam imprudentia tua offensionem repares, et quod meruisti, capitis supplicio prætergrediendi deinceps militaris imperii metum incutiat?

## ALIA EXERCITATIO.

*Defenditur junior Manlius.*

Locus a Confutatione Legis.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Profitebitur Orator, se cum adversario de dignitate Legum ac necessitate convenire, neque alia se ratione usurum ad defensionem Manlii, quam Legum auctoritate: quod ut faciat.

1. Legi humanæ, quam dicet mutari posse hominis ad arbitrium, Legem naturæ multo validiorem opponet fatebiturque, si habeatur humanæ Legis ratio, puniendum esse Manlium. At Lex naturæ reclamat, prohibetque eum supplicio affici, qui victoria sua plus utilitatis Reip. attulit, quam mali, infractione Legis.

2.

2. Dicet interpretatum esse juniorem Manlium consilium Legis, qua se teneri in ea occasione non putavit; quia, si servasset Legem, certissimæ victoriæ locum amisisset.

3. Excusabit illum, quod necessitate magis quam voluntate Legem violaverit; nam quid aliud faceret juvenis natura fervidus, cum ab hoste provocaretur, et a suis prope cogeretur, ut certaret?

Denique Perorationis loco petet, ne Manlio noceat, quod patriæ profuerit, quod patrem habeat judicem, quod Remp. defenderit.

## ORATIO.

Novimus enimvero, Judices, neque opus erat, ut in commendandis Legibus tam inutilem operam accusator poneret; novimus, inquam, quanta debeat esse Legum auctoritas, in hac præsertim Republica, quæ suum a bonis moribus atque institutis momentum atque ornamentum accepit. Imo adeo non velim vel in hac causa infirmare quidquam ex iis, quibus adversus Manlium abuti visus est, ut ad illum defendendum nullum aliud lubentius, quam Legum ipsarum patrocinium adhibendum putem. Habeant ergo Leges pondus illud apud nos, quod semper habuerunt: Sunt illæ fundamenta hujus imperii, Reip. vincula, et amicæ pacis atque tranquillitatis fons et origo censeantur. Nefas sit illas infringere, et earum contemptores meritis, ut par est, pœnis coerceantur.

(*Lex legi opposita.*) At quibus, amabo, Legibus primus debetur honor? quæ Leges tandem singularem a nobis cultum atque religio-

ligionem vindicant? An illæ, quæ ut hominum consilio prodierunt in hanc lucem, ita eorumdem arbitrio refingi pariter atque infirmari solent? an illæ potius, quæ non tam scriptæ quam natæ nobiscum videri debent? quas non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa hausimus, arripuimus, expressimus; ad quas non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus? Esto videri nocens possit et dignus morte junior Manlius, si latæ a parente eodemque Consule Manlio Legis ratio habeatur, at si reclamat ipsa naturæ Lex, si reum absolvit, si amplissimo præmio remunerandum dictitat; si secutus illius vocem fortissimus juvenis, gravissimum se Reip. detrimentum, si Consulis edictum servaret, utilitatis plurimum, si idem prætermitteret, allaturum prævidit: rogo vos, Judices, quo demum recidet Accusatoris oratio? quam habere vim ad condemnandum victorem videbitur? Sensit enimvero junior Manlius, cum in iis rerum articulis deprehenderetur, ut certissima victoriæ spes affulgeret, cum affligendus ac profligandus hostis objiceretur, non audiendum esse Consulis imperium, qui depugnare prohibuisset; (*interpretatio legis*) vidit, non fuisse illud patris consilium, dum ferret Legem, ut oblatam rei feliciter gerendæ occasionem eriperet; non dubitavit, quin liceret sibi imperantis voluntatem sic interpretari, ut latum imperium in Reip. gloriam atque perniciem cederet. An licebat aliter ipsi de Patre, de Consule, de Manlio existimare?

*Neces-*

(*Necessitas violandæ legis.*) Quamquam habuerit Manlius aliam de Consulis voluntate opinionem; crediderit illum tam tenacem imperii sui, ut vel cum Reip. detrimento servari vellet: an debuit propterea studiosissimus rerum nostrarum juvenis oblatum navandæ feliciter operæ locum negligere? Nempe instabat imprudens hostis, numero, viribus, animo inferior; Manlius copiarum multitudine, robore, virtute superior certamen non iniisset? Provocabat ille Romanos ad pugnam, et nobis tantum non insultabat: Manlius juvenis natura fervidus, et gloriæ nostræ studio incensus, lentus ac segnis dedecus pertulisset? Commodam ille finiendi belli gravissimi opportunitatem sufficiebat; Manlius vel ipso capitis periculo auferri sibi de manibus tam amplam gloriæ triumphique segetem sustinuisset? Næ vicem hodie nostram doleremus, Judices, nisi in tam felici rei bene gerendæ occasione prætergrediendum patris ejusdemque Consulis imperium junior Manlius judicasset! Videte ergo, Judices, ne fortissimo juveni suus in patriam amor et singularis in unumquemque nostrum caritas nocuisse videatur; facite, nemo ut exprobrare nobis possit, eum a nobis affectum fuisse supplicio, cui triumphi gloria suis in *Remp.* meritis debebatur; sic temperate austeram Consulis severitatem, ut amor parentis filium absolvere ac tueri non erubescat.

ARTI-

## ARTICULUS II.

### Locus a Jurejurando.

*Quid est Jusjurandum?*

*R.* Est affirmatio vel negatio alicujus rei religioso ritu facta.

*Quomodo confirmatur hic Locus?*

*R.* 1. Si ostenderis, quam inviolabile debeat esse promissum, quo Deo quis obstringitur; idque a Minori ad Majus. Nefas est pacta cum homine violare; quanto magis cum Deo, cui debemus id omne, quod sumus?

2. Si per enumerationem partium recensueris pœnas, quæ jurisjurandi violatores consequuntur: experiuntur enim homines in se perfidos qui Deo perfidi extiterint, et sceleris conscientia cruciantur.

3. Si magnam in jurante vel auctoritatem vel probitatem demonstraveris.

Cicero lib. 5. de Officiis n. 111. ita de Jurejurando loquitur: *Nullum vinculum ad astringendam fidem jurejurando Majores arctius esse voluerunt. Id indicant Leges in* 12. *Tabulis; indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides; indicant notationes animadversionesque Censorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant.*

Eo loci pluribus agitat Cicero Quæstionem illam; utrum Regulus teneretur persolvere fidem, quam Carthaginensibus dederat; et probat, non potuisse ipsum frangere fidem datam vel hosti.

Hanc

Hanc porro formulam Romani in Jurisjurandi formulis adhibebant, *Si sciens fallo, ita me Diespiter, salva urbe hac arceque, et boni me dejiciant, ut ego hunc lapidem jacio.*

*Quomodo refutatur hic Locus?*

*R.* Primo, si ostendatur Jusjurandum opponi Legibus vel juri scripto, vel naturali.

2. Neminem obstringi ad id, quod iniquum est, posse; id autem iniquum esse, quod dicitur sacramento fuisse confirmatum.

3. Si demonstretur, id, de quo agitur, non expresse contineri in jurejurando, nec fuisse hanc jurantis mentem, ut in eo contineretur.

4. Si probetur emissum jusjurandum ex iracundia, vel ex imprudentia, vel extra locum.

Ita Cicero pro Fabirio Posthumo numero 36. probat eum, qui falsum semel dixerit, facere fidem non posse, vel si per Deos omnes juraverit. *Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea, etiam si per plures Deos juret, non oportet.*

Idem omnino confirmat pro Comœdo numero 46. *Qui mentiri solet, pejerare consuevit; quem ego, ut pejeret, exorare facile potero. Nam qui semel a veritate deflexit, is non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit. Quis enim deprecatione Deorum, non conscientiæ fide commovetur? Propterea quæ pœna a Diis Immortalibus perjuro, hæc eadem mendaci constituta est. Non enim ex actione verborum, quibus jusjurandum comprehenditur, sed ex perfidia et malitia, per quam insidiæ tenduntur alicui, Dii immor-*

*immortales hominibus irasci et succensere consueverunt.*

Et lib. 3. de Officiis n. 108. docet, non pejerare eum, qui falsum juraverit, sed quod ex animi sententia juraverit. *Non enim falsum jurare, pejerare est; sed quod ex animi sententia juraveris, sicut verbis concipitur more nostro, in non facere, perjurium est.*

Ibidem n. 107. postquam probavit vel hosti jurisjurandi fidem servandam esse, negat eamdem esse rationem prædonum, quibus negari possit, quod jurejurando promissum est. *Est autem etiam jus bellicum, fidesque jurisjurandi sæpe hosti servanda. Quod enim ita juratum est, ut mens deferentis conciperet fieri oportere, id servandum est; quod aliter, id si non feceris, nullum perjurium est. Ut si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si juratus quidem id non feceris. Nam Pirata non est ex perquellium numero definitus, sed communis hostis omnium. Cum hoc nec fides esse debet, nec jusjurandum commune.*

## EXERCITATIO.

*Herodias ad Herodem, ut pro edito jurejurando Joannis Baptistæ caput in disco dedat.*

### Locus a Jure Jurando.

### *SYNOPSIS.*

*Exord* Dicet, non petere se tantum, ut datam fidem, qua nihil est apud Reges san-

sanctius, sed ut dictum sacramentum perficiat.

*Propositio*. Jubebit meminisse ipsum, quam solemniter vel tertiam regni partem promisisset. Hoc tamen non peto, sed unius hominis multis tibi nominibus invisi caput.

*Confirmatio*. Ostendet 1. quam perniciosum daturus sit toti populo exemplum, si inani subterfugio eludi a se posse sacramenti religionem arbitretur.

2. Dicet, non esse clam sacramentum, sed aulæ toti notum: et per Apostrophen ad testes illius sacramenti, rogabit ipsos, ne tantam injuriæ labem inuri Regis nomini patiantur.

Concludet, vehementer deprecando Herodem, ut datam tam solemni sacramento fidem statim exsolvat.

## ORATIO.

Si postularem a te, datam mihi fidem ut exsolveres, Princeps invictissime, cum nihil esse debeat apud Reges illa sanctius, nihil inviolatum magis, non possem salva regiæ majestatis dignitate repulsam pati; nunc spreta religione jurisjurandi, quod emisisti tam solemniter, quo fieri pacto dicam, ut te in perficiendo sacramento difficilem ac tergiversantem experiar?

Tamen non peto pro jure meo partem Imperii tui tertiam, quam daturum te, si vellem, promisisti: nihil ejusmodi efflagito, quod annuere durum esse tibi debeat, aut molestum; quod improbare quisquam, si concesseris, aut velit, aut sustineat; quod nemo, si

si negaveris, negatum non expostulet, ac reprehendat. Hominis peto tibi tam multis nominibus invisi caput: peto detentum in carcere violatæ majestatis reum debita pœna multati: peto de medio tolli Joannem illum Baptistam, cujus compescere effrænem maledicendi obtrectandique licentiam, nisi hac una via, non possis.

Quod si nullam habere vis tam justæ postulationis rationem; si nihil apud te jam possit Herodias, quam modo regni tui parte potiorem æstimasti; cogita, quam perniciosum toti populo exemplum daturus sis, si futili inanique subterfugio eludere te posse sacramenti tui religionem arbitraris. Nam quo deinceps erit apud Judæos loco jurisjurandi sanctitas, quam nullum apud Regem sapientissimum pondus habuisse cognoverint? quis religioni ducet non exequi, quod promiserit, cum violatam a te solemnis sacramenti fidem intelliget? quis peccare postea verebitur, qui tam idoneum in te auctorem, aut saltem tam justam in Rege suo legitimamque excusationem ostentare possit?

Utinam enimvero clam atque in tenebris jusjurandum illud emisisses! utinam Herodias una testis illius ac conscia extitisset? utinam densissima oblivionis caligine posset etiamnum sepeliri ejusdem memoria! At tot habes illius testes, quot Aulicos, tot futuros postmodum exempli illius pravi censores, quot domesticos, tot obtrectatores tui nominis, quot Judæos. Vos, o fidissimi comites Principis invictissimi, tantam Regis vestri nomini injuriam defendite; contendite pro virili

virili parte, ne tam turpis Herodis memoriæ labes adhæresçat; depellite metus illos, quos nimia ipsius humanitas atque clementia injecit.

Quamquam nihil tibi hortatore opus est, Princeps invictissime; tua te fides tam solemniter obligata, et illa sacramenti, quod emisisti, religio satis adhortantur, ut perficias sedulo, quod tam expresse promisisti. Age ergo; mitte quam primum speculatorem, qui hominis invisi caput auferat, qui te aulamque tuam, totamque Judæam importuno publicæ quietis perturbatore liberet. Sic Herodiadem, quæ placere tibi meruit, compotem voti dabis; sic oppigneratæ fidei conscientiam exsolves, et novam dicto sacramento religionem atque auctoritatem conciliabis.

## ALIA EXERCITATIO.

*Oratio viri Judæi contra Herodiadem pro Joanne Baptista.*

Locus a jurejurando confutatus.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Mirabitur, eam fuisse puellæ impudentiam, ut sanctissimo fidei nomine ac sacramenti religione ad extorquendam rem iniquissimam abuti non dubitaverit.

*Propositio.* Petet ab Herode per Apostrophen, num revera se putet ulla sacramenti religione obstrictum, ad imperandam viri innocentis mortem?

*Confirmatio.* Ostendet, nullam vim emissum ab Herode jusjurandum habere oportere Joannis

Joannis in perniciem. 1. Quia non potuit quidquam promittere, multo minus jurare, quod esset iniquum; demonstrabitque, quam iniqua haberetur, si innocentem virum ad votum impudentis puellæ interficeret. 2. Quæret, an fuerit umquam mens Herodis, ut obligaret fidem, ad stipulandas sanctissimas æquitatis leges.

Concludet dicendo nihil esse, quod Rex pertimescendum habeat ab eorum testimonio, qui jurantem audierant. Laudaturos illos potius Regis humanitatem atque clementiam, qui scelere non perfecisset, quod sine scelere jurare non potuerat.

## ORATIO.

Et fucum faciet præstigiis etiamnum suis procax atque impudens puella, et quod apud Reges sanctissimum est, fidei atque jurisjurandi nomen, eo, per summum nefas, ad extorquendam rem iniquissimam abutetur?

Ita ne vero, Princeps invictissime, pondus apud animum tuum aliquod habuisset insolens Herodiadis Oratio? an persuasisset illa tibi tam indignum humanitate tua facinus! Te ne futili inanique jurisjurandi specie obstrictum arbitrareris, ut viri sanctissimi necem properares?

At enim promisisti saltatrici impiæ, fore illam voti compotem sui: obligasti regiam spectantibus Aulicis fidem; inviolabilem solemnis sacramenti religionem adjecisti. Scilicet ut iniquum quid admitteres? ut ignominiosam nomini tuo labem inureres? ut Regum majestatem turpi flagitio dedecorares?

Hoc si postulat a te insipiens puella, tunc id facturum te aut promisisti, aut promittere potuisti? Nam quod illud tandem est, quod petit; quo impia sceleratæ Herodiadis vota feruntur? quod sibi saltationis lascivæ præmium donari poscit? O singularem inauditamque in ætate tam tenera impudentiam? Tu, ne puellam mœstam ac dolentem abire patereris, verendum toti Judeæ caput proscriberes? Tu virum innocentem, nulla in re male meritum de te perderes? Tu divinum illum veritatis æquitatisque præconem, quem miratus es ipse toties, quem dicentem æstimasti, quem bene monentem et sana consulentem ultro volensque sustinuisti, inani sacramenti religione perculsus interficeres?

An hic tibi, Princeps sapientissime, fuit animus, cum saltantis puellæ captus gratia, quodcumque postulasset illa, pollicereris; cum datam fidem interjecta sacramenti religione confirmares; cum vel tertiam regni tui partem non dubitares oppignorare; an hic, inquam, tibi fuit animus, ut in rebus etiam iniquissimis repulsam non ferret? Ergo si leges refringi sanctissimas, si jura violari omnia, si quidquid in regno tuo sancitum sapienter, labefactari ac pessumdari precaretur; tu puellæ impudentis ad votum miscere susdeque omnia atque evertere cogitares?

Et hoc credis fore aliquem e consultissimo Aulicorum cœtu, qui approbet? qui tam impium admitti a te facinus, ultro volensque patiatur? qui succenseat tibi, quod insipientis puellæ preces rejeceris? qui violatam jurisjurandi fidem expostulet? Imo, imo, ne dubita, Prin-

Princeps sapientissime, collaudabunt omnes sapientiam tuam, quam intercipi dolosis vafræ puellæ illecebris non permiseris; prædicabunt humanitatem tuam, qui afflictæ innocentiæ contra vim atque audaciam adfueris. Extollent summam æquitatem tuam, qui perficere cum scelere nolueris, quod polliceri sine scelere non potueras. Vive ergo securus aulæ tuæ; rejice a te longius consultam male et imprudentem nimis puellam; et, quæ tam iniqua donari sibi postulavit, eam debita etiam pœna multare non dubites.

## ARTICULUS VI.

### De Præjudiciis, Fama et Testibus.

Etsi Præjudicia vulgo confunduntur cum Legibus, quia nihil sunt aliud, quam Senatus consulta, seu Decreta jam ante facta, quibus Orator utitur ad similem causam simili modo definiendam, tamen usurpantur aliquando latius pro quacumque præjudicata opinione, quam aliquis afferat ad causam, sive illa decreto aliquo aut exemplo nitatur, sive nulla certa ratione animos videatur imbuisse. Quare Oratoris est ire obviam ejusmodi Præjudiciis, exemplo Ciceronis pro Cluentio, n. 6.

*Quamobrem a vobis, Judices, antequam de ipsa causa dicere incipio, hæc postulo. Primum, id quod æquissimum est, ut ne quod præjudicati afferatis; etenim non modo auctoritatem, sed etiam nomen Judicum amittemus, nisi hic ex ipsis causis judicabimus, ac si ad causas judicia jam facta*

*facta modo deferemus. Deinde si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, si oratio labefactabit, si denique veritas extorquebit, ne repugnetis, eamque animis vestris aut libentibus aut æquis remittatis.*

Ratio vero vel confirmandi vel infirmandi hunc Locum repetenda est ex iis, quæ dicta sunt in Articulo de confirmandis vel infirmandis legibus.

*Quid est Fama seu Rumor?*

*R.* Est sermo sine ullo certo auctore dispersus.

*Quomodo confirmatur hic locus?*

*R.* Si ostendatur 1. magnam esse vim et auctoritatem Famæ ab exemplis virorum illustrium, qui bonæ Famæ tam impense studuerunt. 2. Si probetur, Famam vix umquam decipi, quia videtur esse vox publica; notum est autem illud: Vox Populi, vox Dei. Præterea si testimonium unius aut alterius ad hominem puniendum sufficit; quanto magis Fama, quæ velut omnium hominum testimonium est?

3. Et si non est negandum, Fama sæpe mentiri: tamen non est retinendus in consessu nobili vir sinistri nominis; id enim toti ordini perinde probrosum est, seu vera sit Fama, seu falsa.

4. Quærendæ sunt rationes, quæ causæ, de qua agitur, sint propriæ; per quas sparsi Rumoris veritas confirmetur.

Ad confirmandam Rumorum auctoritatem sit illud Plinii Junioris in Panegyrico Trajani: *Cæsar tales non crede, qualis Fama cujusque*

*que est; huic aures, huic oculos intende; ne respicias clandestinas existimationes, nullis que magis quam audientibus insidiantes susurros. Melius omnibus quam singulis creditur: singuli enim decipere et decipi possunt; nemo omnes neminem omnes fellerunt.*

*Quomodo refutatur hic Locus?*

*R.* Ostendendo 1. quam sit inanis Fama, quæ apud solam plebem valere debet, non apud viros prudentes et peritos Judices: quod amplificabitur ab exemplis virorum innocentium, quibus sæpe aspersit maculam.

2. Demonstrando rumores ejusmodi esse opus hominum otiosorum, qui amant falsa in vulgus spargere.

3. Juverit investigare, unde nata sit Fama, ut melius probetur ejusdem levitas.

4. Afferendæ erunt rationes, ex quibus Famæ falsitas demonstretur.

Ita Tullius contra Famam disputat pro Cœlio num. 38. *At fuit Fama. Quotusquisque istam effugere potest in tam maledica civitate? Vicinum hujus mulieris miraris male audisse, cujus frater germanus sermones iniquorum effugere non potuit?*

Et pro Plancio n. 56. orat Judices, ne disseminatis rumoribus fidem habeant. *Illud unum vos magnopere oro atque obsecro, cum hujus, quem defendo, tum communis periculi causa, ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis. Multi amici Accusatoris, nonnulli etiam nostri iniqui, multi communes obtrectatores atque omnium*

*omnium invidi multa finxerunt. Nihil est autem tam volucre, quam maledictum. nihil facilius emittitur, nihil latius dissipatur. Neque ego, si fontem maledicti reperietis, ut negligatis aut dissimuletis, unquam postulabo. Sed si quid sine capite manabit, aut si quid erit ejusmodi, ut non extet auctor qui audierit, aut ita negligens vobis esse videbitur, ut unde audierit, oblitus sit, aut ita levem habuit auctorem, ut memoria dignum non putarit: hujus illa vox vulgaris,* Audivi, *ne quid reo innocenti noceat, oramus.*

*Quotuplex Testimonium?*

*R.* Triplex. Divinum, Angelicum et humanum. Ad testimonium divinum referebantur olim Oracula, Auspicia, Vaticinationes, Responsa. Oraculum est vox Dei vel per se, vel per alium loquentis. Auspicium seu Augurium est testimonium captum ex cantu, volatu et pastu Avium. Vaticinatio est responsio alicujus Vatis. Denique Responsum dicebatur olim, vel quando Sacerdotes et Aruspices res futuras ex inspectione extorum conjiciebent, vel quando Conjectores somnia exponerant.

*Quomodo confirmandus est Locus a Testibus?*

*R.* Primo. Laudandi sunt Testes vel a nobilitate, vel a probitate, vel ab alio quovis capite, quo major ipsis accedat auctoritas.

Ita Cicero Divinat. In Verrem num. 13. *Sunt Testes viri clarissimi nostræ civitatis, quos a me omnes nominari non est necesse: eos qui adsunt, appellabo, quos si mentirer, testes*

*testes esse impudentiæ meæ minime vellem, Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus: scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus; quorum fide atque præsidio Siculi maxime nituntur; quod omnino Marcellorum nomine tota illa Provincia adjuncta est.*

Item pro Comœdo commendat Testes n. 44. *Manilio et Luscio negas esse credendum? dic, aude. Est tuæ arrogantiæ, contumaciæ, vitæque universa vox. Quid exspectas, quam mox mox ego Luscium et Manilium dicam, ordine esse Senatores, ætate grandes natu, natura sanctos et religiosos, copiis rei familiaris locupletes et pecuniosos? Non faciam; nihil mihi detraham; cum illis exactæ ætatis severissimæ fructum, quem meruerunt; retribuam. Magis mea adolescentia indiget illorum bona existimatione, quam illorum severissima senectus desiderat meam laudem.* Vide etiam n. 42.

Secundo quærendi sunt Testes maxime oculati, qui rem non audierint tantum, neque per alios, sed per se viderint.

Exemplum habes pro Archia num. 6. *Quid enim horum infirmari, Gracche, potest? Heracleæ ne esse eum adscriptum negabis? Adest vir summa auctoritate et religione et fide, qui se non opinari, sed scire; non audivisse, sed interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heraclienses Legati nobilissimi homines, qui hujus judicii causa cum mandatis et cum publico testimonio venerunt, qui hunc adscriptum Heraclienſem dicunt.*

Et

Et 7. Verrina n. 165. *Jam mei Testes veri sunt, quid enim dicit aliud C. Numitorius? quid M. et P. Cottii nobilissimi homines ex agro Tauronimitano? quid C. Luccejus, qui argentariam Rhegii maximam fecit? quid cæteri? adhuc enim Testes ex eo genere a me sunt dati, non qui novisse Gavium, sed qui vidisse dicerent; cum is, qui se Civem esse Romanum clamitaret, in crucem ageretur.*

Tertio. Dicet Orator nulla spe illos, nullis inimicitiis impulsos fuisse ad dicendum testimonium.

Quarto. Dicet rem totam esse jurejurando confirmatam. Pro Comœdo num. 42. *Hoc ego loco soluto et quieto sum animo, et quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro: firmissimis enim et sanctissimis testimoniis virorum optimornm causa Roscii munita est.*

Inter omnia testimoniorum genera valet illud plurimum, quod Oratoris arte atque industria ab adversario petitur.

Ita Cicero Verrina 7. num. 165. *Hoc tu, Verres, idem dicis, hoc tu confiteris illum clamitasse se Civem esse Rom. apud te nomen civitatis ne tantum quidem valuisse, ut dilationem aliquam crucis, aut crudelissimi teterrimique supplicii aliquam parvam moram saltem posset afferre. Hoc teneo: hic hereo, Judices, hoc sum contentus uno, omitto ae negligo cætera; sua confessione inducatur ac juguletur necesse est.*

*Quomodo infirmandus hic Locus?*

*R.* 1. Si pravi Testium mores ostendantur

tur si probentur Accusatorum testimonia non modo veritatis, sed ne sibi quidem esse cohærentia.

Ita Cicero lata adversus Flaccum testimonia confutat, ab eis ipsis, qui illa tulerant, n. 6. *At a Testibus laditur? antequam dico a quibus, qua spe, qua vi, qua re concitatis, qua levitate, qua egestate, qua audacia præditis, dicam de genere universo, et de conditione omnium nostrum.*

Et num. 9. *At quos Testes? Primum dicam id quod est commune, Græcos. Non quo nationi huic ego unus maxime fidem derogem.... Verumtamen hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis literas: do multarum artium disciplinam: non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam, si qua sibi alia sumunt, non repugno: testimoniorum religionem et fidem numquam ista natio coluit; totiusque hujusce rei quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant.*

Bona pars Orationis pro Fontejo occupatur in confutandis testimoniis a persona Testium, quibus omnem fidem et jurisjurandi religionem adimit. A num. 13. lege et pro Rosc. Amerino n. 102.

Secundo. Si Testes dicantur esse inimici, allatis odiorum causis.

Ut pro Rosc. Amer. 104. *Quid tu vir optime? ecquid habes, quod dicas? mihi ausculta: vide, ne tibi desis. Tua quoque res permagna agitur. Multa scelerate, multa audacter, multa improbe fecisti. Unum stultissime, tua sponte, non de Erucii*

*cii sententia. Nihil opus fuit te isthic sedere. Neque enim accusatore muto, neque teste quisquam utitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit.*

Tertio. Si infames et contempti probentur. Ita Cicero pro Cœlio n. 63. elevat testium fidem, quia illi erant impudicæ fœminæ familiares.

Quarto si Testes auctoritate digni proferantur, quibus ignobilium Testium fidem infringas. Hoc præstat Cicero laudato loco pro Fontejo n. 13.

Denique ad elevandam vim Testium, qui nullam vel improbitatis vel inimicitiarum suspicionem habere possint, geminant init Tullius rationem; alteram ut in amicorum periculis locum esse honesto mendacio putet: alteram ut Judices obsecrentur, ne ulla dignitatis Testium habita ratione, tantum quid dicant illi intueantur.

Prioris exemplum habes pro Ligario n. 16. *Quod si Cæsari probare possemus in Africa Ligarium omnino non fuisse, si honesto et misericordi mendacio saluti civis calamitosi consultum esse vellemus; tamen hominis non esset, in tanto discrimine et periculo cives refellere et coarguere nostrum mendacium, et si esset alicujus, ejus certe non esset, qui in eadem causa et fortuna fuisset.*

Posterioris exemplum erit, quod dicit pro Muræna ad elevandum Catonis testimonium num. 58. *Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum ac robur totius accusationis: qui ita gravis est accusator, ac vehe-*

*vehemens, ut multo magis auctoritatem, quam criminationem pertimescam. In quo ego accusatore, Judices, primum illud deprecabor, ne quid L. Murænæ dignitas illius, ne quid exspectatio Tribunatus, ne quid totius vitæ splendor et gravitas noceat, denique ea soli huic obsit bona M. Catonis, quæ ille adeptus est, ut multis prodesse posset.*

Sequentes Exercitationes tria capita, de quibus dictum est in hoc Articulo, promiscue complectentur.

## EXERCITATIO.

*Melampus celebris Medicus accusatur, quod auditus in Templo, dum oraret Deos, redeuntem annum sibi fortunari.*

Locus a Præjudiciis, Fama et Testibus.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Fatebitur Accusator, ægre se descendere ad accusandum Melampum, qui videri quibusdam possit de civitate bene meritus.

*Propositio.* Dicet, hodierni facti dedecus omnem præteriti beneficii, si quod est gratiam abolevisse.

*Narratio.* Referet, ut Melampus medias inter populi preces auditus, Deos dum oraret, ut sibi annum fortunarent: quod factum probabit a Testibus, qui audierunt, eosque dicet viros graves et probos, quorum valere testimonium debeat.

*Confir-*

*Confirmatio.* Petetur 1. a Præjudiciis. Dicet, Populum universum exhorruisse ad preces hujusmodi, et invaluisse eam apud omnes opinionem, ut credant omne malorum genus in civitatem erupturum. Ostendet, quanta pernicies metuenda sit ab iis præjudiciis, nisi plectatur Melampus, ad Medicam artem exercere prohibeatur.

2. A Fama; dices Melampum audire apud multos avidum lucri, qui ad rem faciendam curare morbos malit, quam ad eosdem sanandos.

*Conclusio.* Male haberetur civis, qui civi alteri perniciem machinatus fuisset; quo haberi loco debet, qui toti civitati exitium meditatus est?

## ORATIO.

Etsi, Judices integerrimi, videri quibusdam possum aut temerarius, aut invidus, qui hominem, quem putant de Rep. nostra bene meritum, accusare aggrediar: tamen vel in simili tam iniqua suspicio subeunda sit, plus apud me publicæ utilitatis ratio valebit, quam vulgi opinio.

Equidem non sum ego, Judices, tam iniquus rerum æstimator, aut tam detractor alienæ famæ, ut diffitear gratissimam huic civitati Melampi industriam atque operam extitisse. Fecisse visus est ad hunc usque diem, quod studioso Medici, et rerum nostrarum cupidi officium postulabat. At hodierni facti dedecus sic omnem præteritæ gratiæ, quantacumque sit, memoriam labefactavit, nihil ut deinceps præter severam judiciorum vestrorum æquitatem ferre mereatur. Conve-

Conveneramus in Templum, uti fert pristina consuetudo, felicem redeuntis anni cursum oraturi. Aderat magna populi frequentia, quem vel rerum suarum necessitas, vel communis boni studium adduxerat. Interim, dum intenti omnes precibus Deorum immortalium opem efflagitant, erupit Melampi vox, et quod tacito in corde perperam atque impie conceperat, id efferre palam non erubuit. Adeste Melampo, dixit, faventes Dii, et hunc mihi rebusque meis præsentem annum fortunate!

(*A Testibus.*) Neque vero vel paucos, vel parum idoneos postulationis impiæ testes habemus. Auditus Melampus ab iis, qui circum aderant, probi omnes, et spectata toti populo fide, quorum nec ipse Reus testimonium audeat inficiari. Continuo singulorum per ora tam iniqui voti rumor propagatus. Exhorruit ad hujusmodi voces universa civitas, nec fuit quisquam, qui nefariæ precationis consilium vimque omnem statim non intelligeret. Sensit unusquisque provideri non posse Melampi commodis, nisi magno omnium detrimento, et quod in ipsius utilitatem verteret, id totius urbis in ruinam esse refundendum. Nam quid hominis Medici rem adjuvet, aut fortunare ipsum queat, Judices, nisi languentium multitudo, morborum copia, et afflictæ civitatis infirmitas?

Hinc jam sibi metuere omnes graviter, et infelicem morborum catervam, quasi jam accidisset, formidare; jam vexandos se febribus, cruciandos fame, pestilentia vastandos augurantur: ac, si Melampi vota audiantur,

actum de civitate nostra atque conclamatum putant. (*A Præjudiciis.*) Non ignoratis, Judices, quam sit sententiæ pertinax populus, ubi semel opinionem aliquam induit, et quam non refugiat moliri quidlibet, ubi communis avertenda pernicies incumbit. Ego certe tranquillitatem huic urbi, vobis ipsis securitatem præstare, non ausim, nisi malo quamprimum eatur obviam, et vel tollatur de medio futurum postmodum turbarum atque rixarum caput; vel certe, quod pœnarum genus levissimum est, medicam deinceps exercere artem Melampus prohibeatur.

Hæc porro tam injusta Melampi precatio suscitavit quorumdam hominum curiositatem, ut in Medici vitam moresque studiosius inquirerent. Atque utinam minus avidus lucri, minus rerum suarum cupidus audisset. (*A Fama.*) Equidem novi, Judices, non ponendum esse plurimum in rumoribus, quibus plerumque malignitas initium dedit, incrementum credulitas. Tamen mirum est, viro Medico quantum hæc noceat fama, ubi semel vulgi animo insedit. Tunc enim non creditur ad ægros accedere, ut depellat morbos, quam ut eosdem foveat ac perpetuet. Atque hæc avaritiæ labes, quam Melampo imputant non pauci, vix credatis, Judices, quantam ad confirmandas sinistras hodierni facinoris opiniones vim habuerit. Non dubitant illi, quin sua illum avaritia impulerit, ut malorum omnium congeriem huic civitati precaretur.

Quare si inultam esse civis illius malignitatem non pateremini, qui alteri civi perniciem

ciem esset machinatus, videte, quo animo esse vos in eum oporteat, qui civitatis totius ruinam atque exitium postulavit.

## ALIA EXERCITATIO.

*Melampus nobilis Medicus defenditur.*

Locus a Præjudiciis, Testibus et Fama confutatus.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet Melampi Defensor, novum esse criminis genus, quod Melampo imputatur.

*Propositio.* Fatebitur, quod objicitur ab adversario orasse Melampum, ut Dii præsentem sibi annum fortunarent; non inficiabitur testimonium petitum a Testibus, sed damnabit eorum malignitatem, qui pias Melampi preces pravum in sensum detorquent.

*Confirmatio* petetur 1. a Confutatione Præjudiciorum, dicetque Melampum uno civitatis studio impulsum fuisse, ut tales preces funderet: hoc fuisse ipsi in animo, ut mederetur feliciter ægrotantium languoribus, et cognitis morborum causis, idonea remedia præpararet. Fieri posse, ut pro sua sagacitate cognoverit ex varia aeris temperie imminere graves ægritudines, pro quibus sanandis præsentius Deorum auxilium postularit. Addet optandum videri, ut Medici omnes preces ejusmodi funderent.

2. Confutabit argumentum petitum a Fama, ostendetque, quam inique ipsius famæ detrahatur; appellabit testes eos omnes, ad quos ægro-

ægrotantes accessit, quos dicet nullum in Melampo avaritiæ vestigium deprehendisse.

Concludet dignum illum potius mercede quam pœna videri.

## ORATIO.

Nisi mihi longa judiciorum vestrorum experientia notum esset penitus atque perspectum; quanta sit vestrum omnium in cognoscendis causis perspicacia, et in ferendis sententiis æquitas, Judices integerrimi; haberem sane in summa accusationis hodiernæ acerbitate, quod infelici Melampo non mediocriter pertimescerem. Novum enimvero criminis genus et ante hunc diem inauditum adversarius meus vestrum ad tribunal detulit; propter quod, si quid accusatori creditur, nobilissimus Medicus, vir spectatæ jamdiu probitatis et de nostra civitate optime meritus, gravissimo supplicio plectendus esse videatur.

Scilicet auditus ille inter ardentissimas preces, quas pro vestra omnium salute atque incolumitate funderet, obtestari Deos, ut sibi præsentem hunc annum fortunarent. (*Confutatio Argumenti a Testibus petiti.*) Adducuntur Testes omnium judicio probatissimi, qui rem suffragio suo comprobent, qui suis se percepisse auribus tam impia, si Superis placet, vota profiteantur. Nihil inficiabor ego, Judices, clarissimorum virorum testimonia. Sit ita sane, ut testantur illi; nam cur amplissimam laudis segetem Melampo invideam? (*Confutatio Præjudiciorum.*) At unde accusatoris malignitas vertit in opprobrium, quod dari gloriæ debuisset? Non potuit ergo Melampus

lampus conscius sibi, quam difficilem et plenam periculi artem exerceat, singulare a Superis præsidium postulare, quin continuo morborum omne genus et tristissimam toti civitati perniciem precaretur? Non potuit vestræ salutis aut tuendæ, aut etiam reparandæ cupidus videri, quin ejusdem infensus hostis audiret? Non potuit felicem in curandis vestrum omnium ægritudinibus exitum ambire, quin fatalem civium capitibus Superum vindictam accerseret?

Nam quid aliud est homini Medico orare Superos, annum ut fortunent sibi, nisi ut sua apud vos opera collocata felicirer succedat? nisi ut in tractandis morbis sua spes eum non frustretur, certamque omnibus afferat sanitatem? nisi ut cognitis veris morborum causis remedia paret idonea, quæ medentem numquam fallant, et ægros semper consolentur? Atque utinam Judices, quantum est istorum hominum, qui lubricam Medicinæ artem profitentur, salutiferis ejusmodi precibus sæpe interpellarent Superos, et audiri ab iis mererentur? Non illuderetur quotidie nostris corporibus tam miserabiliter; neque Medicorum inscitiam nostris impensis doleremus.

Quid si Melampus peculiari quodam Deorum immortalium afflatus spiritu, aut pro sua perspicacia cognovisset ex aeris intemperie, novum aliquod et metuendum imprimis morborum genus nostris cervicibus imminere? Non debuit in his rerum adjunctis studiosus uniuscujusque nostrum Medicus, ac publicæ incolumitatis cupidissimus, novam

vicissim sibi apprecari solertiam, et opem a Superis non vulgarem postulare, quæ vim imminentium morborum infringat, et tam gravibus incommodis medeatur?

(*Confutatio Argumenti a Fama petiti.*) Verum quis in accusatoribus Melampi tantam improbitatem noverat, ut de probatissimi viri moribus ac fama detraherent? Scilicet non senserunt illi persuadere facile se posse, quod confinxerat; nisi intactam hactenus optimi Medici vitam in invidiam adducerent. Audiistis, Judices, nec sine tacita indignatione audiistis exprobatam Melampo fuisse avidam sordidi lucri cupiditatem, quasi non tam impertiendæ salutis, quam rei faciendæ studio ad nos accederet. Qua in re testor multorum, qui hic adsunt, fidem; qui Melampi solertiam, studium, sedulitatem, labores experti, nullum umquam in eo avaritiæ vestigium persensere. Surgant enimvero, si qui sunt in tam frequenti civium consessu; prodeant in medium, per me licet, qui Melampum aut avaritiæ, aut inertiæ, aut cupiditatis cujuspiam reum criminentur.

Vos vero, Judices, qui viri de nobis tam benemeriti innocentiam perspicitis, videte, ne, quod vertere in Melampi laudem debuit, illud in opprobrium cedat, ne pro gloria contumeliam, odium pro amore, pro mercede supplicium patiatur.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

*Aulicus Clusinus ad Porsenam Regem, ut de pace cum Romanis facienda cogitet, post interfectum a Scævola Regis Scribam.*

Locus a Præjudiciis et a Fama.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet gloriosum quidem esse Romanos aggredi et vincere: at bellum fore Clusinis et *Regi* ipsi exitiosum.

*Propositio.* Dicet maturandam esse cum Romanis pacem.

*Confirmatio.* Petetur a Præjudiciis, et 1. ab eo, quod Scævola dixerat trecentos esse Romanos ita paratos, ut vel proprio capitis periculo Porsenam interficerent. Nihil ergo tibi metuendum putas ab iis, qui tuam unius in perniciem conjurarunt? 2. Ab ipso Scævolæ facto. Vide quam parum abfuerit, ne a Scævola interficereris: eamdem illi perniciem tibi machinantur. An continuo vivere te in periculo oportet?

Secunda pars Confirmationis petetur a Fama, quam sibi apud vicinas gentes Romani fecerunt. Nemo est qui sibi ab eorum armis non metuat.

*Conclusio.* Vide ergo si tuæ, si Clusinorum saluti consultum volueris, ut consilia pacis ineas, etc.

### ORATIO.

Si, quam gloriosum tibi existimasti fore acerrimo persequi *Romanos* bello, tam facilem de eisdem referre victoriam posses, hex fortis-

fortissime; numquam vel dissuasor tanti operis, vel maturandæ cum gente ferocissima pacis auctor accessissem Verum cum præviderim satis, intellexerimque penitus, bellum hoc, quod suscepisti tam acriter, non tua ipsius modo, sed totius etiam populi Clusini clade esse concludendum; non dubitavi opponere me consiliis tuis, et generosum illum avidumque imprimis gloriæ animum parumper retardare.

Nam quæ spes tandem tibi belli infelicis affulget, aut quid potius metuendum tibi non putes ab ea gente, quam in tuam unius perniciem conjurasse non ignoras? (*Argumentum a Præjudiciis*) Audiisti modo tuis ipsius auribus, quam pertinaci odiorum acerbitate tuum in caput involare meditetur Juventuiis Romæ flos lectissimus: nullum proprii capitis periculum pertimescunt hostes illi tui, si modo perficere possint, quod animo destinarunt; et levem vitæ suæ jacturam arbitrantur, quam pro acceleranda morte tua devoverint. Tu singulorum animos æstima ex uno perfidi Scævolæ facinore. Cogita, qua spe Romanorum præsidia deseruerit; qua audacia nostra in castra penetrarit; qua temeritate tuum ipsius in tentorium fuerit ingressus; quo furore sceleratas manus scribam in tuum regio deceptus apparatu tulerit; qua animi pertinacia aut potius ferocitate et professus fuerit crimen, quod parabat, et errorem suum, sui ipsius vindex ac tortor deplorarit. Hoc eodem trecenti juvenes incensi studio tentabunt idem facinus, et feliciori forte exitu perficient. Proinde in hoc discri-

crimen, si juvat, accinge te, ut in singulas horas de capite tuo dimices: habe paratos semper in vestibulo Regis ad vim repellendam milites, et indictum tibi uni a juventute Romana bellum, si potes, sustine.

(*Argumentum a Fama.*) Jamvero reputasti tecum satis, Rex fortissime, quibus cum hostibus decertandum habeas; qualem illi apud vicinos late populos nominis sui terrorem injecerint; quantam sibi apud omnes fortitudinis atque constantiæ famam concitaverint. Nam quid ego Vejentes ac Fidenates loquar funesta clade toties afflictos? Quid Sabinos appellem vel in ipso Romæ nascentis exordio Romanorum robur expertos, et ad ineundam cum ipsis pacem coactos? Quid Volscos multiplici prælio subactos? quid Latinos recenseam, qui nullum in bello præsidium contra pertinacem Romanorum constantiam nacti, ab infelici tandem marte destiterunt?

Quamobrem vide, Rex fortissime, si tuæ, si Clusinorum saluti consultum velis, ut omnem statim inauspicati belli moram amputes; ut obsidionem, quam inchoasti, quamprimum solvas; ut querelarum caput infelicem Tarquinium tuis de finibus exturbes: neque tibi societatem ullam cum hostibus Populi Romani esse patiaris.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

*Aulicus Clusinus ad Porsenam Regem, ut in sua de obsidendis Romanis sententia perstet.*

Locus a Præjudiciis et Fama confutatus.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Mirabitur fuisse aliquem tam invidum Regis gloriæ, aut tam timidum, ut consilium Porsenæ daret de solvenda obsidione.

*Propositio.* Hortabitur Porsenam ut perstet in consilio suo.

*Confirmatio.* Refutabit primum Præjudicium petitum a trecentis Juvenibus, qui dicuntur Regis in caput conjurasse, ac dicet, inventum illud a temerario Scævola, ad incutiendos metus. Sed esto: an non adsumus, qui corpus Regis nostro corpore tueamur, et vel insidias, vel apertam vim repellamus?

Secundum Præjudicium petitum ab audacia Mutii Scævolæ sic confutabit, ut dicat plectendam esse juvenis temeritatem, cæterosque ejus supplicio deterritos nihil ausuros ejusmodi.

Quod pertinet ad Famam, qua Romani dicuntur invicti; dicet eos non fuisse victos, quia nemo illos aggressus est fortiter; experturos in Porsena et in Clusinis eos hostes, a quibus vinci possint.

Concludet hortando Regem, ne se vinci inani motu patiatur.

ORA-

## ORATIO.

Cum ea est apud omnes et nos præsertim Clusinos opinio Romani nominis, Rex fortissime, ut in iis aggrediendis atque superandis plurimum esse gloriæ nemo dubitet, tum certe numquam induxissem animum, futurum aliquem aut tam invidum rerum tuarum, aut nostris viribus tam parum confidentem, qui te a persequendo, quod inchoasti tam feliciter cum Romanis, bello revocare sustineret.

Ego certe si quid in præsentia adversus futilem ignavi militis orationem dicturus sum, si promovendam acrius Romanæ urbis obsidionem demonstrabo; id dictum a me ne sic existimes, Rex fortissime, qua si invictum animi tui robur haberem minus perspectum, aut de tua in perficiendis consiliis constantia dubitarem. Verum ne quem forte Clusinorum animis injecerit scrupulum Orator ille magnificus: ne, quod insinuare visus est, capitis tui periculum infelicis belli fastidium attulerint, silendum nihil in re momenti hujus non putavi.

(*Confutatio Argumenti a Præjudiciis petiti.*) Quamquam trecenti Juvenes vitam in tuam conjurarunt: imminet præsens capiti tuo periculum, nisi conflatam in tempestatem maturata pace depellas ac disturbes. Jam adsunt illi nostris in castris, jam tribunal regium obsident. Et erit aliquis qui rem illam sibi tam facile persuadeat, quam temere, quam audacter fuit a maligno Juvene pronunciata? Scilicet hoc inveniat fidem apud cordatos viros

viros, quod ab hoste confictum ingeniose fuit, vel ad incutiendos Clusinis metus, vel ad declinandum, quam meruit, suppliciorum acerbitatem? Sed esto: verum illud sit, quod commentus hostis est; (nam vel in fictis periculis esse nos timidos oportet, cum de Regis optimi salute atque incolumitate agitur) esto inquam, hoc inierit in rebus perditis furiosum Romana juventus consilium, ut per insidias ac cuniculos perficiat, quod vi aperta tentare non audet. An ergo nos non adsumus, qui regis latus nostro corpore tueamur? qui sustineamus impetum armata manu? qui temerariæ Juventutis audaciam reprimamus? Veniant illi, et si quid audent aperto marte, veniant, et nos oppugnent palam; vel si rem agere per malas artes meditentur, vigilantiam occupent, si possunt, et perpetuas Clusinorum excubias fallant.

(*Confutatio Argumenti a Fama petiti.*) Interim, *Rex* fortissime, plecte, ut meritus est, furiosi juvenis temeritatem; debitas cruenta morte pœnas exsolvat; discat revereri *Regum* majestatem. Sapient, mihi crede, ipsius supplicio deterriti, si qui sunt ejusdem furoris æmulatores, neque tam gravi suo periculo inauditum ante hunc diem facinus pertentabunt.

Nos vero instabimus acrius cœptæ jam tam feliciter obsidioni. Discent tamdem aliquando *Romani*, non esse se tam invictos, ut vinci non possint. Noverint hodie, quibus cum hostibus decertandum habeant: experientur periculo suo, quam metuendi Clusini sint, qui Porsena duce militant. Nihil moræ est, Prin-

Princeps invictissime; patere, rem ut agamus viriliter, ac si modo securos esse de periculo tuo Clusinos jusseris, certam tibi promptamque de Romanis victoriam pollicemur.

## ALIA EXERCITATIO.

### *Defenditur Hippolytus apud Theseum a Phædra Noverca accusatus.*

**Locus a Testibus et a Fama.**

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Ab abrupto. Ergo Filium abjicis, et spem domus unicam morti devoves? etc.

*Propositio.* Petet, an satis perpenderit pondus ac momentum illatæ accusationis; jubebit Theseum brevem sumere ad deliberandum moram, antequam Hippolytum condemnet.

*Confirmatio* petetur 1. a Confutatione Testium; ostendetque, non esse legitimum illud testimonium, quod tulit Noverca; quia frequentissima sunt Novercarum in privignos odia; addet, nolle se penetrare altius odiorum causas, quæ forte Phædram nocentiorem faciunt, quam Hippolytum. Tum Phædræ accusationi opponet clarissimorum virorum testimonia, qui innocentem Hippolytum profitentur.

2. Illatum crimen destruet a bona fama, qua gaudet apud omnes Hippolytus. Dicet, raro falli Famam, quæ est veluti vox publica. Quod si unius aut alterius testimonium valet ad aliquem absolvendum, quanto magis vox communis?

*Conclusio.* Per Deprecationem.

## ORATIO.

Ergo ratum est, Rex fortissime? Peribit infelix Hippolytus, et spem domus unicam, suavissimum patris solatium iratis precibus devoves? Equidem scio, quid asperet animum, et quam grave sit illud contumeliæ genus, quod illatum tibi quereris. Non te ullum fortissimi juvenis odium, non præceps atque impotens animi furor impulerunt. Amas, quem vis perdere: velles carere culpa, quem invitus ac reluctans plectis; et feralis, quæ filium obruet, sententia eodem miserum patrem ictu percutiet. Ergo sustine tantisper funestas illas preces, quibus insontem forte e medio tollere meditaris; da brevem maturæ deliberationi moram, dum constet facinus, et gravius accusationi pondus ac momentum accedat. Age, quid urget? quod instat periculum, si supplicium distuleris? Hoc tibi ipse, hoc amore in filium tuo permitte, nihil ut properasse nimis te pigeat. At enim Phædra nocens profitetur! Noverca Privignum accusat, conjux regia vindictam de Hippolyto reposcit!

Utinam apud alium, quam apud Theseum, pro Hippolyto perorandum esse! Utinam liceret in hac causa infames Novercarum dolos, et iniqua in Privignos odia commemorare! Utinam demonstrare impune possim amaros parentum luctus ac desideria, dum uxoribus plus æque creduli filios in suos sævierunt! Non ego curiosius inquiram in acerba Phædræ odia, neque scrutabor, quæ pos-

possint esse tam subitæ, tam novæ, tam parum expectatæ odiorum causæ, quibus in Hippolytum exarsit. (*Confutatio Testium a Testantium persona.*) Dolori tuo parcam, Rex sapientissime, neque committere velim, ut crudius tibi, quam sit illud, quod doles, vulnus inferam. At si meruit videri nocens Hippolytus, dum accusatur a Noverca; non videbitur idem innocens, dum innocentiæ suæ testes tot invenit, quot habet clarissimos cives Regia civitas? Una fidem obtinebit Phædra, dum Privigno stupri crimen infert; reliqui omnes infidi censebuntur, dum integerrimi juvenis castimoniam extollunt? (*Famæ vis et auctoritas.*) Ah! si nosses Rex fortissime, quam singulari pudicitiæ fama gaudeat apud omnes tuus Hippolytus! quam sincerus cultor suavissimæ illius virtutis habeatur! quam apertus juratusque audiat domi forisque omnium illecebrarum hostis, quæ probatis moribus inferre vitium ac labem solent! Non imponitur facile multitudini; aut si quis est tam peritus simulationis artifex, ut fucum tantisper faciat; serius ocyus fraus patet, et fallax dolus innotescit. Nempe tam potens sui sit amor, tam suis motibus imperet, ut latere diu possit simulationum involucris occultus? Sic exarserit intus incendium, ut nulla umquam scintilla foras eruperit? Non est hæc amoris indoles, Rex sapientissime; vel invictus amor se prodit; aut si pectoris inter angustias contineri se patitur, amor non est. Neque porro mirum est, si amoris faces ille non senserit, qui tam alienam ab iis illecebris, quæ irritare amo-

amorem solent, vitam inierit. Qualis enim tibi filius fingitur? Venator a prima juventute assiduus, et cupidissimus idem Veneris sectator! sylvarum cultor, ac lustrorum nemorum incola; mulierum ad unam omnium osor infensus, et amasius idem infamis! Quo quid dici, quid excogitari possit, quod aut cohæreat minus, aut ab ipsa sceleris suspicione fortius Hippolytum exsolvat?

Tuum est, Rex sapientissime, consulere apud temetipsum, quid faciendum tibi sit, et quam habere fidem illatæ filio accusationis crimen debeat.

## ARTICULUS IV.

### Locus a Tabulis.

*Quid Tabularum nomine intelligitur?*

*R.* Tabulæ sunt testimonia, quæ proferuntur ex scripto, quibus Pacta, Conventa, Contractus et Codicilli, Stipulationes, aut Testamenta, vel quidvis aliud ejusdem generis continetur.

*Quomodo confirmandus est hic Locus?*

*R.* Per Negationem exaggerari potest vis illius, ad exemplum Ciceronis pro Sextio n. 10. *Non recito vobis Decretum officio aliquo expressum vicinitatis, aut clientelæ, aut hospitii publici, aut ambitionis, aut commendationis gratia. Sed recito memoriam perfuncti periculi, prædicationem amplissimi beneficii, vicem officii præsentis, testimonium præteriti temporis.*

2.

2. Per Comparationem, conferendum erit testimonium scriptum cum fama cæterisque testibus et rationes quærendæ, quibus probetur plus habere auctoritatis testimonium scriptum, quam aliud quodlibet.

Ita Cicero pro Archia nu. 9. commendat Tabulas, quibus constabat, Archiam domicilium Romæ habuisse. *At non est professus. Imo vero in Tabulis professus, quæ solæ ex illa professione collegioque Prætorum obtinent publicam Tabularum auctoritatem. Nam cum Appii Tabulæ negligentius asservatæ dicerentur, Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas omnem Tabularum fidem resignasset; Metellus homo sanctissimus modestissimusque omnium tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum Prætorem et ad Judices venerit, et unius hominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis.*

3. Per Frequentationem Consequentium, ostendendo, non posse violari testimonium scriptum et relatum in Tabulas publicas, quin hæreat æterna labes ipsis impressa Tabulis publicis; adeoque nullum fore jus, quod non possit infringi.

4. Ab Adjunctis exaggerabitur commissum contra Tabulas scelus. Si reus est ignobilis, dicitur, neminem fore deinceps, qui id se impune facturum non speret, quandoquidem violatæ Tabulæ violatores capite non vindicantur. Si reus est nobilis, ostendetur, pessimum apud posteros exemplum fore, si scelus impunitum relinquatur.

*Quo-*

*Quomodo refutandus hic Locus, aut infirmandus?*

*R.* 1. Quærendum est aliquod Testimonium scriptum, quod Tabulis opponatur, et ejus auctoritas amplificanda.

2. Si nullum ejusmodi Testimonium occurrit; declinanda vis est Tabularum, adhibita interpretatione; quæ nisi accedat, dicendum est, multa fore incommoda, quæ ex scriptis legibus nascantur.

3. Si nulla afferri poterit probabilis interpretatio, probandum erit, non esse majorem vim testimonii scripti, quam vocalis; cur enim tanta vis est calami, aut typographiæ, ut si accesserit, continuo ex Testimonio faciat Oraculum?

4. Tam mutari possunt Tabulæ, quam cæteræ Leges, qui non majoris auctoritatis fuerunt qui tulerunt illas, quam qui sancitas et scriptas acceperunt.

5. Quo major est Tabularum antiquitas, eo videtur esse major nonnumquam mutationis in illas inducendæ ratio; quia pro varietate temporum, ut sunt variæ consuetudines variique mores, ita varia decreta.

6. Quærenda sunt exempla factæ alias in Tabulis mutationis.

Denique si non integræ, nec incorruptæ Tabulæ sunt, fides Tabulis derogari potest. Ita Tullius pro Cluentio n. 91. corruptas Tabulas esse contendit, propter quasdam lituras, quæ factæ fuerant. *Quod C. Verres Prætor Urbanus homo sanctus ac diligens subsortitionem ejus in codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur.*

EXER-

## EXERCITATIO

*Oratio apud Moysem contra Israælitas, qui vitulum aureum in Idolum conflarant, contra illud Tabularum Decretum:* Non facies tibi sculptile, ut adores illud.

Locus a Tabulis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Jubebit Orator, Moysem meminisse, in eo se dignitatis gradu positum, ut causam Dei auctoritate sua tueretur.

*Propositio.* Vide ergo, quo animo esse debeas in eos, qui sacrarum Tabularum auctoritatem suo scelere violaverunt.

*Confirmatio.* Præmittet id, quod est scriptum in Tabulis, et Tabularum auctoritatem amplificabit. 1. Per Negationem ad exemplum Ciceronis: Non recito vobis decretum humana voce sancitum, non fragili calamo exaratum, non legem, quæ mutari possit hominum ad arbitrium, sed, etc.

2. Per frequentationem Consequentium dicet, nullum fore jus tam sanctum, quod humana perversitas non violet, si divinæ leges impune infringantur. Quos habebis tibi obsequentes, si impunitos relinquis, qui Deo obsequium negavere?

Denique Perorationis loco, petet a Moyse, ut vel populum plectat, vel Tabulas proterat ac conculcet. Videat, utrum præstet.

### ORATIO.

Cum intellexisti satis ad hunc usque diem, vir sapientissime, quo te consilio ad eum quem

quem tenes, dignitatis apicem omnipotentis Dei manus evexerit; tum certe hodiernæ causæ gravitas ac magnitudo postulat, ut auctoritatis tuæ vim omnem ac robur cæteri omnes intelligant, et eo, quo par est, modo discant revereri. Nam si fuit umquam tempus ullum, cum tibi tradita potestate ad tuendam Dei causam uti oportuit, nunc profecto est, cum incredibili totius pene populi suffragio atque impietate, divinæ legis majestas, atque reverentia contempta est.

Sed quid ego insanientis multitudinis furores retractem, quos tuis ipse oculis, non sine incredibili dolore, conspexisti? Meministi, ut oblitus sui ac Dei conflatum ex auro vitulum invocavit: ut opes suas gazasque et omnem pretiosam supellectilem in scelestum opus erogavit? Sensisti, ut ad increpationes tuas indocilis ac durus vix ac ne vix quidem ab immani scelere temperavit? Interim jacebit sacrarum Tabularum vis et auctoritas; nullum ad coercendum populi levitatem atque audaciam habebit pondus inculcata toties cervicibus duris lex illa: *Non facies tibi sculptile, ut adores illud.* (*Auctoritas Tabularum per Negationem.*) Nihil hic obscurum, nihil ambiguum, nihil verborum caligine obvolutum; patent omnia. Lucem hanc non obscurabit populus infidelis, aut robur illud Dei ipsius auctoritate confirmatum infringet. Neque enim hic recito Decretum humana voce prolatum, sed sacratissimo ipsius Dei oraculo sancitum: non legem levi facilique calamo exaratam, sed omnipotentis Dei digito altissimis characteribus

bus impressam; non regulam morum, quæ varietati temporum ac mutabilitati obnoxia sit, sed quam mortalium animis natura ipsa, aut potius naturæ auctor Deus perennibus nobis inscripsit.

(*Per Frequentationem Consequentium.*) Quod si hanc divinæ legis infractionem si veris impunitam, quid erit deinceps; amabo, tam sanctum, quod humana perversitas non violet? quo non prorumpet populi infidelis audacia? quem flagitiis et impietati suæ modum esse patietur? Credis. ullam fore populi hujus in servandis legibus cæteris reverentiam, qui nullam legis omnium sanctissimæ habuit rationem? putas futurum, tibi ut pareant, si quid imperabis, quos contumaces ac rebelles Deus ipse expertus est? hos tu frænabis ac circumduces ad arbitrium, qui impositum sibi a præpotenti Numine jugum excussere?

Vide ergo, quid statuas, vir sapientissime, aut quid consilii capiendum putes. At cogitas alterum e duobus superesse tibi, quod eligas, aut enim rebellis detrectantisque imperium populi curam atque solicitudinem abjice, aut reprime furentem, et invitum ac reluctantem ad obsequium revoca; aut inustam divinæ legi labem atque contumeliam meritis, ut par est, pœnis ulciscere; aut sacras pedibus Tabulas, quibus vis omnis atque auctoritas adempta est, proculca.

Quamquam næ inconsultus ego, qui dubitare videar, num carere Deo malis, quam rebelli populo favere impensius. Sequere ergo tam laudabilem impetum, ductor sapien-

pientissime; exercere in perfidos dignam scelere severitatem, et emendata per te gens tota discat divinas leges revereri.

## ALIA EXERCITATIO.

### *Oratio ad Moysem pro populo rebelli.*

Locus a Tabulis infirmatus.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Jubebit Orator Moysem meminisse, evectum ipsum fuisse ad tantam dignitatem, non tam populi judex aut vindex, quam ut patronus ac pater esset.

*Propositio.* Admonebit ipsum, ut pristinæ humanitatis memor populum benignius tractet, et pro eo deprecator apud Deum accedat.

*Confirmatio.* Legem allatam interpretabitur; dicetque, prohibitum non esse, ne quid fieret sculptile, sed tantum, ne adoretur illud: et scelus populi in levitatem ipsius magis, quam in malitiam cadere profitebitur.

Deinde per frequentationem Consequentium ostendet consecutura mala, si populum durius plectat. Vertetur hæc pœna in dedecus divinæ Majestatis, quæ servare suos vel non potuerit, vel noluerit.

*Conclusio* Moysem admonebit, non esse periculum in divinis legibus quemadmodum in humanis; quæ, si violentur, excidet legislator auctoritate sua. Denique hortabitur, ut utatur in populum ea benignitate, quam ipse in Deo expertus est.

ORA-

## ORATIO.

Nam quis ille est, Vir sapientissime, qui te in populum tuum incendit, et tristissimam ipsi perniciem meditatur? An oblitus est, qualem hic personam apud nos geras, aut cujus gratia supremus rerum omnium arbiter ac moderator Deus ad eum, quo defungeris, honoris apicem te evexerit? Nempe severus judex et infensus ultor ad reposcendam pœnam te accingas, qui studiosi patroni et patris amantissimi partes tueris ac sustines? Ah! potius pristinæ clementiæ memineris: te infelicis populi tangat calamitas, et quo deplorato magis rerum statu versatur, et ab irati Numinis inclementia gravius quiddam metuendum habet, tanto acrius insiste, ab ejusdem cervicibus funestissimam cladem vehemens deprecator avertas.

Neque vero te sceleris ipsius gravitas, quam vehementius certe, quam par erat, extulit accusator, ab impetranda venia dehortetur. Peccavit quidem infelix populus (nam quid flagitium aut negare, aut dissimulare videar?) peccavit, inquam; at peccatum illud tamen non est ejusmodi, ut omnem indulgentiæ locum sustulerit. (*Interpretatio Legis.*) Nihil ego detractum velim legis illius auctoritati, quam recitavit modo studiosus accusator; scio, quanta debeatur ipsi reverentia, et quam graves mereatur pœnas experiri, qui sculptile quidpiam adorandum duxerit. Verum quam intulit ille populo nostro labem, ut violatam

ab

ab ipso legem illam arbitretur, nec probabit umquam, nec fecisse fucum etiam videbitur. Putas nimirum, hanc fuisse mentem populi, ut, quod manibus ipse suis conflaverat, in eo divinum inesse quiddam existimaret? aut quod non expers modo Numinis, sed ratione ipsa sensuque crederet destitutum, huic, tamquam Deo, cultum ac religionem adhibendam esse conseret? Mihi crede, quantumvis nocens videri possit tuus ille populus non cadit in eum pravitas tanta, ut sceleris hujus reus audiat. Illum non tam cordis malitia, quam animi levitas et inconstantia ab officio suo miserum in modum abduxit. Tu nosti indolem gentis illius, quam regis tot abhinc annos ac moderaris; expertus es non semel voluntatis imbecillæ mutabilitatem, at nulla vel pravitatis vel impietatis vestigia deprehendisti.

Si tamen culpam illam, quam admisit imprudens, extremo castigandam supplicio æstimas: si delere populum illum paras; cujus tutorem te ac defensorem, vel ipso capitis tui periculo, toties professus es; vide, amabo, qualem Deum in ipsam calumniæ labem accersurus sis. (*Legis incommoda a Consequentibus.*) Non potes Israeliticum sanguinem fundere, nisi cædis auctorem Deum facias, et odiosam ipsi crudelitatis famam imputes. Nam quid dicent AEgyptii; quid barbaræ nationes loquentur, cum deletos ad internecionem Israelitas audient? Crudelem nempe Deum nostrum, barbarum, humani sanguinis sitientem, qui populum in solitudinem, ut interficeret com-

commodius, malas per artes ex AEgypto deduxerit, mentientur. Ne patere tantum inuri religioni nostræ probrum: Utinam, utinam in AEgypto remansisset ille populus! Satius fuisset ipsum inter gravissimas durissimæ servitutis molestias vitam agere miserabilem, quam eumdem, post exantlatos frustra tot labores, indigna morte absumi.

At enim jacebunt divinæ leges in contemptu, nisi, qui illas violarunt, severe puniantur. Ipse legis auctor Deus illudetur, nisi sumptum de nocentibus supplicium auctoritatem ejus fulciat. Scilicet; credis ergo rem esse nobis cum eo Numine, cujus auctoritas ex hominum scelere detrimentum patiatur; cui dedecoris aliquid accedat, si populos minus obsequentes sibi senserit? Putas egere ipsum hominum judiciis, ut illatam sibi contumeliam vindicet? aut non posse eum, cum volet, castigare per se, quos plectendos esse censuerit? Noli ergo prævenire supremi Judicis severitatem; et quem forte conversus ad meliorem frugem populus placatum jam habet, rursus ad vindictam provocare. Utere potius tua apud ipsum Deum gratia, ut, si quid offensionis mitigandum superest, id tu pro tua in commissum tibi populum charitate perficias; et quam toties expertus es supremi Numinis in te benignitatem, eamdem vicissim in tuos æmulari non dubites.

## ARTICULUS V.

### Locus a Tormentis seu Quæstione.

*Quid est Quæstio?*

*R.* Est cruciatus, quo reus ad confessionem sceleris adigitur.

*Quomodo confirmandus est hic Locus?*

*R.* Primo. Dicet Orator antiquissimam illam esse veritatis eliciendæ rationem, et a sapientissimis majoribus usurpatam.

Secundo. Vix aliam esse in tanta nostrorum temporum dissimulatione veritatis extorquendæ viam. Tertio. Fieri poterit argumentum a Minori ad Majus. Si metus Quæstionis sæpe veritatem exprimit, quanto magis Quæstio?

Tullius de Quæstione ita loquitur in Topicis n. 74. *Facit necessitas fidem qui cum a corporibus, tum ab animis nascitur. Nam et verberibus, tormentis, igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere. Et quæ a perturbatione animi sunt dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis vim habent, afferunt auctoritatem et fidem.*

*Quomodo infirmandus est hic Locus?*

*R.* Primo. Si timori et dolori tribuatur extorta confessio, non veritati.

Ita Cicero pro Sylla n. 78. *Quæstiones nobis servorum ac tormenta accusator minitatur, in quibus quamquam nihil periculi suspicamur; tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujusque tum*

*tum animi tum corporis, regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur. Vita P. Syllæ torqueatur; ex ea quæratur, num quæ occultetur libido, num quæ audacia. Nihil erroris erit in causa, nec obscuritatis, si a vobis, Judices vitæ perpetua vox, ea, quæ gravissima debet esse, audietur.*

Auctor vero librorum ad Herennium lib. 2. num. 10. *Qui in equuleo est positus, scire aut suspicari facile potest, quid audire quæsitor velit, quod cum dixerit intelligat sibi doloris finem futurum.*

Secundo. Observandæ sunt leges a Fullio præscriptæ lib. Partitionum num 50. *Sæpe etiam Quæstionibus resistendum est, quod et dolorem fugientes multi in dolore ementiti persæpe sunt, morique maluerunt falsum fatendo, quam inficiando dolere. Multi etiam suam vitam neglexerunt, ut eos, qui his chariores, quam sibi essent, liberarent. Alii autem, aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicii, aut mortis vim tormentorum pertulerunt. Alii ementiti sunt in eos quos oderant. Atque hæc exemplo confirmanda sunt.*

Tertio. Quærendæ sunt ab adjunctis rationes, quæ sint rei, de qua agitur, propriæ, ex quibus inanitas Quæstionis arguatur. Et hic maxime insistendum. Quis contra reum deposuit. Contra virum clarissimum homo nullius fidei, vel iratus, vel inimicus, vel despicatissimus, vel a natura timidus et ignavus.

Quarto.

Quarto. Opponenda erunt testimonia clarissimorum virorum pro reo contra testimonium per vim expressum ab homine nullius auctoritatis.

Ita Cicero vim Quæstionis infirmat pro Milone n. 59. quod Appius et apud se servos habuisset et ab Accusatore producerentur, et ipsemet Quæstionem urgeret de servis, qui ejus gratia facile mentiri possent.

*Sed quæstiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ nunc in atrio libertatis. Quibusnam de servis rogas? de P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio. Dii boni! quid potest agi severius? De servis nulla quæstio est in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium, Proxime ad Deos accessit Clodius, propius quam tum, cum ad ipsos penetrarat. Cujus de morte, tamquam de ceremoniis violatis, quæritur: Sed tamen majores nostri in dominum de servo quæri noluerunt, non quia non posset verum inveniri; sed quia videbant indignum esse, et domini morte ipsa tristius. In reum de servis accusatoris cum quæritur, verum inveniri potest? Age vero; quæ erat et qualis Quæstio? heus ubi Ruscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit. Miloni? fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperata libertas. Quid hac Quæstione certius? Subito abrepti sunt in quæstionem, tamen separantur a cæteris, et in arcas conjiciuntur; ne quis cum iis colloqui possit. Hi centum dies penes accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore*

*satore producti sunt. Quid hac Quæstione dici potest integerius? quid incorruptius?*

Lege et n. 57. ejusdem Orationis.

## EXERCITATIO.

*Accusatur Maria Scotorum Regina apud Senatum Londinensem, quod in Elisabetham conjurarit.*

Locus a Tormentis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet Accusator, antiquam illam esse et a sapientissimis mojoribus usurpatam consuetudinem, ut per tormenta veritas eliceretur. Et rationem afferet; quia in tanta temporum nostrorum dissimulatione vix alia videtur esse via veritatis inveniendæ.

*Propositio.* Dicet, si umquam valuit testimonium per vim extortum, valere debet in causa Mariæ.

*Confirmatio* petetur a variis Adjunctis adhibitæ Quæstionis in causa Mariæ. 1. Quia non unus, sed multi Mariam accusarunt in tormentis. Non est autem credibile tam multos deceptores fuisse vel deceptos. Si Maria esset innocens, inventus saltem aliquis qui etc. 2. Quia non hostes, non ignoti, quibus parum fidendum est; sed amici, sed domestici accusant, nulla proposita mercede vel spe vitæ. 3. Quia vi Quæstionis extortæ sunt scriptæ a Maria literæ.

*Con-*

*Conclusio.* Quis ergo Mariam innocentem putet, quæ testimoniis hujuscemodi convincatur?

## ORATIO.

Non est novus ille mos, sed vetus jampridem consuetudo, quam non invenimus ipsi, sed a sapientissimis majoribus traditam accepimus, Amplissimi Sen. ut a quibus latentem penitus abstrusamque veritatem elicere oporteret, iis variis Quæstionibus ac tormentis adhiberentur.

Jamvero in hac tanta, quanta laboramus hodie dissimulatione temporum, non potior modo compendisiorque videri debet isthæc veritatis indagandæ via, sed hanc unam superesse ad extricandas mendaciorum fallacias rationem cogimur magno omnium dolore profiteri.

(*Commendatio Testium in Quæstione confitentium.*) Quod si qua valuit umquam in causa extortum vi Quæstionis veritatis testimonium, quantum habere pondus debet in probata jam tot nominibus Mariæ conjuratione? Nam qui sunt illi, amabo vos, qui Mariam accusant, et læsæ in Elisabetha majestatis ream criminantur? Accusant illam, qui, non unus aliquis aut pauci tantum, sed numero plurimi, sed omnes quicumque cruciatibus appliciti, quod negarant hactenus, per fas ac nefas, idipsum modo coacti sunt confiteri. Nos interim arbitrabimur tam multos vel deceptores fuisse, vel deceptos? Non inventus saltem fuisset aliquis, qui stetisset pro Maria vel inter suppli-

suppliciorum acerbitates invictus, hæc si vacare culpa ac scelere revera credidisset. Et cum a tuendo pertinaciter mendacio nullis tormentorum doloribus revocari complures possint, nemo in hac causa constans veritatis assertor ipso capitis periculo exstitisset? Accusant Mariam, qui? non hostes quorum testimonium suspectum merito ac mala plenum fide habendum esset; sed amici ac familiares, quos sancta amicitiæ jura, si salva veritate licuisset, in defendenda Maria fortes ac generosos præstitissent. Accusant Mariam, qui? non ignoti homines, qui per incertos rumores de Mariæ criminibus audierint; sed domestici, qui res ipsas suis usurparunt oculis, et sceleris ipsius magna pars extiterunt. Accusant Mariam, qui? non corrupti beneficio, non proposita irrogandæ veniæ aut evitandæ mortis expectatione adducti; sed rebellionis participes, et ferali capitis sententia jam mulctati. Denique accusant Mariam, qui? homines, quorum e scriniis exaratas ipsa Mariæ manu litteras extorsimus, quæ scelus ipsum sine dubitatione ulla, sine erroris ullius metu testantur.

Quis igitur erit deinceps tam obstinatus Mariæ fautor, ut, quam tam aperta, tam multa testimonia ream læsæ Majestatis revincunt, eam nihilominus, aut innocentem, aut nulla puniendam pœna arbitretur?

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

*Defenditur Maria Scotorum Regina apud eumdem Senatum Londinensem.*

Locus a Tormentis infirmatus.

## *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet Defensor Mariæ, nescire eos qui tantum ponunt in testimonio per vim Quæstionis elicito, quanta sit vis doloris ad extorquendum quidlibet: hinc accidisse plerumque, ut multi dolorem fugientes in tormentis mentiti sint, maluerintque mori falsum testando, quam inficiando dolore.

*Confirmatio* petetur a confutatione singulorum capitum, quæ contra Mariam allata sunt. 1. Multos quidem tulisse testimonium, at servos omnes, quibus veteres nullam fidem contra dominos habuerunt; quia si hoc liceret, servi metum dominis incuterent. 2. Nihil esse facilius, quam homines venales corrumpere proposita immunitate a dolore, vel promissa etiam vita. Sed hæc sunt promissa servis 3. Mariæ vitam innocentem ac pacatam refragari ejusmodi testimoniis. Quod spectat ad literas, dicet illas spurias esse, et exaratas a librario Mariæ.

Concludet excitando Judicum commiserationem, proposita Mariæ calamitate par annos 20. captivæ et tumulo proximæ.

ORA-

## ORATIO.

Nesciunt illi profecto corporis humani imbecillitatem, aut insuperabilem certe doloris acutissimi vim ignorare videntur, qui in testimoniis per Quæstionis acerbitatem elicitis tantopere ponendum putant, ut quæcumque mediis in cruciatibus miseri homines effutierunt, iis tamquam totidem oraculis habendam esse fidem arbitrentur. Tamen, quid est, amabo vos Judices, perpetua quadam exemplorum serie spectatum magis atque confirmatum, quam vel utrumque, vel alterutrum sic valuisse semper apud eos, qui torquerentur, sic dolorem fugientes multi in tormentis sæpe mentiti sint, morique maluerint falsum testando, quam inficiando dolere.

Quod si umquam nullius esse ponderis ac momenti visa sunt expressa per tormentorum asperitates adversus innocentiam testimonia; audeo dicere, Judices, hodiernæ causæ naturam esse hujusmodi, ut extortæ in Mariam criminationes vim Quæstionis omnem infringant atque debilitent.

Nam qui sunt illi, quantumvis multi proferantur, qui suppliciorum vel metu vel dolore compulsi conflatæ in Elisabetham conjurationis Mariam accusarunt? Nullos hic ego tot inter testes et accusatores agnosco, præter Mariæ servos ac domesticos; quorum testimoniis quanta fides habenda sit, unanimis populorum pene omnium consensus satis declarat. (*Confutatio Testimonii per Quæstionem expressi.*) Noluerunt plerique

vel

vel audire tantum, qui dominum accusaturi descenderent; adeo non cruciandos illos esse existimabant, ut injuriosum quid atque impium dominorum in perniciem extorquerent. Id porro quam sancitum prudenter, quam sapienter observatum, Judices! Nam cui tandem domino securum esse liceat, aut quem vacare umquam metu posse censebitis, si servorum calumniis atque criminationibus locus patuerit? Quis deteriorem multo eorum, qui imperant, quam eorum qui serviunt, conditionem non putet, si minitari dominis accusationes servi audeant? si trahere eos in judicium quacumque tandem de causa confidant?

Et illud adjicite, Judices, eam esse ejusmodi hominum naturam atque indolem, ut tentari mercede, corrumpi beneficio, perterreri minis, superari mortis metu, obtinendæ salutis expectatione allici facile possint. Atque illa sunt, quæ causæ suæ firmamenta contra Mariæ innocentiam adhibuerunt homines malevoli, et instructæ in Reginam sanctissimam calumniæ artifices. Hinc enim promissa, inde graves minas, hinc mercedem amplissimam, inde cruciatus acerbissimos, hinc spem impertiendæ vitæ, inde mortis metum composuere; ut, quos non alliceret spes præmiorum, eosdem suppliciorum timor infringeret?

Valeant ergo, Judices, illa testimonia per cruciatus expressa; nullo habeantur in loco eorum accusationes, quos sic gubernat dolor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, nullus ut veritati locus relinquatur.

Tor-

Torqueatur Mariæ vita, et ex ea quæratur, num quod lateat facinus, num quæ insidiæ occultentur, num qua in Elisabetham conjuratio se prodat. Nihil erit erroris in causa, nec obscuritatis, si a vobis vitæ integerrimæ perpetua vox, quæ gravissima debet esse, audiatur. Tunc patebit vobis, quam maligne literas illas a Maria scriptas accusatores ostentent, quas vel accusatorum malitia supposuit, vel librarii perfidia exaravit

Quid restat, Judices, nisi ut per vestram fidem, per æquitatem vestram, per infortunatæ Reginæ calamitatem etiam atque etiam vos orem atque obtester, ne serpere ulterius maledicentium invidiam patiamini. Si quam culpæ partem infelix Maria admisisset, an non illud, quodcumque est, videri potuit eluisse satis durissima viginti annorum captivitate? an non satiatus abunde est adversariorum furor, qui sales vel ab experte sceleris pœnas repetierint? Qui in illius vitam inquirunt, quam brevi luctus et dolor totque ærumnis afflicta valetudo eripiet? Sinite illam latebris immori; neque committite, ut exprobrari vobis aliquando possit, vos innocentis Reginæ sanguine vestras manus polluisse.

LIBER

# LIBER QUINTUS.

## *DE ARGUMENTATIONE.*

Postquam egimus de Locis Oratoriis tam insitis, quam Assumptis, seu de Locis cum Intrinsecus, tum Extrinsecus petitis, ex quibus eruuntur argumenta ad faciendam fidem idonea; restat, ut, quo pacto tractari argumenta illa atque ornari possint, doceamus.

*Quæres igitur? Quomodo tractantur et ornantur argumenta?*

*R.* Per argumentationem.

*Quid est Argumentatio?*

*R.* Est dispositio quædam propositionum ac sententiarum, ex quibus legitima conclusio elicitur.

## ARTICULUS PRIMUS.

### De Argumentatione in genere.

*Quotuplex est Argumentatio?*

*R.* Alia Philosophorum, alia Oratorum est propria.

*Quotuplex est Argumentatio Philosophica?*

*R.* Duplex. Alia perfecta, quam illi *Syllogismum* vocant; alia imperfecta, quam appellant, *Enthymema*.

*Quid est Syllogismus.*

*R.* Est Argumentatio constans tribus propositionibus, quarum prima dicitur a Philosophis

sophis *Major*, secunda *Minor*, tertia *Consequentia;* quæ ita disponuntur inter se, ut concessis duabus prioribus, tertia necessario admitti debeat: v. g. omnis virtus est laude digna; sed Temperantia est virtus; igitur Temperantia est laude digna.

*Quid est Enthymema?*

*R.* Est Argumentatio constans duabus propositionibus, quarum alteram *Antecedens*, alteram *Consequens* nuncupant: v. gr. Omne vitium turpe est; ergo Ebrietas est turpis.

*Quare isthæc Argumentatio vocatur imperfecta?*

*R.* Quia in ea subanditur una e tribus propositionibus, ex quibus Syllogismus componitur; unde licet semper negare conclusionem, donec ad perfectam revocetur: v. g. Omne vitium est turpe; sed Ebrietas est vitium; igitur Ebrietas est turpis.

*In quo differunt Argumentationes Rhetorum a Philosophicis?*

*R.* 1. Quia Rhetorum Argumentationes non continent semper rationes veras, sed interdum, aut etiam sæpe verisimiles tantum. Philosophicæ vero nihil habere debeant nisi verum.

*R.* 2. Quia Philosophus habet Argumentationes nudas ac simplices, quas certo semper propositionum ordine et sine artificio exquisito proponit; Rhetor e contrario suam in collocandis, amplificandis, ornandisque propositionibus ita ponit industriam, ut tamen artem dissimulet. Cujus rei ratio [illegible] eo repetenda, quod Philosophus prob[illegible]

tantum, Rhetor et probare, et probando placere etiam intendat. Hinc forte manavit tritum illud Zenonis Stoici dictum, qui Philosophiam adstrictæ manui et in pugnum collectæ, Rhetoricam vero eidem expansæ et explicitæ comparabat.

*Quomodo utriusque discrimen in exemplo revinceret?*

*R.* Sit illud demonstrandum Judicibus, Æmilium fuisse a Lepido propinquo suo interfectum, ut hæreditatem ejus occuparet. Si nulli sint testes illius parricidii, sed meræ tantum conjecturæ, ita rem aggredietur Philosophus: Ille credendus est occidisse propinquum suum divitem, qui pauper erat, et hominis divitis hæres futurus; atqui talis erat Lepidus; ergo Lepidus credendus est occidisse propinquum suum.

*Quomodo Rhetor eamdem propositionem probabit?*

*R.* Hoc pacto: Inhiabat Lepidus, *inquies*, amplissimæ hæreditati, homo alioqui vita profligatissima. Accedebat ad singularem nequitiam scelerum omnium inventrix egestas; urgebatur a creditoribus, jamque ostentabantur misero carcer ac compedes. Quo se verteret demum tanto in discrimine? quid expectandum ab homine sic comparato, nisi ut carcerem et alia omnia pericula redimeret facinore sibi facili? Quamquam, quid immoror in convincendo auctore sceleris? non alia bene multa satis probant, quid in hac occasione potuerit? etc. Utra porro [illegible]mentatio alteri præferenda, sentient, [illegible]telligunt.

ARTI-

## ARTICULUS II.

### De Argumentatione Rhetorica.

*Quid est Argumentatio Rhetorica?*

*R.* Est apta et exquisito cum artificio facta propositionum, ex quibus argumentum constat, dispositio, unde legitima conclusio elicitur, et amplificata ornataque efflorescit oratio.

*Quotuplex est Argumentatio Rhetorica?*

*R.* Multiplex: quas inter hæ vulgo quatuor recensentur. Ratiocinatio, Sorites, Enthymema, Dilemma.

*Quid est Ratiocinatio?*

*R.* Est Argumentatio omnium perfectissima, per quam tractatur et amplificatur Argumentatio Philosophica, et quæ tunc adhibetur, cum majori amplificatione indiget Oratio.

*Quot in partes distribuitur Ratiocinatio?*

*R.* In quinque partes, quas Tullius lib. 1. de Inventione numero 67. ita recenset: *Quinque sunt igitur*, inquit, *partes ejus Argumentationis, quæ per Ratiocinationem tractantur. Propositio, per quam breviter locus is exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet Ratiocinationis. Propositionis Approbatio, per quam id, quod breviter expositum est, rationibus affirmatum, probabilius et apertius fit. Assumptio, per quam id, quod ex Propositione ad ostendendum pertinet, assumitur. Assumptionis Probatio, per quam id, quod assumptum est, rationibus probatur. Complexio,*

per

*per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur.*

Hæc porro, quæ de Ratiocinatione retulimus ex Tullio, ut clariora fiant, et ipsum Ratiocinationis artificium apertius pateat, rem in exemplo statuemus, quo juvari deinde exercitatio possit.

## ARTICULUS III.

### *De Artificio tractandæ Ratiocinationis Oratoriæ.*

*Quodnam est artificium tractandæ Ratiocinationis Oratoriæ?*

*R.* 1. Debet Orator attendere, quid sibi probandum incumbat. 2. Rationes quærere ad id probandum idoneas. 3. Rationes illas revocare ad Argumentum Philosophicum. 4. Argumentum tractare Oratorio modo.

*Quisnam ille est modus Oratorius?*

*R.* Ut duabus prioribus Propositionibus Argumenti Philosophici, *Majori* nimirum ac *Minori*, quas vocant, sua probatio adjungatur; quæ duæ partes tribus argumenti Philosophici partibus additæ Ratiocinationem Oratoriam efficient Quinquepartitam. Prima pars vocatur Propositio. Secunda, Probatio Propositionis. Tertia, Assumptio. Quarta, Probatio Assumptionis. Quinta, Complexio. Unde patet, Ratiocinationem nihil aliunde esse, quam Syllogismum probatum et dilatatum, cui deinde amplificatio et ornatus accedit.

Sit

Sit itaque illa sententia per Ratiocinationem Rhetoricam pértractanda: *Vitæ puritas imprimis colenda est, omnique studio retinenda.* Quærenda erit primum ratio, quæ persuadere illud possit, ex Locis Oratoriis, v. gr. hæc afferri potest ex Loco communi, quem appellavimus *ab Effectis,* quia vitæ puritas arctissimam cum Deo conciliat amicitiam. Unde eruetur hæc Argumentatio more Philosophico. Colendum illud est omnique studio retinendum, quod arctissimum est cum Deo amicitiæ vinculum; sed vitæ puritas arctissimum est cum Deo amicitiæ vinculum; igitur ea est magnopere colenda, et omni studio retinenda.

Deinde Argumentationem illam ita poterit Orator dilatare, et in quinque Ratiocinationis partes sic distribuere. 1. Ut Propositio sit hæc, *Divina amicitia omni studio colenda ac retinenda.* 2. Ut Propositioni subjiciatur ista ratio, quæ ejus Probatio sit; *Quia a Deo omnia bonorum genera derivantur.* 3. Ut sequatur hæc Assumptio; *At vitæ puritas divinæ amicitiæ vinculum est.* 4. Ut afferatur Probatio Assumptionis, ista nimirum; *Quia similitudo amicitiam parit, cumque Deus sit ipsa puritas, non potest eos non diligere, qui hac virtute præstant.* Deinde ut sequatur Complexio, *Colendam esse vitæ puritatem.*

Tum singulas illas Quinquepartitæ Ratiocinationis partes ita poteris amplificare et ornare, et oratiunculam conficere.

PRO-

## PROPOSITIO.

*Divina amicitia omni studio colenda ac retinenda.*

Si communis amicitiæ ratio illud in hominum animis pondus ac momentum habet, ut nihil huic præponendum mortales existiment: quis erit tam parum æquus rerum æstimator, qui sibi longe potiori jure ardentiorique studio, quæ Deum inter et hominem intercedit, amicam colendam non reputet atque retinendam?

## PROBATIO PROPOSITIONIS.

*Quia a Deo omnia bonorum genera derivantur.*

Etenim cum utilitatis rationibus maxime ducantur homines, quid est in humana vita boni, quod, ut inde acceptum, ita etiam huc referri non debeat? Si enim vitam dices? et ipse Deus hanc mortalibus omnibus impertiit. Si honoris? ipse gloriæ omnis justissimus est et æstimator et dispensator. Si voluptates? futiles sunt et noxiæ, quæcumque ab eo non dimanant. Si divitias? et in eo tantæ sunt, ut cumulatissime hominis quantumvis avidi cupiditatem explere possint.

ASSUM-

## ASSUMPTIO.

*At vitæ puritas divinæ amicitiæ vinculum est.*

Atque inde arbitror satis intelligitis, quæ sit divinæ vis amicitiæ, quam qui negligat, næ ille non impius modo, sed etiam stupidus et amens haberi possit. Quod si ita est, qua tandem ope, et cujus rei beneficio bonum illud infinitum consequemur? an superbia fortasse et cæca mentis temeritate? vanissime. An vita molli et deliciis luxuque diffluente? stultissime id quidem. An divitiarum jactantia? nequaquam. Quid est igitur? qua tandem arte potissimum divinam illam amicitiam nobis concilare possumus? Vitæ puritas et morum innocentia hujus est felicitatis conciliatrix, hujus conjunctionis vinculum et amicitiæ nexus. Atque utinam cæci mortales intelligerent, quantum in ea virtute momentum sit ad veram germanamque felicitatem! utinam omnia studia viresque eo conferrent, ut eam in se morum integritatem efformarent! Fugerent profecto molles voluptatum illecebras, et quanto cupidius laxioris solutiorisque vitæ formam consectantur, tanto morum innocentiam ardentius concupiscerent.

## PROBATIO ASSUMPTIONIS.

*Quia similitudo amicitiam parit.*

Neque enim fieri ullo modo potest, quin infinito quodam amore Deus optimus maximus

mus prosequatur eum, quem sui simillimum viderit. Et vero quæ major cum divina natura fingi similitudo potest, quam si quis ipsius sanctitatem morum innocentia æmuletur; et quantum mortali fas est, in se quasi repræsentet; Etenim divina mens incorrupta est, et ab omni terrenæ concretionis rerumque corporum contagione atque affinitate remotissima; uti etiam ob omnibus corporeæ voluptatis sordibus vitæ puritas abstrahit. Divina mens immortalis est; ut et sua est morum innocentiæ vitæque integritati immortalitas.

## COMPLEXIO.

*Colendam esse vitæ puritatem.*

Quis ergo jam de salute sua sit parum adeo sollicitus et inimicus puritatis sanctitatisque, ut hanc non summo quodam amore studioque prosequatur, quam noverit esse vinculum, quo humana naturæ divinæ conciliari possit? sine qua omnis virtutis splendor extinguatur necesse est et intereat? quæ mundissimum est speculum, cujus beneficio divinæ in se naturæ similitudinem efformet? quæ brevis est et compendiosa via, qua ad intimam cum divino Numine conjunctionem homo pervenire possit?

## ARTICULUS IV.

*Exempla Ratiocinationis a Cicerone.*

Quoniam Ciceronem secuti sumus hactenus viæ ducem, non est integrum, vel cum metas

metas prope contigisse nobis videmur, ab eodem declinare. Videamus ergo, quomodo Ratiocinationem illam perfectam, de qua egimus, ipse pertractet.

Exempla dabit Oratio pro Lege Manilia num. 47. ubi probat, committendum est Pompejo Exercitus Romani imperium propter Imperatoris ipsius felicitatem. Hoc ergo argumentum habebat in Ratiocinationem oratoriam dilatandum. In deligendo Imperatore non bellicarum tantum virtutum, sed felicitatis ipsius etiam ratio habenda; sed Pompejus bellicas virtutes cum felicitate consociat: igitur Pompejus est Imperator deligendus. Rem ita conficit Ratiocinatione quinquepartita seu perfecta.

## PROPOSITIO.

In deligendo Imperatore non tantum virtutis bellicæ, sed etiam felicitatis habenda ratio est.

*Ego sic existimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario et cæteris magnis Imperatoribus non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam sæpius imperia mandata atque exercitus fuisse commissos.*

## PROBATIO PROPOSITIONIS.

Quia summis viris ad magnas res bene agendas divinitus adjuncta est fortuna.

*Fuit enim profecto quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem et gloriam, et ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna.*

AS-

## ASSUMPTIO.

Pompejus fuit semper felix.

*De hujus autem hominis felicitate, qua de nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut præterita meminisse; reliqua sperare videamur; ne aut invisa diis immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur.*

## PROBATIO ASSUMPTIONIS.

num. 48.

Magnas res domi militiæque, terra marique feliciter gessit.

*Itaque non sum prædicaturus, Quirites, quantas res ille domi militiæque, terra marique, quantaque felicitate gesserit: ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. Hoc brevissime dicam; neminem umquam tam impudentem fuisse, qui a diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt: quod ut illi proprium sit ac perpetuum, Quirites, cum communis salutis atque imperii, tum hominis ipsius causa, sicut facitis, velle et optare debetis.*

COM-

## COMPLEXIO.

Igitur Pompejus deligendus est Imperator.

*Quare cum bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit, ita magnum, ut accuratissime sit administrandum, et cum ei Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna; dubitatis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Diis immortalibus oblatum et datum est, in Remp. conservandam atque amplificandam conferatis?*

Similiter in Miloniana hoc instituit argumentum, quod Ratiocinatione perfecta dilatat atque exornat. Licet occidere insidiatorem; Clodius fuit insidiator; ergo licuit Clodium occidere.

Nam Propositionem: Licet occidere insidiatorem, primum exponit, eamdemque probat multis exemplis a n. 7. ad. 23.

Deinde dilabitur ad Assumptionem, nempe, Clodius fuit insidiator; cujus probationem affert in tota cædis narratione, quam ita comparat, atque instruit, ut ex singulis rerum adjunctis appareat, Clodium fuisse insidiatorem, a n. 24. ad n. 32.

Sequitur Complexio, qua concludit, jure Clodium occisum fuisse.

Exercitationem geminam more nostro adjungemus, quæ exactam ad traditas supra leges Ratiocinationem perfectam referent.

EXER-

## EXERCITATIO.

*Lucilius Cæcilius Metellus Pontifex Maximus, dum Vestæ Templo deflagrante, Palladium Troja quondam advectum mediis a flammis eripit, oculos amisit. Agitur in illum, contenditurque auferendam illi Pontificiam dignitatem.*

Oratoria Ratiocinatio perfecta.

### *SYNOPSIS.*

Quærenda 1. ratio est, quæ persuadere illud possit ex Locis Oratoriis. Ducetur illa a Consequentibus, quia non potest amplius eo munere defungi. Unde eruetur hæc argumentatio Dialectico more. Non debet ille tolerari in munere præsertim sacro, qui non potest omnino eo defungi: sed Metellus non potest eo defungi: ergo non debet in eo retineri.

Deinde hæc Argumentatio in quinque partes distribuetur Oratorio modo. Quarum erit prima pars Propositio, nempe. Non debet ille tolerari in eo munere, quo defungi non potest. Quam sententiam dilitabit in Periodum, dicetque, Reip. munera non esse vana et inania nomina, sed complecti illa multa officia, ad quæ adspirare non debet, qui illis defungi non possit.

Secunda pars erit Probatio Propositionis. Quia non decet dignitatem geri ab eo, qui illam administrare non valeat. Amplificabit hoc

hoc per varias Interrogationes et Antitheses. Illud est enim nomine, non re defungi; Magistratus frui emolumentis et honore, quæ officio nullo promereri possis.

Tertia pars. Assumptio. Sed Metellus non potest defungi munere Pontificio; id tractabitur per Apostrophen ad Metellum, vel per Communicationem cum auditoribus. Poterit præire Prolepsis, qua lugebit funestum et Metelli et Reipublicæ fatum, quod vir tantus inutilis Reipubl. factus fuerit.

Quarta pars. Probatio Assumptionis, quæ gemina erit: prima fiet per Enumerationem, recensendo ea omnia officia, quæ Pontificia dignitas complectitur, ut sunt Auspicia, Haruspicia, Tripudium, Victimarum inspectio quæ homo cæcus præstare non potest. Secunda, quia requiretur quotidie voluntas Deorum a Pontifice, qua in re satisfacere interrogantium votis non poterit; hinc Deorum indignatio.

Quinta pars. Complexio. Non esse retinendum Metellum: tractabit illam, hortando Judices, ut aliis muneribus compensent jacturam, quam Metellus sui muneris privatione patietur.

## ORATIO.

(Propositio. *Non debet ille retineri in ea dignitate, qua fungi non potest.*) Non est vanum et inane nomen aut honorifica tantum appellatio Pontificis Maximi dignitas, Judices; sed veris necessariisque officiis ita continetur tota, ut qui defungi illis

non possit, is, ad eamdem vel obtinendam, vel etiam retinendam non debeat aspirare.

(Probatio Propositionis. *Quia non decet.*) Quid enim est non modo ab institutis Reipublicæ alienum magis, sed ipsi etiam rationi minus consentaneum, quam ut decoretur quispiam amplissimo *Reip.* totius magistratu, qui ad obeundum illum ineptus ex omni parte videatur? Præfulgeat ille scilicet speciosis primariæ dignitatis insignibus, quam ad exercendam ineptus ex omni parte censeri debeat? Plenos honore titulos ambiat, quos nullo labore suo rependere aut compensare teneatur? Eos percipiat fructus et emolumenta sui muneris, quæ nullum obsequium, nullum officium valeat promereri? Hoccine putatis illustrari magistratum, an potius eumdem dedecorari? creditis hoc in honorem Reip. ac non magis in contumeliam vertendum esse?

(Assumptio. *Non potest Metellus defungi officio Pontificis.*) Equidem fateor, Cæcili Metelle, hoc contigisse luctuoso *Reip.* fato, quod privatus oculis fueris. Amisimus in te civem optimum, et de hac civitate totoque adeo Imperio bene meritum: dolemus virum egregium, et ad omnia *Reipub.* munera non tam factum, quam natum, ita repente concidisse, ut ad capessendam gerendamque dignitatem, qua functus es tam egregie ad hunc usque diem, ineptus omnino evaseris: Habet sanctissimorum Numinum *Religio*, quod conqueratur ereptum sibi illum Pontificem, qui tanto pietatis studio;

studio; tam singulari diligentia res sacras hactenus obierat. Verum quid aliud possit deinceps tua causa hæc civitas, quam dolere? quam navare ipsi tibi operam possumus, ex quo oculos amisisti? an superest tibi facultas aliqua, unde supplere oculorum vicem liceat? Tune ipse eum retinere magistratum sustineas, cujus peragendis officiis imparem te satis experiris?

(Probatio Assumptionis. *Quia captus oculis non potest observare volatum aut pastum avium, neque inspicere varios palpitantium extorum motus.*) Nam quo tandem pacto sacris præpositus et sacrificiorum omnium supremus moderator atque arbiter aspicere possis volatum avium, aut earumdem pastum observare? qua ratione solemnes ritus et sacras adhibere ceremonias, sine quibus stare *Religio* non valeat? Tune immolare victimas et varios palpitantium adhuc extorum motus inspicere, aut perscrutari captus oculis aggrediare? Tamen hæc sunt, quibus Pontificia dignitas continetur; his attendere summum Sacerdotem oportet, et in iisdem totum occupari. Quod nisi exequatur diligenter, ac sedulo peragat, jacebit interim Deorum *Religio*, ceremoniæ negligentur, et omnis sacrorum ritus penitus exolescet. Erit nimirum cessante atque otiante Pontifice, qui Deorum voluntatem dubiis in rebus exquirat? qui placare iratos Superos per sacrificia satagat? qui *Reipub.* detrimentis ire obviam piaculares victimas necessarium putet?

(Com-

(Complexio. *Non est retinendus in Pontificia dignitate.*) Videtis ergo, Judices, quanti momenti sit præesse aliquem sacris solemnibus, qui defungi isto munere cum dignitate possit. Quamquam: ejicietur turpiter suo de loco civis optimus, et suis in *R*empublicam meritis spectatissimus? Spoliabitur dignitatis suæ insignibus verendus Pontifex, quem tot virtutum gloria ad hunc usque diem decoravit? Jacebit sine honore, sine virtutis præmio, qui proprio discrimine sacrum Palladium, præsidium hujus urbis mediis e flammis eripuit? Absit hoc a nobis, Judices; compensetur, ut par est, tanti viri virtus, et perpetuis honorum monumentis cumuletur. At numquid est nullum aliud in *R*eipub. munus, quod exercere Metellus etiam privatus oculis possit? Non habetis dignum aliquod tanto viro præmium, quod impertiri liceat? Præficite illum consiliis vestris. *R*empublicam nostram sapientia sua regat ac moderetur. Nihil, quod e re fuerit hujus urbis, quod ad Imperii nostri dignitatem pertinebit, sine ipsius suffragio atque calculo peragatur. Decorate illum perennibus debitisque tantæ virtuti insignibus; cumulate opibus domum ejus; familiam totam liberalitate atque munificentia vestra exornate. Denique dum suus *R*eligioni stet honos, dum sit aliquis summus Pontifex, qui varias dignitatis illius vices obeat, nulli rei parcite, ut aliquod in hac sua calamitate solatium Metellus consequatur.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

### *Metellum in Pontificia Dignitate esse retinendum.*

Oratoria *R*atiocinatio perfecta.

### *SYNOPSIS.*

1. Ratio repetetur ab Effectis et Consequentibus, quia nimirum *R*espub. eripiendo Pontificiam dignitatem Metello sustineret labem ingrati animi, et ingentia ferret damna: unde eruetur hæc argumentatio. Non debet illud committere *R*esp. unde ingrati animi labem sustineret, et ingentia ferret damna; sed si auferatur Metello Pontificia dignitas, *R*espublica sustineret labem ingrati animi, et ingentia ferret damna: ergo, etc.

2. Tractabit hanc argumentationem, et distribuet in quinque partes, quarum pars prima erit Propositio. Nimirum tanto studio cavere debet *R*espublica, ne ingrata videatur in cives, quanto, ne detrimentum ferat.

Secunda pars, erit Probatio Propositionis; quia debet alere in civibus studium *R*eipublicæ compensando accepta ab iis beneficia; hic est enim stimulus, quo provacantur ad magna quæque; quod nisi faciat, quis operam *R*eipublicæ navare sustineat? Tractabitur hic Locus per Interrogationem et Subjectionem.

Tertia

Tertia pars, Assumptio; Sed *Respublica* videbitur ingrata. Hoc tractabitur sola expositione facti.

Quarta pars, Probatio Assumptionis, ostendet quam sit ingrati animi, non solum non compensare hominem pro accepto beneficio, sed eumdem privare dignitate sua. Describet hic per Hypotyposim, quemadmodum deflagrante Templo, se medios in ignes Metellus miserit, ut servaret *Palladium*, unde pendet urbis incolumitas. Extollet etiam damna, quæ Resp. patietur, si mercedis loco plectatur Metellus.

Confutabit, quod objectum est ab Adversario, non esse idonem Metellum ad officia sui muneris: ostendetque, posse ipsum præstare per ministros, quod facere per se non posset; exemplo Consulum et Imperatorum, qui in orbe toto multa præstant per alios: præfuturum Metellum consilio et sapientia rebus divinis.

Quinta pars, Complexio, insectabitur adversarium, qui persuadere Reipublicæ voluerit, ut esset ingrata, et deinceps careat bonis civibus, qui navare ipsi operam velint.

## ORATIO.

(Propositio. *Nihil tam vereri Respub. debet, quam ne ingrata videtur.*) Cum ad singularem Reipub. nostræ providentiam pertinere dicendum est, Judices, ne quid committat umquam, unde capere detrimentum possit, tum certe non minore studio præcavere illam oportet, ne beneficiorum

ciorum immemor et in bonos cives ingrata videatur.

(Probatio Propositionis. *Quia debet alere in civibus æmulationis studium.*) Etenim cum nihil sit tam potens, tam efficax ad excitandos civium animos ad magna quæque, quam si dignam rei bene gestæ mercedem expectare cum certa fiducia possint; hic autem stimulus ubi semel defuerit, languescere soleant animi, nec pares ad ferendum rerum pondus experiantur; necesse est profecto, vel ut bene meritorum de se civium operam ac labores *Respublica* compenset; vel ut suæ ipsius oblita gloriæ, rerum suarum curam omnem ac solicitudinem extingui penitus atque emori sustineat?

Nam quid aliud, amabo vos, suscitavit in unoquoque nostrum robur illud, quod ad tuendam Remp. eamdemque amplificandam et ornandam sensimus nobis toties afflari? Quid majores nostros ad tantam rerum gestarum gloriam accendit, nisi quod persuaserant illi sibi, uti et nos ipsi facimus, rem habere se cum ea Republica quæ pro navata quemque opera beneficiis afficeret, et nullius officii memoriam obliterari pateretur?

(Assumptio. *Esset ingrata Resp. si Metellum removeret a Pontificia dignitate.*) Quod si bene meritis civibus gratiam non modo *Resp.* non rependat, sed eos etiam multandos arbitretur, quis eo paratam animo non abjiciat? quis ab ea deficiendum non putet? quis ingrati animi vitio illam

non

non arguat? Et tamen auctores erimus eidem Reipublicæ ut Metello Pontificiam dignitatem eripiat? non videbitur illa vobis ingrata, dum hominis de se tam bene meriti labores aspernabitur, et amissum ipsius causa lucis hujus beneficium æterno opprobrio cumulabit?

(Probatio Assumptionis. *Quia plecteret eum, cujus egregia merita tenetur remunerare.*) Revocate animis, Judices, gloriosum Cæcilii Metelli et dignum perenni memoria facinus. Cogitate quam proximum ruinæ suæ discrimen hæc civitas adiisset: quantis hodie quotquot sumus omnes, in angustiis versaremur, nisi viri optimi prudentia, magnanimitas atquæ constantia prævenisset malum, et imminentem toti Imperio procellam avertisset. Nihil hic dicam, Judices, quod oculis ipsi vestris usurpare non potueritis; nihil exaggerabo magnificentius; nihil ad hominis fortissimi commendationem jactantius prædicabo. Ardebat fatalibus flammis ab omni parte Vestæ templum; jam superaverant ignes sacrarum ædium fastigia; nulla spes restinguendi incendii affulgebat: præsens periculum, non evitandæ mortis metus, ipsa temerarii consilii inutilitas ab admovenda operi manu cunctos deterrebat. Interim deflagrabant ipsa sacratissimæ Sedis penetralia, ubi Palladium asservabatur: Palladium illud dico, Judices, Præsidium hujus urbis, Reip. columen, totius Imperii decus et ornamentum; cujus Nomen fortunatissimum tantam Populo Rom. gloriam peperit; quo pereunte, interituram simul

simul Romæ fortunam Oracula toties declararunt. In communi totius civitatis trepidatione pariter ac luctu, inter gemitus et complorationem civium, in summa populorum desolatione, unus Metellus adfuit, qui jacentes erigeret, recrearet perditos, afflictos consolaretur. Vidistis ipsi, ut oblitus sui, periculi securus, salutis immemor, medios per flammarum globos ac vortices irruerit, et crepitantibus circumquaque ignibus, certo vestigio in eum perrexit locum, ubi furebat incendii vis major; ut suis ipse manibus jam contactam flammis sacram Palladis imaginem eripuerit, et illæsam ad nos reduxerit. Vidistis, inquam, obstupuistis, collaudastis hominis fortitudinem, triumphanti applaudistis. At ingemuistis multo magis, cum redemptam tanta Metelli calamitate salutem vestram animadvertistis. Nullus fuit e vobis, qui servatum optimo Pontifici oculorum usum suo ipsius periculo non voluisset. Et erit jam aliquis, qui multandum eum dignitatis suæ jactura arbitretur? Ecquis erit deinceps, qui positæ paribus in angustiis Reip. opitulari sustineat? qui capitis discrimine præstare vos incolumes velit?

(Confutatio. *Metellus, vel orbatus oculis, est idoneus ad exercenda Pontificatus munera.*) At enim non est idoneus Metellus, ut muneris sui partes per se ipse obeat. Hoc enim unum est, quod tam maligne quam magnifice adversarius noster jactavit; hoc fuit unum causæ ipsius, et prolixæ Orationis fundamentum. Sed esto: multa sint,

sint, quæ deinceps præstare Metellus non valeat: at numquid eadem præstare non non potest per alios? An ergo Imperatores nostri, an Consules, an cæteri, quos moderandæ Reip. præfecistis, suis ipsi oculis usurpant omnia, aut omnia per se exequuntur? Quid ergo prohibet, Judices, quo minus quemadmodum illis, ita et Metello digni ministri seligantur, qui de omnibus ad eum referant, dum ipse consilio et prudentia pro more statuet, quidquid ad Religionis sacrorumque curam pertinebit?

(Complexio. *Est Metellus ritenendus in sua dignitate.*) Valeant ergo adversarii nostri præstigia, quibus scrupulum injicere religioni vestræ aggressus est: occludite aures perniciosissimis consiliis, quæ tantam nomini vestro labem inferrent; neque in has angustias sinite adduci Rempublicam, ut, dum in bonos cives ingrata videbitur, neminem deinceps habeat, qui laboranti succurrere, et egregiam periculo suo navare operam velit.

Hic autem notabis, non servandum esse semper eundem in tractande Ratiocinatione Propositionum ordinem; sed immutandum plerumque, cum ad dissimulandum Ratiocinationis artificium, tum ad vitandum tædium, atque satietatem. Quod ipsum monet Tullius lib. 2. de Oratore num 117. *Tractatio*, inquit, *varia esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audit, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponi oportet, quid asseras, et id quare ita sit, ostendere. Et ex iisdem illis locis interdum concludere,*

*dere, relinquere alios, alioque transire. Sæpe non proponere, ac ratione ipsa offerenda, quid proponendum fuerit declarare; si cui quid simile dicas, prius ut simile confirmes: deinde, quod agitur, adjungas: puncta argumentorum plerumque ut occultas, ne quis ea numerare possit; ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur.*

Habes exemplum istius varietatis in Oratione pro Cœlio num. 45. ubi hoc argumentum instituit, quod Ratiocinatioe tractat. Quisquis liberalibus disciplinis ac studiis deditus est, non potest servire voluptatibus: sed Cœlius liberalibus artibus perdiscendis semper deditus fuit: ergo Cœlius non potuit servire voluptatibus.

Nam ad dissimulandum artificium *Ratiocinationis* incipit a Probatione Assumptionis, seu a quarta Propositione *Ratiocinationis*, et probat Cœlium deditum fuisse semper liberalibus studiis, hoc pacto: *Audistis, cum pro se diceret, audistis antea, cum accusaret (defendendi hæc causa, non gloriandi loquor) genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atque verborum, quæ vestra est prudentia, perspexistis. Atque in eo non solum ingenium elucere ejus videbatis, quod sæpe, etiamsi industria non alitur, valet tamen ipsum suis viribus; sed inerat, nisi me propter benevolentiam forte fallebat, oratio, et bonis artibus instituta et cura et vigiliis elaborata.*

Deinde exposita et probata Assumptione egreditur ad Propositionem ipsam *Ratiocinatio-*

nationis, et demonstrat, non posse eumdem hominem et studiis esse deditum, et servire voluptatibus, eodem n. 45. *Atqui scitote, Judices, eas cupiditates, quæ objiciuntur Cœlio, atquæ hæc studia, de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse.*

Mox ejusdem Propositionis affert Probationem, quam fuse amplificat et exornat .... *Fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, sæpe nimia copia, inopia etiam nonnumquam impeditus, hoc quidquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verum etium cogitando possit sustinere. An vos aliam causam esse ullam putatis, cur in tantis præmiis eloquentiæ, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore, tam sint pauci semperque fuerint, qui in hoc labore versentur? Omittendæ sunt omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, jocus, convivium, sermo etiam pene omnium familiarum deserendus. Quæ res in hoc genere homines a labore studioque dicendi deterret, non quo aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis. An hic, si se isti vitæ dedisset, Consularem hominem admodum adolescens in judicium vocavisset? hic si laborem fugeret, si obstrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie versaretur? appeteret inimicitias? in judicium vocaret? subiret periculum capitis ipso inspectante Populo Rom. tot menses aut de salute, aut de gloria dimicaret?*

Deni-

Denique subjicit Complexionem, ac velut reportata victoria triumphat, n. 47. *Nihil igitur illa vicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Bajæ denique ipsæ loquuntur etc.*

Hujus Ratiocinationis hoc prope modo tractatæ sequens Exercitatio exemplum dabit.

## EXERCITATIO.

Alexandri Magni ad trecentos Milites Oratio, ut Petram Urbem in rupe inaccessa positam invadant.

### *SYNOPSIS.*

Hac utetur Ratiocinatione. Petra non debet eos retardare, quos nullæ hactenus difficultates retardarunt: sed nullæ hactenus difficultates vos retardarunt: ergo Petra non debet vos retardare. Ratio, quæ vim argumento sufficit, petitur ab Antecedentibus: Nihil vos hactenus retardavit.

Exordium ducetur a Complexione, nimirum ab ea sententia. Petra non debet vos retardare: quæ sententia ducetur in Periodum: v. gr. Si rem haberem cum iis Militibus. quorum spectata minus virtus esset, etc. sed, etc.

Deinde veniet ad Assumptionem: Nullæ ad hunc usque diem difficultates vos retardarunt; quod tractabitur per Interrogationes et Antitheses: Quid enim tam invisum, quod, etc.

Descendet ad Probationem Assumptionis, quæ tractabitur enumeratione Expeditionum illarum, quas Alexandro Duce perfecerant. Narrabit disjecta munimenta, occupatos inaccessos aditus, juga montium superata, debellatos hostes fortissimos, etc.

Concludet per Propositionem. Petra non debet retardare, quos hibil hactenus retardavit. Nunc igitur tot expugnatores urbium, tot victores hostium, urbs una moraretur? etc. Probationem afferet, quia parum honorificum ipsis foret, hic invenire metam victoriarum, etc.

## ORATIO.

(Complexio. *Petra non debet retardare Alexandri milites ab eadem oppugnanda.*) Si rem haberem hodie cum militibus, quorum virtus spectata mihi foret minus, quam vestra est, Commilitones fortissimi, vererer ego plurimum, ne vel ad unum Petræ aspectum, quam natura ipsa adversus mortalium impetus videtur muniisse, arma pariter cum animis abjicerent. Nunc vero dum eos alloquor, qui suam in adeundis periculis constantiam toties approbarunt, non dubito, quin, quantum ad infringendos animos vestros offert urbs illa difficultatis atque pertinaciæ, tantum ad eam expugnandam roboris atque audaciæ afferatis.

(Assumptio. *Nihil fuit tam difficile, quod illi non perfecerint.*) Quid enim est tam invium, per quod sibi viam fortitudo vestra non fecerit? quid tam arduum, quo non alacritas eruperit? quid tam invictum et insu-

insuperabile, quod insitus animo vincendi ardor non fregerit atque expugnarit?

(Probatio Asssumptionis. *Rerum ab Alexandri militibus fortiter et feliciter gestarum enumeratio.*) Nam quid hic ego memoria repetam, quæcumque mihi dedistis ad hunc usque diem virtutis vestræ mōnimenta? Urbium invictarum propugnacula disjecistis; montium juga perenni nive obruta emensi estis; inaccessos aditus occupastis; rapidissimos amnes trajecistis; angustias Ciliciæ intravistis; vim frigoris in India sine lassitudine perpessi tolerastis, experiendo, quæ cæteri desperaverunt, Asiam tenemus in potestate.

(Propositio. *Petra non debet eos retardare, quos nihil hactenus retardavit.*) Nunc ergo tot expugnatores urbium, tot domitores hostium, tot populorum victores Urbs una moraretur? Triumphis nostris Petra metam imponeret? hunc ad scopulum allisa vis atque acies armorum frangeretur, aut hebesceret? hic præceptarum animo palmarum ac laurearum spes atque expectatio rescinderetur atque evanesceret?

(Probatio Propositionis. *Quia esset hoc Alexandri militibus minus honorificum.*) Videte, fortissimi Commilitones, videte, ne cum gloriosissimum vobis fuerit, nihil hactenus fortitudini vestræ restitisse; ita foret jam turpissimum, si vos iniquior urbis moles retardaret. Cogitate, quæso, intentos esse in unumquemque vestrum universi orbis oculos, qui facinorum vestrorum splendore perstrictus toties obstupuit, et novum

in

in hodierna expugnatione roboris atque constantiæ prodigium a vobis expectat. Ite igitur alacres Alexandro duce atque auspice, et quem tanti facinoris habetis jam hortatorem, eumdem fortitudinis vestræ muneratorem amplissimum speratote.

## ARTICULUS V.

### De Ratiocinatione Imperfecta, seu quæ Quinquepartita minor est.

Hactenus actum est a nobis de Ratiocinatione Quinquepartita, cujus partes omnino quinque in Oratione tractantur, et quæ libro 2. ad Herennium num. 7. vocatur Ratiocinatio absolutissima et perfectissima. Quibus vero deest pars aliqua, aut etiam plures illius quinque, Ratiocinationes imperfectæ dicuntur, non quod careant aliqua perfectione, quam habere debeant, sed quod quibusdam partibus destituantur, quæ prætermittuntur consulto, et quas supervacaneum esset operosius pertractare.

Sunt enim Propositiones quædam tam clar, tam evidentes, ut probari non egeant; adeoque vel non est illis conquirenda probatio, vel ipsæ etiam indictæ relinquuntur. v. gr. Initio Orationis Milonianæ hoc instituere argumentum videtur Tullius. Si licet aliquando hominem occidere, maxime insidiatorem; sed licet aliquando occidere hominem; ergo licet occidere insidiatorem.

Operam

Operam lusisset Cicero, si Propositionem primam probare voluisset; quæ, quoniam revocari non potest in dubium, dilabitur statim ad Assumptionem, quæ facessere sola difficultatem poterat. Et probat multis ac variis argumentis, licere aliquando hominem occidere, unde concludat postea, posse jure interfici insidiatorem.

Sic et 7. Philippica num. 9. pacem nullam esse posse cum Antonio contendit, hac Ratiocinatione: Pax Populo Romano cum ullo mortalium turpis esse nulla debet; cui Propositioni per se notæ nullam rationem subjicit. At cum Antonio nisi turpis pax esse nulla potest; hanc vero partem pluribus probat. Denique concludit alienos a pace animos esse oportere.

Quin et unica nonnumquam Propositione constare potest Ratiocinatio. Ita pro Plancio num. 49. *Sed cur ego sic ago? Quasi non Comitiis jam superioribus sit Plancius designatus AEdilis?* Istæ enim voces continent solam Assumptionem hujus argumenti. Non est reddenda ratio, cur Plancius fuerit AEdilis renunciatus posterioribus Comitiis, qui superioribus jam fuerat designatus; sed superioribus jam fuerat designatus; ergo, etc.

EXER-

## EXERCITATIO.

*Abigailis ad Davidem Oratio, cum is ad perdendam Nabali domum pergeret.*

Ratiocinatio imperfecta, in qua Propositio cum ejus Probatione et Conclusio tractantur, relicta Assumptione.

### *SYNOPSIS.*

Utetur hoc Argumento a Notatione nominis petito. Nihil tam regium est, quam hostibus parcere: Tu Rex es: ergo debes hostibus parcere.

*Exord.* Ducetur a Prolepsi, dicetque, non venire se, ut factum conjugis excuset, aut de nimia Davidis severitate conqueratur; dignum esse Nabalum, qui pœnas luat, quandoquidem tanti Regis jussa despexit. At eo se venisse consilio, ut ad ejus clementiam recurreret. Tum tractabit Propositionem, ostendetque, quam sit dignum magnanimitate regia hostibus parcere.

Probationem afferet petitam a Comparatione; conferetque res a Davide præclare gestas cum eo facinore, quo vindictæ desiderium reprimens Nabalo parcet.

Alteram Probationem afferet petitam ab ipsius Davidis facto, qui Saul hosti pepercit, cum posset ipsum perdere. Unde eliciet argumentum a Majori ad Minus. Tu cum versareris in continuo vitæ periculo, noluisti eum occidere, a quo uno timendum habe-

habebas; quanto facilius debes homini parcere, a quo nihil tibi timendum sit?

Tum relicta Assumptione, quæ clara est, per varios motus tractabit Complexionem: Ergo debes Nabalo parcere.

## ORATIO.

Supplicem vides, tuisque advolutam genibus Abigailem, Rex fortissime, non eo paratam animo, ut infelicis Nabali factum excuset, aut de tua in eum severitate conqueratur. Scio, quam gravo scelus sponsus imprudens admiserit; quascumque in eum statueris pœnas, etiam meritis leviores feret, qui regiæ contemptor majestatis imperia tua neglexerit. Hoc unum mihi miseris in rebus perfugium est, hæc spes afflictæ salutis una, clementiam ut implorem tuam. Caruissem hodie conspectu tuo, Rex fortissime: suis se in latebris una cum infelici marito continuisset Abigail fatalem capitis sententiam expectans, nisi tu, quem unum vereri debuimus, spem injecisses aliquam; nisi benignatatis tuæ fiducia jacentes ac perditos excitasset. (Propositio. *Nihil tam regium est, quam hostibus parcere.*) Novimus enimvero, novimus, et tota, quam late patet, Judæa spectatum habet, quam regium ad hunc usque diem duxeris hosti vel infenso parcere; hæc tibi semper placuit inter cæteras victorias, quam de iracundia retulisses; neque visus tibi est umquam triumphorum tuorum fructus dulcior, quam si ex hoste capitali fecisses quempiam amicissimum.

(Pro-

(Probatio Propositionis. *A comparatione rerum a Davide gestarum.*) Equidem scio, Rex fortissime; prædicabunt posteri res a te bello et pace præclare gestas, neque de laudibus tuis umquam ætas conticescet. Te Gigantis immanis victorem gloriosissimum, te Philistæorum triumphatorem, te domestici tumultus pacatorem extollent. Tuam in capiendis consiliis prudentiam, in agendis rebus fortitudinem, in perficiendis constantiam celebrabunt. At quæ par inveniri poterit Oratio, cum animi tui mansuetudinem, cum temperantiam atque moderationem exornare aggredientur? Credent illi, qui rerum tuarum historiam olim excipient, extitisse quempiam in victoria tam sui compotem, ut servare mallet, quos vicerat, quam vincendo eosdem perdidisse? Huic tu gloriæ, cujus socium habes neminem, patere, Princeps invictissime, ut infelix Nabalus cumulum adjiciat. Hoc habet saltem in sua calamitate conjux meus solatium, ut per hunc tot patratis a te tanta cum laude facinoribus aliquod incrementum accedat. Is unus potest aliquid addere ad vulgatam jam de te apud gentes exteras bonitatis famam.

(Altera Probatio. *A comparatione Saulis, cui David pepercerat, cum Nabalo.*) Imo, imo indulta per te Nabalo venia suscitabit apud omnium animos gratissimam facti illius memoriam, quando inimico Sauli, et persequenti te acrius, cum interficere eum posses, pepercisti. Hic ille David est, inquient, tam bonus, tam facilis, tam mansuetus!

suetus! ut constans sibi! ut sui semper similis! ut in parcendo tam imis quam summis semper magnificus! Hanc tu opinionem mansuetudinis non tuleris modo, si Nabalo parces, sed augebis. Iam haberi contemptor injuriarum nullo tuo periculo potes, qui capitales iras tanto vitæ discrimine olim condonasti. Nihil tibi jam metuendum habes a Nabalo, cui nihil non erat a Saule pertimescendum. Quanto stabit tibi illa victoria, quæ tantum tibi laudis accerset!

(Complexio. *Debet David Nabalo parcere.*) Miserescе igitur, Rex fostissime; vivat beneficio tuo Nabalus; et quod ipsi mihique lucis exigendum superest, hoc Regis benignissimi clementiæ ac bonitati debeamus.

## ALIA EXERCITATIO.

Septimii apud Ptolomæum AEgypti Regem Oratio, qua victum in acie Pharsalica Pompejum et in AEgyptum confugientem servandum esse demonstrat.

### *SYNOPSIS.*

Gemino illo argumento utetur. 1. quidem Magnanimitas est opem ferre miseris; Pompejus est miser; ergo magnanimitatis est opem ferre Pompejo. 2. Turpe est amicum adversa fortuna laborantem deserere; sed Pompejus est amicus tuus; ergo turpe est Pompejum deserere.

Tra-

Tractabitur 1. Assumptio, 2. Propositio prioris argumenti. Deinde sola Assumptio posterioris argumenti.

Ordietur ergo ab Assumptione prioris argumenti, nempe, Pompejus est miser, repræsentabitque miserum ipsius statum per comparationem cum priori fortuna et per Antitheses. Ecce venit ad te Pompejus accisis ac perditis rebus, qui, etc. tuam implorat opem, qui, etc.

2. Gradum faciet ad Propositionem; ostendetque magnanimitatis esse, miseris opitulari. Ne te illa species supplicantis deterreat, memineris, numquam fuisse tibi oblatam illustriorem occasionem, etc. nam cur in eo positus es dignitatis gradu, nisi ut, etc. tum relicta probatione Propositionis,

3. Veniet ad Assumptionem alterius argumenti, jubebitque ipsum meminisse, quid Pompejo debeat, qui parentem ipsius de solio deturbatum restituit. Amplificabit beneficium per Narrationem et Hypotyposim. Dejectus pater tuus suorum malevolentia propitium Pompejum expertus est, etc.

4. Veniet ad Complexionem omissa Propositione, Tune ergo dubites referre parem Pompejo vicem? hunc tu abjicias, per quem regnas, et sine quo non viveres?

## ORATIO.

(Assumptio prioris Argumenti. *Pompejus est miser.*) Ecce venit ad te Pompejus, Rex fortissime, non in ea quidem majestate ac pompa, qua totius orbis victor ac triumphato-

phator incessit; sed accisis rebus ac perditis, sed victus, et amisso exercitu tristissimos inconstantis fati casus repræsentans ad vivum. Ecce supplicantis in morem alienam opem implorat, qui opitulari cæteris et afferre subsidium laborantibus noverat. Ecce tuam in fidem ac clientelam se recipit, cujus in patrocinio ac defensione tam certum adversus rebelles et contumaces Ægyptios tuus parens, tuque adeo paterni hæres imperii præsidium habuisti.

(Propositio prioris Argumenti. *Magnanimitatis est miseris opitulari.*) Neque te vero funestissimus ille supplicis Principis apparatus ab impertienda, quam enixe petit, fiducia deterreat. Imo, imo cogita, Rex fortissime, numquam illustriorem oblatam tibi fuisse probandæ virtutis et magnanimitatis regiæ commendandæ occasionem, quam quæ infortunati Imperatoris calamitas attulit. Quorsum enim putas ad tantum dignitatis apicem atque fastigium fuisse reges evectos, nisi ut altiore loco positi ad sublevandam miserorum inopiam ultro descenderent, et lætioris, quo fruuntur, fati commoda cum afflictis et iniquam sortem patientibus partirentur? Hoc enimvero reges habent supra cæteros mortalium, suas ut opes effundere possint uberius, et liberalitatis suæ magnificentiam illustrius declarare.

(Assumptio posterioris Argumenti. *Multum debes Pompejo.*) Sed quid ego te accendere istis meditor, aut nihil indigentem stimulis aggredior incitare, quasi Pompejum igno-

ignorares, aut quid tanti viri benevolentiæ debeas, non meminisses? Nam cur tibi revocem in memoriam, ut pulsus e solio per summum nefas populorum malevolentia Ptolomæus parens tuus in sola Pompeji Magni liberalitate atque fortitudine præsidium invenerit? Frustra vicinorum Principum fidem ac clientelam imploraverat: frustra diverterat in varias plagas aliquam afflictis rebus fiduciam rogaturus: frustra digressus Romam tamquam in asylum et communem gentium omnium portum, Senatus auctoritatem, Magnatum potentiam, veluti ostiatim emendicaverit. Inveniebatur nemo, qui jacentem erigeret, recrearet perditum, afflictum consolaretur. Unus repertus Pompejus est, qui amicas misero regi tetenderit manus, et lentos nimis in ferendis suppetiis inflammaret. Nosti, quo demum exitu excitarit unumquemque ad impertiendam, quam parens tuus opem atque benevolentiam postulabit; qua auctoritate sua ac gratia partem Senatus longe potissimam; ipsosque adeo Consules suam in sententiam ire compulerit; quo studio rerum gestrarum hanc sibi ipse sumpserit provinciam, tuum ut in solio parentem redderet; quanto denique robore, quanta prudentia rem totam promoverit ac feliciter consummarit.

(Complexio. *Debes Pompejum adjuvare.*) Et tu interim parem referre Pompejo gratiam dubitabis? hunc tu jacere afflictum patiere, qui parentem tuum erexit? hunc tu destitutum omni ope abjicies, sine cujus præsidio numquam ereptum tibi regnum recu-

recuperasses? Vide ergo, ne, cum olim Pompejo gloriosissimum fuerit, nulla affectum beneficentia pulso regnis Ptolomæo tam impense suduisse, ita turpissimum tibi sit tam singulari provocatum beneficio, nullam supplicanti jam Pompejo benevolentiæ partem impertiisse.

## ARTICULUS VI.

### De Sorite.

De hac altera Rhætoricæ argumentationis specie, quæ *Sorites* vocatur, dicemus pauca; tum quia non est difficilioris aut operæ aut artificii.

*Quid est Sorites?*

2. Est series, et veluti catena multarum Propositionum, ex quibus gradatim et acervatim collectis eruitur aliqua conclusio. Ita Cicero per Soritem probat omne bonum esse honestum lib. 5. Quæstionum Tusculanarum num. 45. *Etenim quidquid est, quod bonum sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum; ergo etiam et dignitas ei tribuenda est; quod si ita est, laudabile sit necesse est. Bonum igitur omne laudabile, ex quo efficitur, ut, quod sit honestum, id sit solum bonum.*

Et in Oratione pro Flacco num. 44. Soritem adhibet Tullius: *Si Prætor dedit, ut scriptum est, a Quæstore numeravit; Quæstor a mensa publica; mensa, aut*

*ex vectigali aut ex Tributo. Numquam erit istud simile criminis, nisi mihi totam rationem omni et personarum genere et literarum explicaris.*

Ita pariter si quis orationis præstantiam velit ostendere, ita poterit instituere argumentationem. Age, quidnam est in toto orbe præcipuum, quid optimum? homo. In homine vero quid? animus, mens. Quid in mente? ratio. Quid autem in ipsa ratione? ipsamet ratio, quæ naturæ suæ prærogativa divinam in se similitudinem exhibet.

Observabis autem, lubricum esse Soritem Argumentationis genus: adeo cavendum esse diligenter, ne in illa serie propositionum ullam admittas vel falsam vel ambiguam. Alioqui tota rueret argumentatio; ut exemplo sequenti patebit. Certum est, Bibliopolam multos libros evolvere frequenter; qui multos libros evolvit sæpe, multum studet, qui multum studet, procul dubio fit doctissimus; qui autem factus est doctissimus, potest cum laude omnes scientias profiteri: Igitur Bibliopola potest in celebri Academia omnes artes profiteri. Falsa est isthæc Conclusio, ut facile quivis intelligat: quare vero? nisi quia vox illa evolvere ambiguam patitur significationem, hoc est, vel attente legere, vel solis manibus versare, quod ultimum proprium est Bibliopolæ, neque ad doctrinam multum confert.

Hoc etiam animadvertendum diligenter, tunc valere plurimum Soritem ad amplificationem Conclusionum, cum rebus antea pro-

probatis in unam veluti catenam multæ Argumentationes coacervantur. Sit Sorites ille in Exemplum.

Quis dubitet, viros Principes in sua regia tanquam in altissima specula collocatos esse, ut inde oculis quasi peragrantes imperii sui magnitudinem solerti diligentia curaque pervigili provideant, ne quid Resp. detrimenti capiat? Quale vero detrimentum acciperet, si pateret hostium incursionibus, si in provinciis atque urbibus, in penatibus ac focis domesticis barbarorum arma grassarentur? Jam ad exitialem illam calamitatem evitandam, bella identidem cum irrumpentibus hostium copiis sustinenda sunt. Bellum ut geri possit, conscribendæ sunt cohortes, omnibus præsidiis legiones instruendæ. Quis autem cogere milites, conflare exercitum, instruere aciem possit, nisi stipendio muneribusque propositis, quibus milites incendi consueverunt, atque ad difficillima subeunda pericula stimulari? Porro ad numerandam infinitæ prope multitudini pecuniam opus est ærario locupletissimo. Quapropter ex omnibus regni partibus atque clientum fortunis necesse est in ærarium regium vectigalia deportari.

## ARTICULUS VII.

### De Enthymemate.

*Quid est Enthymema?*

*R.* Est Ratiocinatio imperfecta, cui deest alterutra ex Propositionibus prioribus Syllogismi,

gismi, seu Argumenti Philosophici, v. gr. Fortitudine atque prudentia singulari Pompejus præditus est: ergo dignus est cui administrandi belli provincia committatur. Omittitur nimirum prima Propositio: ille dignus est, cui provincia administrandi belli committatur, qui fortitudine et prudentia singulari præditus est; sed Pompejus fortitudine et prudentia singulari præditus est, ergo, etc. Vel si quis ita concludat: Qui fortitudine et prudentia singulari præstat, imperio dignus est; ergo Pompejus imperio dignus est. Tunc secunda Propositio seu Assumptio omittitur, nimirum: sed Pompejus fortitudine et prudentia præstat; ergo, etc.

Hinc alterutram ex propositionibus quæ deest, si restitueris, ex imperfecta Ratiocinatione perfectam efficies.

Porro hoc argumentationis genus, quod Enthymema vocatur, frequentiori in usu est apud Oratores, quam Syllogismus. Nam quoties Thesis omittitur, et Hypothesis una explicatur, toties pene Syllogismus exulat et regnat Enthymema.

Cicero pro Muræna num. 3. probat Enthymemate, a nemine æquius defendi Murænam, quam a se. *A quo tandem, Marce Cato, est æquius Consulem defendi, quam a Consule? Quis mihi in Repub. potest aut debet esse conjunctior, quam is, cui Resp. a me una traditur sustinenda, magnis meis laboribus sustentata?*

Ibid. num. 6. reddit rationem suæ lenitatis ac misericordiæ hoc Enthymemate.

Vin-

Vincenda mihi fuit olim indocilitas mea, ut severus essem; ergo, nunc, cum me omnia ad mansuetudinem excitent, naturæ servire debeo. *Quod si tum cum Respub. vim et severitatem desiderabat, vici naturam, et tam vehemens fui, quam cogebar, non quam volebam: nunc, cum me omnes causæ ad misericordiam atque humanitatem vocent, quanto tandem studio debeo naturæ meæ consuetudinique servire?*

*Quænam est ratio tractandi Oratorii Enthymematis?*

*R.* Duplex. Prima, si contrahantur quæ partes in unam; secunda, si utraque pars fusius explicetur. Habes prioris rationis exemplum Philip. 5. num 2. *Pacem vult Antonius? arma ponat, roget, deprecetur; neminem æquiorem me reperiet: cui quidem, dum se civibus impiis commendat, inimicus esse quam amicus maluit. Nihil est profecto quod dari possit bellum gerenti; erit fortasse aliquid quod concedi possit roganti.*

Aliud exemplum habes pro Milone, n. 41. ubi Cicero probat Milonem non cogitasse de occidendo Clodio tunc, cum revera occidit, hoc Enthymemate. Milo non occidere voluit Clodium, cum potuit id impune facere; igitur non est credendus id voluisse, cum exequi non potuit sine summo suo periculo. *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus; hunc inju-*

*injuria, iniquo loco, iniquo tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?*

Fusius vero tractat Enthymematis partes pro Milon. num. 79. *Quonam modo vos ille vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percussit? quid si ipse Cn. Pompejus, qui ea virtute ac sapientia est, ut ea potuerit semper, quæ nemo præter illum, si is, inquam, potuisset, ut de P. Clodii morte quæstionem ferre, sic eum ab inferis excitare, utrum putatis facturum fuisse; etiamsi propter amicitiam vellet illum ab inferis revocare, propter Remp. non fecisset. Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam, si putetis per vos restitui posse, nolletis?' Et de ejus nece lata quæstio est, qui si ea lege reviviscere posset, lata lex numquam esset. . . .*

Hæc autem omnia hoc uno concluduntur Enthymemate. Nolletis Clodium vivere; ergo non debetis eum afficere pœna, qui Clodium occidit.

Est aliud pene simile Enthymematis exemplum Philip. 2. num. 94. *Igitur a quo vivo, nec præsens, nec absens quidquam æqui boni impetravit, apud mortuum factus est gratiosus, etc.*

EXER-

## EXERCITATIO.

*Cnei Domitii ad Jul. Cæsarem post Pharsalicam pugnam Oratio, ut iis qui contra ipsum arma tulerant, parcat.*

Per Enthymema.

### *SYNOPSIS.*

Hoc utetur Enthymemate. Debes providere, ne quis susceptum a te bellum civile putet non Reipublicæ gratia, sed ut privatas inimicitias ulciscaris; ergo debes iis parcere, qui contra te arma tulerunt.

Exordium sumet a Propositione; dicetque hunc semper visum fuisse animum Cæsaris, ut solius Reipublicæ causa dimicaret.

Rationem afferet Propositionis. Quia id Cæsar revera præ se tulerat, cum neminem perire voluisset præter eos, qui in acie perierant; revocabitque ipsi in memoriam, quemadmodum suis militibus præceperat, ut civium corporibus parcerent.

Mox veniet ad Complexionem, Cæsarem hortando ut eos servatos velit, quibus belli furor pepercerat: ut Deos imitetur, illis condonando, qui Deorum beneficio viverent.

ORA-

## ORATIO.

(Propositio. *Debes providere, omnibus ut pateat, bellum civile unius Reipublicæ gratia a te fuisse susceptum.*) Etsi nemo tibi, Cai Cæsar, succensere jure potest, si jam armorum tuorum gloria factus rerum omnium dominus justam in tuos atque Reipublicæ hostes severitatem exerceas; tamen cum susceptum a te civile bellum tuendæ Reipublicæ, non vindicandi proprias inimicitias gratia omnibus semper approbaveris, non dubitavi, quin hosti profligato parcere, quam eumdem perdere præstabilius æstimares.

(Probatio Propositionis. *Quia neminem perire voluisti præter eos qui in acie perierant.*) Enimvero liceat tibi revocare in memoriam tempus illud, quod amarissimis lacrymis sæpe deflevisti. Meministi, Cai Cæsar, nisi forte, qui nihil oblivisci soles præter laudes tuas, extitit diei illius recordatio, cum in acie Pharsalica victor lectissimum Romanæ militiæ florem cerneres miserabilem ultro in interitum ruere. Meministi, inquam, in illo armorum æstu, qui inimicus ut plurimum consilii est, et omnis expers humanitatis, quis fuerit animi tui sensus? ut pereuntium vicem doleres unus omnium maxime? ut civium nostrorum corporibus parcitum velles? ut salutis publicæ solicitus magis quam propriarum injuriarum memor, Romanum quoquo modo sanguinem redemptum optares? Audivimus illam, quotquot sumus, plenam clemen-

clementiæ vocem, cum victoriam ipse tuam, quæ tanta cruoris copia constitisset, detestareris; et cum jam non esset integrum revocare ad vitam, qui inter arma cecideranf, palam ediceres parta jam victoria, ne quis in superstites belli reliquias peccaret.

Nunc ergo compositis tam fortiter quam feliciter civicis motibus, vide pro tua sapientia, Cai Cæsar, qualem te medio pacis in sinu præstare debeas. An gloriæ tuæ sit, quisquam ut suspicetur, plus te privatis odiis, quam publicæ utilitati serviisse; neque tam ad arma convolasse, ut laboranti patriæ pacem ac tranquillitatem redderes, quam ut aut ambitionem, aut iracundiam expleres. Intentos habet in te universus orbis oculos, et suspensus inter admirationem ac metum expectat, qualem Pompejanis partibus animum allaturus sis, paratus vel applaudere victori, vel funesta bonis omnibus arma detestari. Tuum est moderari hominum judicia, et quid de consilio tuo sentire illos velis, decernere. Non est tibi mora libera, ut in eos, quos armorum æstus, aut civilis discordia contrarias in factiones abduxit, statuas quidquam durius, si humanitatis, si clementiæ, si æquitatis ipsius famam affectas. Quidquid in te peccatum est, erroris vitium fuit, non voluntatis. Quare senserint hactenus Pompejani armatum Cæsarem, quamdiu armatum animum retinuere; nunc victoris benignitat m imploran tibus, nefas sit veniam abnuere, quam precantur. Habes in ipsis Diis exemplum,

plum, quod sequaris. Quibus illi parcitum voluerunt, eosne tu misericordia indignos arbitrere; et quos tot ereptos periculis conservarunt, iisne tu calamitatem novam ac perniciem rursum accersebis? (Complexio. *Debes parcere.*) Ah! potius cumula Deorum beneficium tuo: fruantur hostes tui benevolentia illa, quam per se impertiendam Superi censuerunt, rati nullum ipsis fore perfugium certius, quam si tibi dederentur. Age, Cai Cæsar, absolve quod incæpisti: reportatam tot victoriis gloriam hodierna dies cumulet. Domuisti Pompejanos duces fortitudine insignes, numero prope infinitos; quid restat, nisi ut deinceps vincas clementia, quos armis hactenus superasti?

## ALIA EXERCITATIO.

### Romani cujusdam ad Neronem Oratio, ut a persequendis deinceps Christianis abstineat.

### *SYNOPSIS.*

Hoc Enthymemate utetur ad faciendam fidem: Inutile est Christianos ulterius persequi; ergo debes ab iis persequendis deinceps abstinere.

Exordium. Dicet, nullo se Christianam ingentem amore adduci ad dicendum, imo sibi illam odio esse et execrationi.

Deinde veniet ad Propositionem, ostendetque per varias Interrogationes, quam sit inutile Christianos persequi, qui nulla pœna-

pœnarum acerbitate, nullo mortis metu a proposito deterreantur. Id probabit ab Antecedentibus, jubebitque Neronem meminisse, quam frustra fuderit hactenus Christianorum sanguinem; crescere illos suis cædibus, non modo illis extingui.

Idem probabit a Consequentibus. Nihil magis deinde proficies; tibi, imperio nostro, Diis ipsis timendum, si gens illa pergat crescere.

Complexio. Sine ergo illos suis in tenebris inglorios immori; parce hujusmodi meditari in eos bella, quæ nullum felicem exitum habere possunt.

## ORATIO.

Quamvis gentem in illam, quam tam acriter persequeris, gravissimo memet odio sentiam exstimulari, nullique rei parcitum velim, ut vel ipsa, si fieri possit, Christiani nominis recordatio penitus exstinguatur: tamen longa doctus rerum experientia operæ pretium esse existimo, Princeps sapientissime, ut a Christianorum cæde tandem aliquando abstineas.

(Propositio *Inutile est Christianos persequi.*) Nam quid agimus? quid molimur? quid promovemus, dum nova quotidie suppliciorum genera ad extirpandam nationem illam pessimam excogitamus? Hoc tibi persuaseras, et nemo erat, qui tibi non assentiret, genus istud hominum non esse tam invictum, ut alii pœnarum metu deterriti ad meliorem se frugem non reciperent, alii variis cruciatibus ac suppliciis perditi tristissimas

simas secum gentis nefandæ reliquias non sepelirent. Iustitimus acriter, perfecimus quod erat imperatum; nullam vel sexus, vel ætatis, vel conditionis, vel etiam sanguinis rationem habuimus. Sævitum est in amicos, non est parcitum affinibus aut consanguineis. Fratres ipsi fratres in suos, parentes in liberos, in conjuges mariti crudeles exstiterunt. (*Probatio Propositionis.*) At quo successu tandem, quo exitu? Revoca, Princeps sapientissime, revoca in memoriam, quam multos tot abhinc annis, ex quo funestum cum illis hominibus bellum exercemus, vario tormentorum genere perdideris. Numera, si potes, quot aquis submersi, quot enecti suspendio, quot exusti flammis, quot ferro, quot equuleis, quot rotis absumpti. Vidimus vicos ac plateas natantes eorum sanguine; timuimus non semel huic urbi, ne cadaverum moles immensa luctuosam pestem ac contagem inferret. Exhausimus ipsam tortorum industriam in inveniendis pœnarum monstris, quæ Christianos percellerent. Verum quid promovimus ad hunc usque diem, quid perfecimus, aut quæ spes nobis deinde relicta? Non modo non est imminutus illorum numerus, sed crevit; non infractus animus, sed erectus; non accisæ vires, sed confirmatæ furoribus nostris illudent. Diceres fatalem hydram, quæ suis e vulneribus quotidie crescit ac pullulat; sanguis eorum fatalis instar seminis est, unde nova singulas in horas monstra passim exsurgunt.

Quod

Quod si tam frustra gentem in illam certatum est, Princeps sapientissime, qua spe deinceps in eadem sævire parabimus? si crescere ulterius pergat, si sors illa supplicionum est, quibus illam exercemus, ut novum robur sufficiant; nihilne metuendum putas, ne, cum invaluerit tandem aliquando, tristissimam tibi perniciem, cladem imperio, ipsi Deorum religioni ruinam moliatur?

(Complexio. *Ergo abstine a persequendis Christianis.*) Patere igitur, Princeps sapientissime, ut illa deinceps cesset carnificina, quam in Christianum genus tam nullo fructu exercuimus. Suis illi addicti erroribus inanes recentis ac novæ religionis larvas consectentur. Emoriantur illi natalibus in tenebris; et quando nullis tanti Imperatoris vel blanditiis, vel precibus, vel minis, vel terroribus revocari ad meliorem frugem potuerunt, permitte illos infelici genio; neque tuam posthac aut quietem turbent, aut plenam bonitatis clementiam experiantur.

Hanc vero argumentationem, quæ Enthymema dicitur, facile est, uti jam monuimus, ad perfectam Ratiocinationem revocare, si nimirum vel Propositio, vel Assumptio, quæ subticetur in Enthymemate, restituatur. v. g. Ex illo Enthymemate, quod tractavimus, scilicet; inutile est ulterius Christianos persequi; ergo ab eorum cede abstinendum, faceres Ratiocinationem, si propositionem substitueres, quæ subauditur. Nempe, desistendum a consilio inutili; sed inutile est persequi Christianos; ergo, etc.

Et illud pariter Enthymema, quod primo loco pertractatum est; nimirum, debes præcavere, ne quis susceptum a te civile bellum non Reip. gratia, sed ad vindicandas privatas injurias existimet; ergo debes percere iis, qui contra te arma tulerunt; facile mutabis in Ratiocinationem, si Assumptionem, quæ subticetur, restitueris hoc pacto. Præcavere debes, ne quis susceptum a te bellum existimet non Reip. gratia, sed ad vindicandas privatas injurias; sed nisi peperceris iis, qui contra te tulerunt arma, multi existimabunt, te privatis injuriis, non Reip. utilitate ad suscipiendum civile bellum fuisse adductum; ergo debes parcere,

## ARTICULUS VIII.

### De Dilemmate.

*Quid est Dilemma?*

*R.* Est argumentatio constans duabus Propositionibus oppositis, quæ nihil medium patiuntur, adeo ut alteram concedi necesse sit. Tale est illud latronis stricto pugione peregrinum inermem alloquentis: aut crumenam dabis, aut vitam.

Frequentissima sunt apud Tullium hujus Argumentationis exempla. Philip. secunda num. 100. probat, Cæsaris acta, quæ vulgaverat Antonius, fuisse adulterata. *Sed ad Chirographa redeamus. Quæ fuit tua cognitio? Acta enim Cæsaris pacis Causa confirmata sunt a Senatu. Quæ quidem Cæsar egisset, non ea, quæ Cæsarem egisse dix-*

*dixisset Antonius. Unde ista erumpunt? quo Auctore proferuntur? si sunt falsa, cur probantur? si vera, cur væneunt?*

Et pro Cœlio num. 50. Clodium perstringit, et purgat Cœlium hoc dilemmate: *Si qua mulier sit hujusmodi, qualem ego paulo ante descripsi, tui dissimilis vita instituto-que meretricio, cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse rationis, num tibi perturpe aut perflagitiosum esse videatur? Ea si tu non es, sicut ego malo, quid est, quod objiciant Cœlio? Sin eam te volunt esse; quid est, cur non crimen hoc, si tu contemnis, pertimescamus?*

Duplex est ratio tractandi Dilemmatis: prima consistit in Propositione simplici Dilemmatis, cujus utraque pars nuda effertur, quia veritas clara est. Tale est illud, quod proponit Cicero Philip. quinta num. 15. *Legatos decernis? si ut deprecentur, contemnet; si ut imperetis, non audiet.*

Et pro Quinto, num. 41. ubi, postquam probavit, Quintium nihil debere Nævio, quod is debitum non postulasset sibi persolvi, in magna ejusdem petendi facultate, hoc Dilemmate concludit: *Restat, ut summa tibi negligentia obstiterit, aut unica liberalitas; si negligentiam dices, mirabimur; si bonitatem, ridebimus.*

Habes ibid. aliud exemplum Dilemmatis, num. 81. Pro Rosc. Amer. num. 74. Pro Plancio n. 6. ibid. 85. Philip. 3. n. 22. Philip. 13. num. 17.

Alius modus est tractandi Dilemmatis, cum amplificatione figurata pars utraque Di-

Dilemmatis exornatur. Tale est illud, quod habetur Philip. secunda num. 31. *Numquamne intelliges statuendum tibi esse, utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidii rei sint, an vindices libertatis? Attende enim paulisper, cogitationemque sobrii hominis punctum temporis suscipe. Etenim ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris, ut a te arguor, socius, nego quidquam esse medium; confiteor eos, nisi liberatores populi Romani, conservatores Reipub. sint, plus quam sicarios plus quam hominicidas, plus etiam quam parricidas esse: si quidem est atrocius patriæ parentem, quam suum occidere. Tu, homo sapiens et consideratus, quid dicis? si parricidæ, cur honoris causa a te sunt et in hoc ordine, et apud populum Romanum semper appellati? cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si ab urbe, plus quam decem dies, ab fuisset? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore sunt celebrati? cur Provinciæ Cassio et Bruto datæ? cur Quæstores additi? cur Legatorum numerus auctus? Atque hæc acta pete: non igitur homicidæ. Sequitur, ut liberatores tuo judicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse. Quid est? non conturbo te; non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis. Sed tamen hæc est summa conclusionis meæ, quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis præmiis dignissimi judicati sunt.*

Et prima Verrina hoc utitur adversus Cæcilium Dilemmate, probatque, non esse illum

lum idoneum Verris accusatorem, num. 31. *Tu, Cæcili, quid facies? Utrum hoc tantum crimen prætermittes? an objicies? si objicies, id ne alteri crimen dabis, quod eodem tempore, in eadem Provincia tu ipse fecisti? Audebis ita accusare alterum, ut quo minus tute condemnere, recusare non possis? sin prætermittet, qualis erit ista tua accusatio, quæ domestici periculi metu, certissimi et maximi criminis non modo suspicionem, verum etiam mentionem pertimescat?*

Et Verrina quarta, num. 155. *Utrum tibi Siculos publice privatimque amicos, an inimicos existimari vis: si inimicos, quid te futurum est? quo confugies? ubi nitere? modo Aratorum honestissimorum hominum et locupletissimorum maximum numerum abs te abalienasti; nunc de civitatibus Siculis quid ages? Dices, tibi Siculos esse amicos; qui poteris, qui quod in nullo homine antea fecerunt, ut eum publice testimonium dicerent, cum præsertim ex ea Provincia condemnati sint complures, qui ibi Prætores fuerunt, duo soli absoluti, huc conveniunt cum literis, veniunt cum mandatis, veniunt cum testimoniis publicis.*

Similiter probat adversus Pisonem Dilimmate, eum oportuisse esse cupidum prædæ, qui se cupidum fuisse triumphi negaverat. Orat. in Pis. num. 56.

Item et pro Cornelio Balbo probat insigni dilemmate, non fecisse quidquam Pompejum contra fœdera num. 13. In his omnibus locis

locis utramque Dilemmatis partem tractat magnifice et diligenter exornat.

Duplex est autem Dilemmatis diluendi ratio. Prima, cum Dilemma totum invertitur. Scitum est illud Antigoni Regis, a quo frater cum peteret, ut causa, quam habebat, non in foro palam, sed domi privatim cognosceretur: respondit Antigonus hoc Dilemmate; si causam injustam habes, cur litigas? si justam, cur conspectum hominum fugis? Cui frater respondere potuisset, utraque parte inversa; Si justa causa est, melius et facilius domi cognoscetur; si injusta, minorem inframiam privatim subibo, quam publice.

Altera ratio diluendi Dilemmatis, cum una dumtaxat pars Dilemmatis infirmatur. Sic Herus ille servum percutiens, roganti servo, cur ipsius opera uteretur, si esset improbus; cur percuteret, si probus esset; respondit: non percutio te, quia probus es; sed quia improbus, ut probo uti possim.

## EXERCITATIO.

*In eos, qui de eventuris sibi calamitatibus Divinos et Hariolos consulunt.*

Exemplum Dilemmatis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dices, quosdam esse in torquendis se ipsis ingeniosos, quasi non satis multa evenirent contra voluntatem ferenda.

Propo-

Propositionem efferet post Apostrophen ad eos, qui de futuris calamitatibus Divinos consulunt; dicetque, illos esse miserrimos.

Confirmatio petetur ab hoc Dilemmate, quod ita proponet. Vel illi quod enunciant, eventurum est, vel non eventurum; statuite ergo, quod vultis; versate vos in omnem partem; nam alterutrum necesse est, ut admittatis.

Tum tractabit prius Dilemmatis membrum; ostendetque insipientes eos esse, si calamitates, de quibus Hariolos consulunt, eveniant; quia stultum est ante tempus se macerare, bis miseri, etc.

Deinde posterius membrum tractabit, probabitque non minus eos infelices esse, si nihil eorum eveniat, quod Divini mentiuntur, quia nihilominus torquebuntur perpetuo inanique metu.

Concludet deterrendo ab ejusmodi curiositate.

## ORATIO.

Cum tam multa sunt in hac, quam vivimus, vita homines miseri, quæ contra spem ac voluntatem nobis ab adversis rebus ferenda passim occurrunt; tam certe mirum est, inveniri quosdam in torquendis semetipsis macerandisque tam ingeniosos, ut novum quemdam malorum cumulum ultro ac volentes sibi accersere non dubitent.

Nam quid aliud, amabo vos, facere dicendi sunt, qui insanabili quadam curiositate correpti eventuras sibi olim calamitates

ex

ex Hariolis Divinisque sciscitari gestiunt; et quod prudens rerum omnium moderator atque arbiter Deus, non sine amabili providentiæ suæ ordine occultandum censuit, id per fas ac nefas magno sui ipsorum damno ambiunt pervidere?

Age enim, quisquis es hujusmodi tam inimicus felicitatis tuæ, ut, si quid credis tibi metuendum gravius, id conjicere ex Hariolorum responsis et malas per artes augurari gestias. Quis hanc misero mentem injecit, ut torquere te multo ante quam oporteat, atque etiam macerare frustra, ut plurimum, mediteris? Unum te volo imprudentiæ tuæ testem ac judicem; non ad aliud, quad ad tuum ipsius tribunal appello. (*Dilemma.*) Dic mihi, quæso; vel illa evenient aliquando, quæ inanes illi Augures enunciant mala; vel ab illis eventura falsa prædicantur. Quid tibi videtur? ede responsum: quid siles? an facere tibi fucum velle videor? an captiosis argumentis credulitati tuæ insidias paro; Nullæ hic ambages, nullus latet hic dolus, clara sunt omnia et aperta, nisi quod velis intervenire medium, ubi esse non potest. Fateris ergo, quod nemo sanus revera negaverit, aut eventura illa, quæ nosse curiosius ambigis, aut certe non eventura? Bene est, utor responso tuo, et rem ulterius persequor (*Pars prior Dilemmatis.*) Si, quod illi malum tibi perscrutanti cupidius præcinunt, eventurum revera est, uti dictant, næ tu hominum inconsultissimus, qui tantopere te maceres ac torqueas ad eas evitandas calamitates, quas decli-

declinare non possis! cur non quieto potius ac tranquillo expectas animo, quidquid Superi de te statuerint? Numquid illa, quæ reformidas, mala cruciabunt te satis, cum evenerint, nisi te ipse ante tempus ultro vexaveris? bis miser et infelix, quam impendentis fati metus multo gravius jam cruciet, quam ipso forte malo, cum inciderit, cruciandus sis. (*Pars posterior.*) At si nunquam evenient illa, quæ tibi jam tum solicitudinem tantam pariunt, quantæ stultitiæ est inanibus perturbari malorum umbris puerorum more, et dum in portu navigas, adversas tempestates formidare?

(*Compex.*) Videte ergo vos, quotquot mala isthæc prurigo incessit hactenus, ne vos ullo fructu atque emolumento, sed magno atque incredibili vestro supplicio torqueatis; abstinete ea velle percunctari, quæ sibi uni supremus fatorum omnium arbiter ac moderator Deus cognoscenda servavit; hoc agite multo diligentius, ut æquam rebus omnibus, non adversis minus quam prosperis mentem præparetis, et quidquid vobis demum contigerit, facite ne vos aut elatius extolli, aut deprimi humilius patiamini.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

### In Degeneres Christianos.

### *SYNOPSIS.*

Degeneres Christianos urgebit hoc Dilemmate. Vel estis Christiani, vel non estis: si Christiani estis, cur Christi legibus non paretis? si non estis, cur gloriosum illud nomen usurpatis?

*Exord.* Dicet Orator defecisse Christianos a majorum suorum virtute, et plerosque nihil retinere præter inanem Religionis umbram.

Deinde proponet laudatum jam Dilemma, idque urgebit variis interrogatiunculis, et quasi punctis.

Tertio. Priorem partem Dilemmatis per Subjectionem exponet. Si Christiani estis, cur igitur legibus morem non geritis?

Quarto. Secundam partem tractabit, petetque, cur Christiani nomen usurpent, qui nihil hominis Christiani habeant, præter inane nomen? jubebit illos gloriosam istam appellationem deponere, qua temere superbiunt.

Denique concludet per Ironiam, hortando illos, ut aliam religionem amplectantur, nisi malint ad meliorem frugem se recipere.

### ORATIO.

Quonam deplorando temporum nostrorum fato fieri dicam, ut cum Majores nostri Chri-

Christianæ Religionis institutum tam sedulo tam severe coluerint, sic ab eorum virtute et sacra velut hæreditate nepotes defecisse videantur, nihil ut præter vacuum et inane dumtaxat Christiani nomen, mendacemque religionis larvam retineant?

Nam quo degeneres animæ, quo pristina pietas abiit? quo priscus recessit ardor? ubi prioris illius fortitudinis extant vestigia, qua mediis vel in suppliciis parentes vestri invicti perstitere? Quo ego vos nomine jam appellem in quibus nulla avitæ pietatis exempla video? statuite tandem ipsi quales velitis esse, quales appellari. (*Dilemma.*) Christiani estis, an non? responsum date. Nolite facere fucum hominibus, aut ementitam virtutis faciem prætendere. Nunc opus est, omnes ut intelligant, quo nomine vobis placeat unumquemque vestrum designare.

At enim audio communem omnium vocem, Christiani sumus, exclamatis. (*Pars prior Dilemmatis.*) Idipsum piacularibus sacri lavacri fontibus abluti professi sumus; hoc præclaro gloriamur nomine; Christianorum sacramenta usurpamus, Christianis institutis ac religionibus utimur. Cur igitur nomen tam sanctum flagitiis vestris polluitis? cur alienam a vita Christi vitam vivitis? cur præceptis ipsius ac legibus rebelles usque ac contumaces, hanc ipsam, quam videmini profiteri, doctrinam abjicitis? Christus voluptates damnavit, vos consectamini: Christus opibus maledixit, vos inhiatis: Christus honores contempsit, vos omni

omni studio ac labore per fas ac nefas aucupamini.

(*Pars posterior.*) Facessite mendacissimi hominum larvati Christiani, facessite; parcite speciosum illud nomen jactare ambitiosius; non est Christianum nomen positum in verbis, sed in factis; integritate vitæ, morum innocentia, virtutum exercitatione gloriosa isthæc appellatio continetur. Non capiunt sordes vestræ, fœditas animi, morum corruptela tantum nomen, tam cœleste, tam divinum.

Ite, ite ad Mahumetanos, turpissimos illos fœdissimarum voluptatum cultores; Religionem eorum amplectimini, quorum mores imitari vos non piget. Hic licebit omni vitiorum genere inquinare vos; hic spurcissimis deliciis indulgebitis impune; non erit quisquam, qui depravatam morum vestrorum turpitudinem arguat. Sed quid ego hæc? Ah! potius, siqua vos salutis vestræ remordet cura, si quis Christianæ Religionis amor tangit, recipite vos ad meliorem frugem, et Christiani nomen, quod usurpare placet, omnibus Christianæ virtutis officiis decorate.

## ARTICULUS IX.

### De Dilemmate captioso.

*Quid est Dilemma captiosum?*

*R.* Est argumentatio ita concludens ab utraque parte, ut adversarium simplicem et imperitum illudat, nisi illius eludendæ artem

artem noverit. Talis est ista argumentatio, qua Sacerdos quædam utebatur, ad suadendum filio, ne apud populum diceret. Nam si injusta dixeris, inquiebat illa, Deos habebis iratos; si justa, homines. Quam argumentationem sic invertit Adolescens ingeniosus, et in matrem retorsit. Imo expedit apud populum dicere, nam si justa dixero, Deos amicos; si injusta, homines inveniam.

Huc referendæ sunt mentientes Propositiones, quæ se ipsas negant, vel si se includunt, falsum affirmant. Sic Poeta Cretensis, cum dixisset omnes Cretenses esse mendaces, Propositionem certe mendacem attulit. Nam si Cretenses omnes sunt mendaces; ergo et ipse mendax, cum Cretensis ipse omnes mendaces Cretenses dixerit. Si neget se mendacem, falso dixerit Cretenses omnes esse mendaces; erit itaque et simul mendax et simul verax.

Denique eo etiam revocantur Crocodili, quos vocant, seu callidæ interrogationes, quæ fucum faciunt rudibus et imperitis. Dicuntur autem Crocodili propterea, quod commenti sunt Poetæ, Crocodilum rapto mulieris viduæ filio, sic cum ea fuisse collocutum: Reddam tibi filium, si verum dixeris. Responde igitur, utrum sim tibi redditurus, an non? Negavit illa fore, ut redderet, et ob eam causam reddi debere, quod verum dixisset. Cui Crocodilus, Atqui non reddam, inquit; si enim reddidero, verum non eris locuta: sin me redditurum dixeris, falsum dices, non enim certo reddam.

Similis est ludicra et captiosa Adolescentis illius argumentatio, qui, cum se cuidam Rhetori instituendum tradidisset, grandi mercede pactus, si primam causam apud Judices evinceret, belle tandem eruditus mercedem negavit. Cui diem Magister cum dixisset, nihil debeo tibi, retulit Discipulus. Nam si vicero, ex Judicum sententia solutus ac liberatus sum; si vincor, ex pactis nihil tibi debeo, ea tibi lege tantum obstrictus, si prima in causa palam referrem. At Discipulo perito Magister peritior: Imo, mercedem debes, subjecit; si viceris, ut pactus es; si non viceris, ut condemnatus. Causam illam utrinque oratorie tractabimus ad Rhetoricarum Exercitationum complementum.

## EXERCITATIO.

*Thisias Adolescens Syracusanus adversus Coracem Rhetorem Magistrum suum.*

Dilemma captiosum.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Sumet a Prolepsi. Significabit dolorem suum, quod adversus Magistrum adhibere cogatur artem illam, quam ab eo didicerat.

Deinde allata Propositione narrabit breviter, qua lege cum Corace pactus fuerit.

3. Per Interrogationem quæret a Magistro, qua tandem in re positam artem putet, quam

quam ab ipso didicerat? tum per Subjectionem respondebit: in persuadendo.

4. Proponet hoc Dilemma; Vel persuasero Judicibus nihil me tibi debere, vel non persuasero. Si persuasero, dicta causa est; ipso Judicum calculo solutus ac liberatus sum. Si non persuasero, nihil est, quod mercedem petas, quam ex pacto nullam debeo, nisi causa vincerem. Hoc argumentum urgebit variis interrogatiunculis.

*Peroratio.* Judices obtestabitur, ut jus suum sententiis confirment.

## ORATIO.

Etsi injustus ego quibusdam, aut saltem accepti beneficii parum memor videri possum, qui post exactam sub eruditissimi Magistri disciplina adolescentiam, hac ipsa, quam sum edoctus ab eo, dicendi facultate adversus eumdem abuti mediter; tamen cum res mihi sit hodie apud Judices æquissimos et maxime perspicaces, ita dicturum me spero, ut non iniqui tantum, sed ingrati animi suspicionem penitus amoliar.

Postulor ego, negatæ mercedis reus, quam sibi debitam Corax eruditus Rhetor vindicat. Næ injurius revera sim, Judices, et dignus crimination, quæ mihi clarissimos apud viros inferatur, si defraudare hominem velim re sua, et quam pro jure suo repetat, abnuam persolvere. Verum hoc agitur inter nos, Judices, hoc contentionis hodiernæ caput, an debita sit merces illa, quam Corax pertinaciter exigit. Affirmat ille quidem confidenter; vocat me vestrum ad tribunal;

in-

infractæ fidei et immemoris animi crimen objicit. Ego vero, Judices, non confidenter minus quam vere debitam nego mercedem, illam quam petit: adsum paratus diluere calumniam, qua me provocat, et inustam nomini meo labem accusatoris pœna multari postulo. Utri nostrum ratio militet et æquitas, per vosmetipsi judicate.

Permotus ego Adolescens Coracis eruditi Rhetoris fama, veni ad eum Eloquentiæ perdiscendæ cupidissimus. Ille ut me aspexit, atque etiam interrogatiunculis quibusdam ingenii mei, si quod est, fecit periculum, non dubitavit affirmare, esse in me non ita contemnendam ad capessendam Eloquentiam facultatem: quæ si diligenti studio et perito imprimis magistro excoleretur, fructus habere aliquando posset minime pœnitendos. Exarsi continuo magis nova divinæ illius artis cupiditate, et ad Coracem conversus, age sis ergo, dixi, hominum peritissime; ecce trado me tibi præceptis tuis instituendum; hoc in me perfice, quod polliceris, nec levem impensi laboris mercedem exspecta. Accepit ille conditionem; pacta merces est: veni ad eum assidue; excepi diligenter doctas periti Magistri lectiones; uno verbo artem didici, perdidisci; imo, siqua homini fides est, novi ut quisquam optime. Mihi non ita videtur, Judices; uter nostrorum opinione fallatur sua, vestrum est facere conjecturam.

Age vero, Rhetor facundissime, qua demum in re artem illam, quam edoctum esse

esse me a te venditas, positam arbitraris? opinor in persuadendo; hoc enim decantasti nobis centies; hoc ipso, medius fidius, Scholæ nostræ parietes singulis prope diebus personuerunt. Nunc igitur attendite, Judices, in ea facultate quid possim; quantum sub Coracis disciplina profecerim, pro vestra cum æquitate, tum perspicacia judicate.

Vel enim persuasurus sum vobis, Judices, tibique adeo ipsi, Rhetor eruditissime, debere me tibi omnino nihil, vel non sum persuasurus. Nam alterutrum necesse est, ut eveniat; nisi forte quid medium putes interesse, ubi esse non potest. Si persuasero; cur tu mercedem exigas, homo disertissime; quam non Judicum modo suffragiis, sed tuo ipsius calculo non debitam fateare? an vincere causam possum, simul et perdere? Quod si non persuasero, o frustra tot exantlatos labores! o collocatam male industriam! o te hominem, ne quid dicam pejus, minime providum! qui mercedem eo nomine repetis, quod nihil artis illius, quam profitere, quidquam in me contuleris. Vide, quæso, Rheror facundissime, ne, cum ad eam, qua polles, doctrinam minus bene vertat, quod instituendo adolescente, quem ingeniosum esse jactitabas, tam parum profeceris, multo sit turpius eam mercedem postulare, quam ea tantum conditione promissam non diffiteris, ut me in arte tua peritissimum efficeres.

Qua-

Quamobrem peto a vobis, Judices integerrimi, ut quam inflixit mihi Corax, imprudens quidem, quod ego libentius crediderim, ingrati animi labem, pro vestra æquitate eximatis; statuatisque, vel ut me suis præceptis diligentius erudiat, vel ut ab efflagitando præmio, quod non est meritus, deinceps absistat.

## ALIA EXERCITATIO.

### *Corax Rhetor adversus Thisiam Discipulum suum.*

Ratio diluendi captiosi Dilemmatis.

### *SYNOPSIS.*

*Exord.* Dicet, non existimare, se locutum serio fuisse Thisiam, cum oratione publica pactam negavit solvere pecuniam. Probabit hoc ab opinione, quam habet de Adolescentis optimi moribus. Sed voluisse eum ostentare ingenium, et artis, quam didicerat, facere periculum.

2. Rem gestam eo modo, quo narravit Thisias, fatebitur, nec alio se velle uti argumento ab eo, quod Thisias adhibuit.

3. Eodem utetur Dilemmate, quod sic invertet. Vel persuasit vobis Adolescens eruditus, vel non persuasit; si persuasit, dicta causa est; hanc enim sibi dixit ipse legem, ut cum persuadendi didicisset artem, pactam numeraret pecuniam: insistet maxime in ea tractanda Propositione. Si non persua-

persuasit: ergo, vobis Judicibus, mihi debet pecuniam.

*Conclusio.* Hortabitur Judices, ut causam ludicram seria sententia finiant.

## ORATIO.

Et fucum faciet eruditione sua Discipulus ille noster? Artem in eum, a quo didicit, impune converret? Nudam ac simplicem Eloquentiæ sinceritatem compositis ad fallendum verborum phaleris perperam adhibebit? Fallor, Judices; alius est ille prorsus ab eo, quem forte existimatis. Novi adolescentem, novi mores, novi ingenium. Scio, qua mente, quo consilio rem illam, quam suspicari falsi nemini veniat in mentem, quam inficiari ipse serio non audeat, revocare in dubium tentaverit. Voluit scilicet Adolescens minime malus publica quadam exercitatione et frequenti clarissimorum virorum consessu probare omnibus, quid posset dicendo, et quantos apud me progressus fecisset. Gratulare tibi, Adolescens ingeniose; id evicisti, qud volebas; habes laborum tuorum fructum amplissimum; hoc tu consecutus es omnium judicio, ut disertus, ut tersus, ut politus Orator haberere. Nemo non suspexit ingenii tui solertiam; concinnitatem in scribendo, in agendo gratiam omnes laudavere. Quid ambis ultra? Quid moliris? quid petis? Addam et illud, si voles, ad commendationem tui nominis singularem, quod sapiens ante pilos, quod præter ætatem eruditus, quod supra hominum conditionem

ac

ac naturam, in ipsa adolescentia, quæ ut plurimum fugitans est laboris, strenuus ac diligens videare. Estne aliquid amplius, quod ab amantissimo Magistro tuo desideres? Suspicor ego, quid velit, Judices; nolit habere se a me durius in hac causa, vel dum se mihi adversarium profitetur.

Esto: dabimus hoc etiam illi perlubenter, Judices: minime illum vexabo; consulam indoli ipsius, parcam ingenuæ morum suavitati; non inficiabor quidquam ex iis, quæ disseruit tam eleganter in hac causa; fatebor rem ita gestam esse, uti ipse narravit, in quo maxime Discipulum agnosci, non adversarium. Ludam ergo juveniliter in verbis, quod ille fecit tam subtiliter; nec aliud armorum genus stringere in eum velim, quam id ipsum, quo aggressus est.

Age, Adolescens erudite, ingredere ipse campum illum, quem aperuisti tu mihi; eamdem permitto tibi, quam permittebas modo exspatiandi liberius facultatem. Verte te ergo partes in omnes; statue, quod volueris; quære etiamnum quod præstitisti jam tam mirifice, unde ingenium et artem ostentes. At alterutrum fateare necesse est; aut persuasisse te, quod volebas, aut non persuasisse. Si persuasisti, habes, quod tantopere petebas, cum venisti ad me. Te unum testem volo, nitor enim, maxime ingenua Adolescentis sinceritate; unum te, inquam, testem appello, quid postulasti aliud, cum divertisti Ludum in nostrum, nisi ut persuadendi artem disceres? Hoc si consequereris, nihil esse ajebas, quod Magistro

gistro tuo donandum non censeres; promittebas montes aureos; composuimus: pacta merces est: quid igitur hodie renuis pactam numerare pecuniam? quid ambages quæris? quid negas? quid affirmas?

Quamqnam, Judices, laudo Adolescentem, qui in eo, non me ut illuderet, sed ut daret aliquod ingenii sui specimen, inprimis elaboravit. Suspexistis enimvero, et mirati estis, ut rem clarissimam prope obscuraret Oratoriis artibus, et causam, quam pro sua perspicacie noverat ipse desperatissimam, dicendo faceret probabilem; tantum non veram. Optandum fuisset Adolescenti ingenioso, ut in deligendo argumento cautior ac solertior extitisset.

At enim, inquiet aliquis, non persuasit; patuit futilis et captiosæ Argumentationis artificium. Numquam evincet ille, ut debitam quis non putet, quam repeto pro jure meo mercedem. Audio; restat hoc unum Adolescenti perfugium; non persuasi, reclamat ille. Bene est; non persuasisti? igitur dijudicata res est, causa victa est, quin pactam solvis pecuniam, quam mihi non deberi persuadere nemini potuisti? Quid adhuc dubitas, quid tergiversaris? Quasi vero esset quid medium, in quo ludere etiamnum juveniliter posses? Sed jam omisso ludo ad seria veniamus.

Videte ergo, Judices, ut de re tota pro vestra perspicacia et æquitate statuatis, ut causam illam ludicram seria sententia terminetis; ut Thisias, cui pro vestra humanitate indulsistis, ut gravissimum hunc con-

consessum jocando nugandoque recrearet, non jam inanes Figurarum phaleras, sed solidos et bene probatos nummos expediat.

*Ultimæ huic exercitationi aliquam Forensis Causæ formam dabimus, constituendo super ea controversiam Judicem, qui litem dirimat.*

## JUDEX.

Novum prorsus causæ genus, Judices, et ante hunc diem inauditum, vestris dirimendum sententiis hodierna die delatum est. Ecce Adolescens ingeniosus cum nobili Rhetore, Discipulus, cum Magisto, Thisias cum Corace componitur. Ecce non tam de mercede fragili, quam de ingenii gloria, non tam de pecunia, quam de eruditionis laurea certatur. Atque hæc certaminis ratio, Judices, est ejusmodi, ut alteri sit gloriosius vinci, quam vincere, alteri sine dedecore contingere non possit ab altero superari. Nam quid fit honorificum magis Adolescenti ingenioso, quam si vestris omnium judiciis eam adeptus in dicendo facultatem videri possit, ut pactam ea conditione pecuniam peritissimo Magistro solvere debeat? Quid vero sapientissimo Rhetori eveniat funestum magis, quam si ad susceptos nullo emolumento labores is accedat ignominiæ cumulus, ut nihil boni Thisiam docuisse judicetur?

Verum, quoniam non cadit in hodiernam contentionem, quid utrumque deceat magis aut

aut minus, aut quid ad eorum utilitatem detrimentumve pertineat, nisi conjunctum idem cum æquitate censeri possit, video nostrarum esse partium excutere diligenter litigantium jura, et quibus ad causam adjumentis accedant, sedulo demonstrare. Quod ut assequamur facilius, operæ pretium est videre, quid deberit hodiernæ controversiæ causam; ac licet Coracem inter ac Thisiam satis super ea re conveniat, hoc ipsum tamen, uti gestum est, perstringere breviter non pigebit.

Non potuit ignorare Thisias vel in hac ætate tam tenera, quanta Corax apud nos Eloquentiæ fama floreret; atque ut is fuit etiam ab infantia bonarum artium percupidus, nihil antiquius habuit, quam ut se totum doctissimo Rhetori ad eam, quam ille profitebatur, artem informandum permitteret. Venit ergo Thisias ad Coracem, consilium aperit suum, et montes aureos pollicitus, si tanti Magistri sub disciplina peritum in Rhetorem olim evaderet, facile persuasit homini, suam ut Candidato uavaret operam, neque ad eumdem instituendum labores ullos subire detrectaret.

Quippe sensit Corax in Thisia, postquam pertentavit Adolescentis ingenium, quosdam fortunatæ indolis igniculos, qui si fovereutur assiduis institutionis bonæ laboribus, uberrimos fructus aliquando promitterent.

Verum hæc fuit pacta Discipulum inter ac Magistrum mercedis conditio, ut Coraci Thisias nihil rependeret, nisi cum persuadendi

dendi artem, qua tota constat Rhetorica, assecutus videretur.

Ita profecit brevi Coracis in Schola Thisias, ut jam peritus Magistri sui judicio Rhetor haberi possit, et pactam solvere pecuniam teneatur. Id porro negat Discipulus, Judices; atque, ut aliquod facultatis illius, quam adeptus dicitur, faceret vestro in conspectu periculum, voluit persuadere vobis, nihil esse, quod suus ille institutor mercedem exigat, aut eamdem ipse erogare cogeretur.

At quam solerter id aggressus est, Judices, quam processit ingeniose, quam subtiliter peroravit! Rem pene adduxit eo, ut suam nos in sententiam pertraheret, tam probabili in speciem, tam idoneo ad faciendam fidem argumento usus est. Etenim nisi revera persuaderet vobis, nullis se pactæ cum Corace pecuniæ nominibus obligari, vestraque omnium eo confluerent judicia, ut ab omni exsolvendæ mercedis lege Adolescens solveretur, qud erit ultra, quod a Discipulo suo Corax exposceret, cui promissa merces ea tantum conditione fuisset, cum persuadendi artem Thisias videri posset attigisse?

Hic enimvero triumphavit Adolescens; hoc argumento fretus Veterano Rhotori ac pugili jam dudum exercitato Novitius ac Candidatus joculariter illusit. Actum erat de Adversario, nisi rem cum peritiore, quam esset ipse, Magistro ingeniosus Discipulus habuisset.

Suspe-

Suspexistis enimvero Coracis industriam, quem non ille artificiosæ orationis fucus perstrinxit, non dejecit triumphantis Adolescentis cavillatio, non ipse datus consessu in celeberrimo plausus perturbavit. Diceres versutum quemdam et longa experientia contritum Ducem, qui comparatas ab hoste speculatus insidias, non irruit statim, illas ut dejiciat ac labefactet; sed conscius ipse sibi, quid sit acturus, et quem ex paratis sibi laqueis possit fructum percipere, opperitur tantisper hostem, eumdem etiam patitur propius accedere, donec suis ipsum in retibus implicet, tantoque illustriorem habeat ab eo victoriam, quanto certiorem ad triumphum ille properabat. Neque enim disertisssimus ille vir locuplete de penu, aut de armamentario suo varia deprompsit arma, quibus insultantem hostem confoderet: non recurrit ad amplam communium, quos vocant, Locorum segetem, unde validissimis argumentationibus adversarium obrueret: non adhibuit illa orationis lumina, multiplices Tropos ac Figuras, quibus in tractandis exercitatus jam pridem vestram omnium admirationem raperet, et de judicibus suis totidem faceret causæ suæ patronos ac defensores; sed habuit satis, hostem si suum propriis armis confoderet; si, quam instruxerat ille fallaciam, eadem in ipsum abuteretur; si præstigias, quibus ille fucum fecerat, easdem ad retegendam malignioris Discipuli versutiam converteret. Nam, Judices, reposuit Corax, si meus ille Discipulus persuasit vobis, quod volebat, videtis,

quanto meo jure postulem, quam oppigneravit mihi ea lege mercedem, si persuadendi peritus evaderet. Sin minus oratione perfecit sua, ut, quam repeto mihi pecuniam, hanc non deberi persuaderet, qua tandem æquitate illius persolvendæ necessitatem eludat?

Ex iis potestis intelligere, Judices, quam parum afferat captiosa utriusque oratio præsidii ad præsentem contentionem dirimendam, nisi rem totam magis serio, quam sit hactenus pertractata, excutiamus. Quare ut certi quidpiam statuatur in causa ejusmodi, hanc ineundam esse rationem putavi, quæ, uti spero, neque meritissimo Rhetori displiceat, neque Adolescenti ingenioso accepta esse non possit. Nolite existimare, Judices, hoc fuisse umquam Thisiæ consilium, ut susceptos institutionis suæ gratia labores debita mercede defraudaret. Novimus liberalem optimi Adolescentis indolem, et plenam animi gratissimi memoriam; sentit unus omnium maxime, quantum Magistro suo debeat, cujus beneficio ad eam, quam suspexistis, eruditionis ac facundiæ laudem pervenit. Imo non censuit compensandam satis pro rei dignitate, quam accepisset a Corace educationem fortunatam, nisi hanc ipsam omnium in oculis et in consessu tam honorifico demonstraret. Voluit notum vobis omnibus facere, quantum sub ipsius disciplina profecisset, et ex sua ipsius in dicendo facultate de Præceptoris peritia fieri conjecturam. Hinc susceptum ab eo illud causæ genus, in quo tanto majus ederet

cum

cum ingenii tum eloquentiæ specimen, quanto difficiliorem ingressus aleam videretur. Quid fecisset ille in causa bona ac seria, qui malam et ludicram non probabilem modo, sed vero proximam effecit?

Gratulare tibi, Rhetor peritissime, Discipulum tam solertem, tam benevolum, tam amabilem. Plus ille tua laboravit gratia, dum mercedem pactam negare visus est, quam si eamdem statim lubens ac volens condonasset. Quis erit in hac civitate cupidus bonarum artium Adolescens, qui se tibi erudiendum ultro non tradat, cum tales e tua schola prodire discipulos intellexerit? Concurret Ludum ad tuum, mihi crede, nobilitas tota, neque præter te deinceps quemquam ambiat Rhetoricæ artis institutorem.

Igitur, Judices, sic adjudicemus Coraci, quam promeruit mercedem, ut Thisiæ Adolescentis optimi ingenium ac solertiam admiremur; qui subtili Oratiuncula sua ingentem sibi ipsi eruditionis laudem, Magistro suo singularem gloriam, nobis omnibus honestam peperit delectationem.

Parcimus dicere de aliis Argumentationum generibus, vel quia non egent longiori explicatione, vel quia de illis jam diximus in alio Libro.

Tale est Epicherema, quod est Argumentatio quædam quasi ad manum, et quæ unica propositione totam vim argumenti continet, v. g. Impie vivat Christianus? his enim paucis verbis tota hæc Argumentatio continetur: Christianus vivere impie non debet;

debet; tu Christianus es; ergo vivere impie non debes.

Numerantur etiam Inductio et Exemplum, de quibus abunde egimus in Libro de Locis communibus.

## ARTICULUS ULTIMUS.

### Quomodo Argumentationes illæ omnes sint in Oratione variandæ.

In hoc totum hujusce rei momentum virtitur, qua ratione variari debeant istæ Argumentationes, cum in Oratione usurpantur, cum ad servandum tædium, tum ad prolixitatem fugiendam.

*Quæres ergo, quibus variari modis debeant Argumentationes?*

*R.* Variam esse rationem ac multiplicem.

Prima. Cum rationes multæ, quæ tractandæ occurrunt, non eodem, sed vario Argumentationum genere pertractantur: v. g. Si ad primam rationem amplificandam et ornandam adhibita sit Ratiocinatio, secundæ Enthymema deserviat, tertiæ varia Epicheremata, alius vel Dilemmata, vel Inductiones, vel Exempla.

Exemplum dabit Tullius prima Catilinaria, in qua rationes quatuor, quibus probat Catilinæ in exsilium esse abeundum, varietate Argumentationum illuminat. Prima est, quia ejus conjuratio patet, quam rationem Quadripartita Ratiocinatione tractat, num. 6. *Etenim quid est jam amplius, Catilina, quod expectes, si neque nox tenebris obscu-*

*scurare cœtus nefarios, nec privata domus continere parietibus vocem conjurationis tuæ potest? Si illustrantur, si eruumpunt omnia? Muta jam istam mentem, mihi crede; obliviscere cædis atque incendiorum; teneris undique; luce sunt clariora nobis tua consilia omnia, quæ etiam mecum licet recognoscas.*

Rationem affert Assumptionis a num. 7. ad 10. *Meministine me ante diem 12. Calendas Nov. dicere in Senatu, certo die fore in armis Cajum Manlium audaciæ satellitem atque administrum tuæ, etc.*

Secunda ratio est, quia nihil eum in urbe delectare potest, quam per Enthymema amplificat, cujus hæc est prima propositio. Tibi nihil in urbe jucundum est a n. 13. *Quid enim est Catilina, quod te jam in hac urbe delectare possit, in qua nemo est extra istam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo, qui te non oderit? Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuæ est? quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? quæ libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? Cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisti, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem prætulisti?*

Concludit num. 20. *Egredere ex urbe Catilina; libera Remp. metu; in exsilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere, etc.*

Tertia ratio est; quia omnes boni cupiunt vehementer illum egredi; quam rationem a num.

num 20. Optat Senatus, Equester ordo, Populus, etc. *De te autem, Catilina, cum quiescunt, probant; cum patiuntur, decernunt; cum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas videlicet est cara, vita vilissima, sed etiam illi Equites Rom. honestissimi atque optimi viri, cæterique fortissimi cives, qui circumstant Senatum, quorum tu et frequentiam videre, et studia perspicere, et voces paulo ante exaudire potuisti, quorum ego vix abs te jam diu manus ac tela contineo, etc.*

Conclusio n. 23. *Quamobrem, ut sæpe jam dixi, proficiscere; sin autem servire laudi meæ mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu, confer te ad Manlium; concita perditos cives; secerne te a bonis; infer patriæ bellum; exulta impio latrocinio, ut a me non ejectus ad alienos, sed invitatus ad istos esse videare.*

Quarta ratio, quia ipse cupit ad Manlium proficisci, quam tractat Enthymemate n. 24. *Quamquam quid ego te invicem, a quo jam sciam esse præmissos, qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur armati? sciam pactum et constitutam esse cum Manlio diem? etc.*

Secundus modus variæ Argumentationis. Cum Propositiones ipsæ immutantur, aut imminuuntur, uti jam diximus, ita ut, si primo loco ponatur Assumptio et ejus Probatio, secundo loco ponatur Propositio et ejus Probatio, et vicissim: vel omittantur etiam Propositiones, maxime cum claræ sunt, et non egent probatione.

Tertius

Tertius denique modus. Cum variantur Figuræ, quæ ad amplificandas et exornandas Argumentationes adhibentur. Hac enim exornationis forma quasi altera appareat. Multum etiam conferunt ad eamdem varietatem Transitiones, quibus ab una ratione gradus fit ad aliam. Sed hæc omnia melius deprehendi atque observari non possunt, quam ex attenta assiduaque Ciceronis lectione et singulari in scribendo diligentia.

*FINIS RHETORICAE.*

# TRACTATUS
## DE
# FORMULIS LOQUENDI.

---

## PARS PRIOR.

### DE IIS, QUAE OBSERVANDA SUNT IN EXPLICATIONE.

---

## *CAPUT I.*

### *De Positione qualicumque illustranda.*

§. 1. Quoniam omnis enunciatio, sive oriatur in thematis simplicis expositione per definitionem aut descriptionem rei, sive ex toto effato, patitur aut illustrationem aut confirmationem: primo loco spectanda venit illustratio, quatenus: fieri solet per definitiones, aut similitudines, aut per deductiones e priori.

§. 2. Per definitiones quando res absolvitur, aut descriptiones, variant formulæ loquendi prout definiendum evidens est, aut magis a cognitione vulgi remotum. Definitio aut descriptio evidens introduci potest hunc in modum.

Neminem vestrum latere existimem, quin longa rerum experientia, vel ex multimoda gymnasii Christi institutione teneat rem præsentem esse etc. Vel teneat, quid res sit.

Omnibus, id probe scio, satis innotuit rem esse etc.

Etiam tironi in schola Christi constat, quid de subjecto tenendum sit etc.

Sin vero res a cognitione communi sit remotior, et descriptio mutuanda ab Antiquariis, introductio talis esse poterit.

Qui gentium mores et consuetudines scrutati sunt ex antiquis scriptoribus profanis, monumentis, numismatibus inscriptionibus, cippis, et sepulcretis nos docuerunt rem ita se habere.

Sin metuetur ab aliis disciplinis in hunc modum, aut similem fiat elocutio.

Dudum

Dudum edocuerunt nos Jurisconsulti, Medici, Philosophi, Rei Botanicæ Gnari, rem ita concipiendam esse etc.

Theologorum prudentissimi definiunt nobis; et recte quidem, rem, quam hic perpendimus etc.

Sin definitio sit scripturaria.

Inquirenti quid sit res respondebit Petrus, Paulus etc. citato loco.

Eleganter satis expedivit hanc causam, quam inquirimus, ipse Spiritus Sanctus etc.

§. 3. Quotiescunque tale πόρισμα, seu enunciatum venit similitudine illustrandum, varietas formularum loquendi esto.

Habet hæc res se instar.

Quam rem licet comparare cum etc.

Idem obtinet in hoc casu ac cernimus etc.

Et cuidem ex abrupto.

Inter arbores, animalia etc. est N. N. de quo notant Physici, *aut cujuscumque disciplinæ Doctores.*

Qua in re elegans emblema, hieroglyphicum, similitudo observare licet rei.

In quo spectari potest jucunda hominis fidelis, *aut cujusvis alterius rei,* pictura.

Ad

Ad eundem enim modum se habet.
Aut non aliter hic agitur.
Agitur hic sicut in foro, œconomia solet etc.

§. 4. Si res consideranda veniat a priori, de ea re monere solemus Auditores hisce aut similibus formulis.

Verum ut hanc rem felicius teneamus, nonnihil altius auspicanda est, vel ab origine arcessenda est.
Ut dicenda solidiori nitantur fundamento; age, retrorsum respiciamus, et quibus nitatur fundamentis inspiciamus.
Ut vero clarius rei veritatem habeamus perspectam, oportet oculos conjicere in priora, in fontem rei, in causas, in datam ansam et occasionem etc.

## *CAPUT II.*

*De qualicumque positione confirmanda.*

§. 1. Ab evidenti rei perceptione naturalis fit progressus ad assertionis confirmationem, quæ fieri solet argumentis partim inartificialibus, partim artificiali-

cialibus: prior per adductionem auctoritatum, seu allegationem testimoniorum; altera per ratiocinia, nexum cum re probanda habentia.

§. 2. Siquidem testimoniis res absolvenda fuerit, illorum allegatio hac varietate instrui potest.

Huic assentitur; suffragatur N. N.

Huic sententiæ palam subscribit N. N.

Id quoque confirmat, suoque calculo approbat N. N.

I. Si veritas adstruenda auctoritate allegationum sit veritas dogmatica, congruunt formulæ.

Eandem veritatem dogmatizavit Deus, Christus, Spiritus Sanctus, credique jussit.

Eandem veritatem professus est quoque Propheta, Vir Dei, Discipulus Christi.

Neque alio modo locutus est N. N.

Idem fusius explanat N. N.

Hoc ipsum contractius expressit N. N.

Proxime, et fere iisdem verbis adjungit se N. N.

Nec minus apposite in eandem sententiam dixit N. N.

Quod

Quod hic profitetur N. N. id ipsum quoque approbavit, et nos docuit Deus, Christus etc.

Quod locum habet, quando minoris auctoritatis dicta ex majori auctoritate adstruuntur.

II. Si rem historicam probare intendas ex testibus oculatis et auritis, exemplum formulæ sit.

Neque noster solus hæc asserit, sed et qui rei memorandæ spectatores et auditores fuerunt.

III. Si positio prophetica, alicujus rei spem faciens, per dicta parallela veniat confirmanda et conferenda, his liceat uti formulis.

Eandem spem quoque professus est N. N.

Hoc ipsum argumentum, divina visione sibi objectum, exposuit Propheta N. N.

In ampliorum hujus spei confirmationem, quid sibi de hac re oblatum fuerit, accurate depingit Vatum haud infimus.

Eandem spem in corde suo fovisse Patres anteriores, constat ex loco etc.

Jam olim attigit rem Propheta anterior, Mozes, Patriarcha, ubi exponit etc.

Post

Post Vatem nostrum cecinit idem fatum, qui cum secutus fuit Prophetam N. N.

Si vero positio prophetica comprehendat præsagium mali, phrases sunto.

Jam ante hunc nostrum idem fatum cecinerunt N. N.

Nil novi aut inauditi profert hic noster, dum tubam Judicii divini in hunc modum inflat, sed antiquum et præsagium etc.

IV. Si positio sit moralis virtutem commendans, aut vitium condemnans, citatio locorum parallelorum quoque cum aliqua elegantia variari debet in hunc, aut similem modum.

Hæc obligatio, aut cautela jam dudum populo præscripta fuit apud Mozen, et anteriores virtutis cultores, vitæ custodes etc.

Moralem et indispensabilem esse illam obligationem, quam igitur summo jure exigit hic noster, vel ex lege morali constat.

Ut teneamus haud minus dedecus inferre illud crimen homini Christiano, ac olim Judæis, etiam contra illud insurrexit Christus, Apostolus etc.

Eandem

Eandem pietatem, justitiam etc. quam hic in Vet. Test. cernis commendatam, haud minori zelo ursit Christus, Apostolus in Nov. Test. etc.

§. 3. Res quandoquidem adstruenda venit argumentis artificialibus. Ubi

I. Probatio simplex consideratur. Hic vulgo adhibentur particulæ aitiologicæ, *nam*, *quia*, *quandoquidem*.

Hic variatio exigit, ut quandoquidem alias exhibeamus formulas. V. G.

Ratio evidens est.

Nec aliter se rem habere patiuntur rationes sequentes.

Id facile constabit, modo attendamus ad etc.

Fundatur illa res etc.

Id extra dubium erit, si quis nobis cum cognoscat, aut pro hypothesi nobis cum supponat. *Et similia*.

II. Quod si argumentatio procedat ad absurdum, formulæ similes esse poterunt.

Sin

Sin res aliter se haberet, cogimur statuere quod absurdum, quod absonum, quod a fide Christiana alienum est, quod ideam Dei subvertit, quod insitis notionibus contradicit.

Sententiam adversariorum subsistere non posse, nisi velint, nolint, concedant etc.

Prohibemur ab hoc oppugnantium dogmate metu incidendi in hunc illumve errorem.

Traheret hic error post se absurdum etc.

III. Si ratiocinia subjungantur argumentis inartificialibus, rationes in hunc modum introduci possunt.

Nec ratio contradicit.

Lumini revelationis adstipulatur lumen naturæ.

Suadet eandem veritatem indubia rerum theologicarum cohærentia.

Quis enim non animadvertit nexum inter etc.

§. 4. Quod si exceptiones aut objectiones veniant diluendæ, dicimus quidem vulgo et monemus objicere adversarios; verum loquendi ratio exigit, ut hic etiam variationem observemus.

I. Si

I. Si objectio contineat petitionem principii, et non probet quod probandum erat, atque sic testimonia adducantur in speciem controdicentia, occupamus objectionem sub aliqua concessione. V. G.

Fatemur quidem Apostolum aut Prophetam dixisse, scripsisse, pronuntiasse etc. ast probe observandum est, dictum illud non spectare ad idem objectum, non respicere eundem casum, non affirmare secundum idem, ad idem, eodem modo; aliud quid agere auctorem illum, nil amplius asserere quam etc.

II. Si objectio levior sit, formulæ sunto.

Neque vel hylum ad causam facit, quod oggerunt adversarii.

Levioris momenti esse, quod quidam contra movent, nec facile moramur.

Quod objiciunt non pariet, sat scio, hæsitationem.

Quod movent N. N. vel parum exercitatis, qui jam dudum edocti discernere, distinguere etc.

III.

III. Si gravior sit objectio, poterit hunc in modum introduci.

Nondum hic faciunt adversarii vindice dignum.

Est quidem, fateor, haud levis difficultas in objectione, quam movent N. N., facile tamen evadimus, si perpendamus etc.

Primo intuitu pugnare videtur cum hac nostra assertione. Quod movent N. N. ast si rem introspiciamus diligentius, facile expungitur, solvitur etc.

## *CAPUT III.*

### *De transitionibus.*

§. 1. Ne subsultoria sit oratio, quando transeundum est ab una positione ad aliam, commodæ transitiones quærendæ sunt, quæ efficiunt ut oratio sponte incidat in rem ulterius pertractandam. Quod ut felicius præstemus, attendere oportet, quam relationem habeat positio, a qua discedimus ad positionem, ad quam properamus: nempe,

nempe, num se habeat transitus tanquam a causa ad effectum suum, vel tanquam ab effectu ad suam causam, vel ut actio ad modum suum, subjectum ad sua adjuncta, et vice versa: vel etiam, ut actio ad suas circumstantias loci, temporis, et similium, quæ si quis probe perspecta habeat, illi non difficilis erit transitio.

§. 2. Si a causa ad effectum, et contra, fiat progressus, causa concipitur actionem producere laudabilem aut vituperandam, utilem aut noxiam etc. Adeoque debuit sub isto schemate pertractari in anteriori deliberatione, unde facilis est progressus per interrogationes.

Quis non a tali causa convenientem speret effectum?

Quid potuit sperari a mala arbore, nisi mali fructus?

Pro dignitate personæ quoque ejus opus est, scelestus scelestia patrat.

N. B.

N. B. Si vero actio est contra decus auctoris, et contra decentiam muneris, auctor in præcedenti deliberatione describitur cum relatione ad munus suum, et transitio fieri potest in hunc modum.

Quis non ista perpendens a tantæ dignitatis viris sibi spondeat tale aut tale quid? verum ecce omnia evadunt contraria, ut obliviscantur tanti viri suæ dignitatis, ut abutantur sua auctoritate, ut togæ etc. maculam aspergant, debitum munus negligentes ostendunt, quid sequitur eorum opus.

Seu contra ab effectu ad causam fiat progressus, eleganter id etiam fiet, si operis in antecedenti deliberatione facta fuerit exaggeratio; ut transitus fiat in hunc modum.

Tam turpe scelus scelestum habere auctorem, quid mirum? Vultis scire, a quibus talia patiatur justus? respice calamitatis auctorem, cui tantum inuritur scelus, is est N. N. homo turpissimus, jam a plurimis malis infamis etc.

Sin vero opus antecedaneum fuerit laudatum et commendatum, in hunc aut similem modum fiat transitio.

Cui putas ecclesiam etc. tantum debere beneficium, tantam lætitiam, tantam gratiam? nisi Deo, Christo, homini sancto etc.

Talem effectum præstare non est cujusvis, illud enim ipsum probat auctorem facti sui.

A tam præclaro opere jam olim commendatissimus est populo Dei, qui hic designatur. *Et similia.*

§. 3. Quod si actio describatur, ut cum pluribus actionibus conjuncta, vel etiam certo agendi modo restricta, transitus etiam requirit, ut sit commodus.

I. Plures quandoquidem actiones concurrunt ad idem effectum, ita ut singulæ in illud influant, et unaquæque quod suum est præstent: quo in casu ab una actione in aliam transimus similibus formulis.

Accedit et huic ad effectum proficiendum novum studium, alia actio, quam his refert Spiritus Sanctus.

Verum

Verum cum hoc solo non absolvatur quod intendebat N. N. ne opus inceptum non absolutum relinquatur, præstitit præter allegatum et hoc, aliquando paucis accedit, perrexit in opere etc.

II. Si actio describatur cum agendi modo, ab actione ad modum ejus fit transitus.

Quod ut felicius perficeret, justum observavit agendi modum, gloriosum opus, glorioso quoque curavit modo.

Commendatum est hoc opus a singulari agendi modo, quem observavit N. N.

Nec sufficit hoc curasse nisi et curam habuerit decentiæ in ipso agendi modo: quare ut intelligamus nec hoc neglexisse N. N. adjecit ad ipsum Spiritus Sanctus.

§. 4. Quotiescumque subjectum refertur ad sua adjuncta, vel faciunt illa cohærentia ad subjecti restrictionem, vel ad ejus commendationem, aut vituperationem, aliamve qualificationem.

I. Si ad subjecti restrictionem pertineat; aut spectet, a subjecto

jecto in vago nominato fit transitus ad specificationem, unde formulæ.

Ne vero quis putet, tale quid ab omnibus istius ordinis exspectandum esse, aut præstitum esse, cum exclusione ceterorum aliorum, hoc restringit ad hunc illumve etc.

Ast ne putes in vago hoc relinqui, specificatur subjectum arctius.

Ne forte errorem committas et in alieno subjecto quæras, quæ hic affirmabuntur, vel affirmantur, caret Spiritus Sanctus singulari restrictione.

Aut simpliciter transire possumus remotione ceterarum rerum V. G.

Sanguis ita commendatus non est hircorum aut vitulorum, quo aspergebatur sanctuarium manufactum, sed ut prudenter monet Apostolus, est sanguis Jesu Christi.

In hunc modum pro subjecta materia etiam in aliis agere possumus, sic excludendo quæ excludenda erant, et alias sub eodem genere continebantur.

II.

II. Si adjunctum spectet ad subjecti satis definiti commendationem, attendere oportet, num forte subjectum fungatur hic munere testis, atque ita adjuncta commendatio adducta sit ad conciliandam ei auctoritatem. Quo in casu a subjecto in ejus commendationem sic transire licet.

Verum cujus fidei est adductus ille testis, sane ex adjuncta commendatione tenere oportet: quod optimæ fidei, indubiæ auctoritatis sit atque acceptatione dignus, quem nominavit textus, quippe homo etc.

Ne quis de hominis fide dubitet, audit hic noster justus, pius.

Ut momentum accedat rei adstruendæ, proponitur nobis hic testis ut pius etc.

Quod si vero commendatio fiat propter opus, a subjecto exspectandum aut præstitum, commendatio illa respiciet subjecti dignitatem, aut sufficientiam ad illud opus; quo in casu introductio quoque variat.

Magnum

Magnum sane est, quod de hoc subjecto asseritur vel asserturus est Spiritus Sanctus.

Verum ut constet subjectum rei sufficiens esse, commendatur a munere, a donis, a longa exercitatione, eruditione, rerum experientia etc.

Cum res præstanda aut præstita haud vulgarem, atque singularem in auctore requirat dignitatem etc.

Ne ejus rei nescii simus, hoc nostrum subjectum describit textus a dignitate etc.

Quando auctorem operis vocat Regem, Prophetam, Virum Dei etc.

III. Quod si subjecto adjungantur quæ sunt in vituperium, eodem modo possumus concipere transitum cum vituperatione. V. G. Quando Judas proditor audit.

Verum ne hominem turpiter deficientem cum socio viro optimo confundamus, cui erat idem nomen, hoc singulare ei stigma inuritur, quod proditor audiat.

Hunc

Hunc hominem pro pudendo opere, quod statim illi attribuetur, proditorem, scelestum dicit.

Quem hic introducit Spiritus Sanctus, aut describit, ut hominem pessimæ notæ proponit, dum eum cognominat a proditione, ab odio in pios, ab impietate etc.

§. 5. Quod si ab actionibus ad circumstantias transeundum sit, sive loci, sive temporis, hujus quoque ratio haberi potest.

I. Transitio a facto ad locum potest etiam varium assumere schema, prout locus concipitur, aut violatus, et tunc ad exaggerationem sceleris faciet.

Neque solum id ausus est vel audebit, qui tale scelus perpetravit, verum etiam ausus est in loco sancto, in loco splendido etc.

Hoc crimen exaggeratur etiam a violatione loci.

Ut ausus fuerit talia perpetrare in conspectu Regis, populi, Dei etc.

Sin

Sin vero locus sit rebus peractis et laudatis destinatus, in hunc modum fiat transitus.

Neque id factum aut faciendum alieno in loco, destinatus enim erat huic rei locus in textu denominatus.

Pie quoque observavit, aut prudenter, actor hujus scenæ locum, ut pote actioni consentaneum.

II. Circumstantiæ temporis notantur communiter etiam vel propter tempus verum, vel propter εὐκαιρίαν, vel ἀκαιρίαν. Simplex notatio temporis, ut quo anno, sub quo Rege etc. res facta fuerit, ut plurimum adjicitur ad majorem elucidationem veritatis rei, adeoque sic introduci potest.

Ne quis dubitet de veritate rei gestæ, tempus assignat textus, quo factum illud fuit notissimum.

Si tempus requiras, quo res tantæ laudis aut tanti vituperii peracta fuerit; habes hic fidelem indicem, remittit auctor indagatorem rei ad commentarios illorum temporum, ad historiam istius Regis,

gis, cujus anno assignato factum fuisse, ut inquiratur, indicat.

Si vero εὐκαιρία magis spectanda sit, transitus sic instituatur.

Beneficium, auxilium etc. sane opportune collocatum: erat enim illud tempus sub Rege illo difficillimum, triste, lugubre, tale auxilium aut beneficium postulans.

---

# PARS POSTERIOR.

## DE FORMULIS AD APPLICATIONEM SPECTANTIBUS.

---

## *CAPUT I.*

### *De Basi applicationis per modum conclusionis constituenda.*

§. 1. Insignis distinctio est inter textus, qui suis verbis basin applicationis continent, et eos, qui basin applicationis requirunt per modum conclusionis, dicta revocantis aut ad scopum, aut ad thesin.

§. 2. Applicatio ad scopum revocat, quæ explicata fuerant ad consilium scriptoris, atque in iis occurrunt.

I. Applicationes apodicticæ ad scopum Prophetæ, aut Euangelistæ.

A. Si

A. Si prophetia sit, transitus fieri debet hoc, vel simili modo.

Spem, quam fecit Spiritus Sanctus populo Dei de futuro Christo, Propheta, Sacerdote, Rege, Duce etc. non vanam fuisse comprobat historia sequentium temporum.

Qui tanta et talia prædixit de Christo ecclesiæ etc. non fuit sane promissionum suarum immemor, quantocius enim plenitudo temporis venit, quidquid prædixerat, accurate præstitit.

Qui hactenus prævisa ecclesiæ prædixerat et addixerat, cum sit verus et mentiri nescius, fidelitatem quoque suam exhibuit in iis præstandis.

Sin vero prophetia, quam tractamus, contineat judicia Dei erga hostes, aut castigationes erga populum suum, transitio ita inflecti poterit.

Gravia sunt quæ hactenus vidimus interminata, verum quibus executio satis respondit, intueamur modo, quæ de iis referuntur etc.

Decreta hactenus ex consilio Dei manifestata sententiam repræsentant, olim quidem prolatam, senserunt enim hæc judicia hostes ecclesiæ etc.

Sicuti

Sicuti nullum bonorum verborum Dei in vanum cecidit in terram, ita credendum est, nec ullum malorum unquam in vanum abire, in quo, ut amplius confirmemur, videamus, quem eventum præsagia hæc prophetica postea sortita fuerint; inspiciamus modo temporum historias, quo ad iram provocarunt Deum Judæi, Gentes, Anti-Christus, et videbimus quam justas scelerum reportarunt pœnas.

B. Si demonstratio historica revocari debeat ad scopum, transitus esto.

Quæ hic gesta narrantur, si cum scopo conferamus, revera comprobant. V. G. Jesum vel in primo suo ortu omnibus Messiæ characteribus fuisse insignitum: nihil enim de Eo narratur, quod non aut secundum decentiam muneris, aut secundum characteres propheticos in Eo requirebatur.

Quæcumque hic expendimus in Christo, ecclesia, populo Dei facta esse, revera comprobant Deum fuisse cum iis, debitaque præstitisse officia, quæ vocationi eorum congruunt.

Facile

Facile hic est observare viam; secundum legem Mozis institutam, vere fuisse divinam, quippe in qua Deum habent cum omni sua clementia obvium, Quem experiuntur Amicum, in theocratia verum populi Defensorem etc.

Sin vero, quæ historia narrat, spectent ad judicia divina cum populi apostasia conjuncta, in hunc modum instituamus.

Viam hanc Dei cum populo defectore adeo severam et rigidam si quis penitus intueatur, facile mecum observabit in una legis observatione esse salutem, in ejus defectione perniciem: desertionem legis esse fœdifragium excludens ab amicitia Dei, et in istis judiciis esse damnationem omnis recessionis a lege; ut proinde hoc ipso legis divinitas confirmetur, dum eadem ipsa judicia in lege interminata juxta legem infliguntur.

II. Applicationes apodicticæ in ratiociniis. Si quando textus pertractati cohærent cum propositione anteriori tanquam medius terminus, oportet ut in

transitione et hoc moneamus, atque rem ad scopum referamus hoc aut simili modo.

Observemus hic quam solide demonstret, quod sibi demonstrandum sumpserat auctor, dum ratione desumpta ex hac aut illa sede evincere conatur propositionem suam.

Hoc argumento dum utitur Apostolus, Propheta, Psaltes, ad asserendum quod proposuerat supra, non putandum est levioris ponderis esse, at expendendum est, quid virium habeat ad propositum conficiendum.

§. 3. Si conclusio facienda progrediatur ab adhortatione particulari, pro applicationibus practicis basis applicationis fiat per comparationem, hunc fere in modum.

Si Apostolo graves causæ fuerint adversus tentationes, aut mores seculi, in hunc modum monendi aut muniendi Romanos, Ephesios etc. sane nec nobis deerunt rationes hunc ipsum canonem vitæ præscribendi, commendandi vobis, iisdem tentationibus obnoxiis, ab iisdem moribus haud puris

puris aut immaculatis abstinendum esse: ea enim vivimus tempora, quæ eandem, vel haud minorem necessitatem nobis imponunt vigilandi adversus similes tentationes, aut mores.

Quod hic ab Ephesiis, Corinthiis etc. officium requirit Apostolus, id sane putandum est non iis tantum dixisse, sed et omnibus Christianis, eandem viam Christianam profitentibus.

§. 4. Si ab exemplis laudatis aut vituperatis progrediendum sit ad basin applicationis, horum exemplorum ratio ita haberi poterit.

I. Si mala sint hominum scelestorum, ita instituamus.

Observate mecum, quantum stigma hic inurat Spiritus Sanctus transgressori, ut nos discamus cautius mercari, dedecus tale fugere etc.

Qui nostrum audit, dubitare nequit ista nobis ob oculos posita esse ut absterreamur, ut prudenter agamus, et non in simile exemplum infidelitatis incidamus.

II. Quod si vero exemplum peccans sit homo regenitus tentationi

tationi succumbens, basis applicationis ita introduci potest.

Cernimus hic virum alias pium, tentationis laqueis irretitum et implicatum, atque a via recta d vium factum, nobis in cautelam, ne nimius confidamus nobis.

Videtis hic in exemplo, Auditores, ut et ipsi sanctificati non sint liberi, non solum a tentationum insulsu, verum et ab efficacia; ut quandoquidem optimi, sed non satis cauti a concupiscentiis carnis superentur, bellum contra spiritum gerentibus: quibus exemplis uti oportet, non ad imitationem, sed ad prudentiam.

§. 5. Exempla laudata et laudanda pro varietate subjectorum etiam varie revocantur ad basin applicationis.

I. Si Dei exemplum veniat observandum, in hunc modum fiat introductio.

Quotquot mecum tenent Deum sanctissimum nobis esse et exemplar omnis virtutis, observent etiam in imagine Dei virtutem hic conspicuam nobis, ad imaginem

ginem Dei regenitis etiam exprimendam: occurrit enim hic nobis ut vera amoris, misericordiæ, clementiæ imago, quam omni studio exprimere decet.

Etiamsi infinita inter Deum et hominem sit distantia, hoc in casu tamen agnoscendus est in virtutum exercitio vivus clementiæ etc. Typus, quem imitari decet ad imaginem Ejus reformatos.

Cum filios Dei oporteat Patrem referre, sane intermittendum non est beneficentiæ studium: si enim Pater noster cœlestis qualescumque beneficentia sua accumulet, procul dubio et nostrum et Ejusdem in hoc casu calcare vestigia.

## II. Si Angelorum virtutes in exemplum sunt tragendæ, in hunc modum progredi licet.

Quamvis usitatissimum sit hominibus ad vitiorum suorum extenuationem prætendere se homines esse, non Angelos, nihilominus in Regno Dei aliter edocti sumus, et Angelos esse veræ obedientiæ et virtutum typos: proin et ab hoc Angelorum studio exemplum capere decet vere regenitos, quippe in quibus et ipsa imago Dei vividissima resplendet,

cui

cui ut conformes evadamus, nobis commendatum est.

Quotquot sincere rogant ut voluntas Dei fiat in terra, sicuti in cœlis, non possunt non ex cœlitibus capere exemplum, quo animo deceat nos voluntatem Dei exsequi: vidimus hic quid Angeli præstiterint erga Deum, ecclesiam, pios et fideles etc. proin ut idem animus sit quoque in nobis oportet.

III. Si Christus nobis veniat in exemplum, in hunc modum instituamus:

Quem nobis Deus dedit viæ et vitæ Ducem, Hunc quoque nobis sequendum esse ad omne virtutis vestigium, nemo facile dubitabit: cumque in textu videamus Eum a mansuetudine, tolerantia etc. commendatum, consentaneum est, ut etiam in hac virtute Ejus exemplum sequamur.

Videte hic exemplum pietatis, charitatis, etc. et quidem Ejus, Qui nos ad sequelam Sui obligavit, Quique inter disciplinæ suæ primas conditiones exigebat Ipsum sequi: Luc. IX. v. 23.

Videte exemplum Ejus, Qui est omnium exemplorum Lapis Lydius,

dius, Qui peccatum non novit, Qui tutissimum vitæ exemplar est etc.

Qui potius exempla quam leges sequuntur, et sæpe ire qua itur, non qua eundum est, solent, Hunc respiciant, Hunc intueantur, et ab hoc Doctore discant, quid in simili casu præstandum sit. Hujus legamus vestigia, si tuto incedere velimus.

## IV. Si Sanctorum occurrant laudata studia, hoc modo commendari possunt in exemplum.

Cernimus hic, quid Spiritu duce in præsenti casu fecerint sanctitatis studiosi, nos, qui ad idem festinamus premium, ad eandem coronam, qui in eodem degimus stadio, presse sequamur laudata vestigia; quippe qui sub eadem obligatione hoc stadium ingressi sumus, eadem vocatione vocati, iisdem vinculis obligationis obstricti, sub eadem lege militantes, ejusdem Ducis servi etc.

Qui laudem quærit, quæ ex Deo est, non quæ ex hominibus, laudatum hoc exemplum perpendat, ut videat, qua in re studium suum cum laude collocare possit.

Vides

Vides hic strenuum Chrisri, Dei etc. imitatorem, nos et hunc sequamur, ut cum ipso evadamus imitatores Christi.

## *CAPUT II.*

### *De basi applicationis per modum porismatis.*

§. 1. Si textus ipse contineat argumentum in basi applicationis repetendum, oportet etiam, ut introducatur cum aliquo ambitu.

§. 2. Quod si argumentum contineat veritatem quandam dogmaticam, repetitio argumenti hic proponi potest per modum collaudationis hunc in modum.

Stabit itaque, et perstabit in æternum veritas tam sollicite in textu nostro proposita, et per omnem analogiam fidei comprobata, quod etc.

Quis

Quis jam amplius dubitet de veritate dogmatis? quod tanquam a Spiritu Sancto edoctum profitetur ecclesia.

Videtis hactenus veritatem ex Deo auctore Ejusque Spiritu dogmatisatam, hic a Christo, Propheta, Apostolo etc. nempe quod etc.

## §. 3. Si sit officium homini Christiano quasi lege præscriptum, introduci potest basis applicationis.

Agnoscimus itaque hic vitæ canonem omni modo ab homine Christiano sequendum aut observandum.

Qui itaque velit respondere vocationi hominis Christiani, hunc decet semper ob oculos habere, quod hactenus nobis præscripsit N. N. nempe quod etc.

Videtis hic obligationem, ejusque exactam delineationem, quam solvere oportet, quicumque se fœderatum Dei profitetur, Christi servum, Dei filium etc.

Ex dictis constat, quo vitæ genere professio Christiana ornetur, nobisque ornanda sit.

§. 4.

§. 4. Si in textu sit promissio, introductio ad basin in hunc modum fiat.

Videtis quanta nobis spes facta sit, quotquot ad œconomiam spectamus Dei, et inter credentes filii Dei facti sumus, dum promisisse nobis Deum cernimus etc.

Quanta erga nos sit divina gratia, qua Semet Ipsum obstrinxit suis verbo hactenus enucleato, animadvertent facile omnes, qui ad boni expositi magnitudinem attenderit.

Verbum hoc Dei bonum, quod hactenus expendimus, inter ea numerandum est, quæ non frustra cadent in terram: Qui enim hoc dixit et nobis addixit, fidelis Deus est, mentiri nescius.

§. 5. Si sit promissio conditionata, propositio talis esse potest.

Videmus proin in hactenus expositis viam minime fallacem, a summo viæ Commonstratore patefactam, ut quæ suspensa est in fine stadii corona, certo jam attingere liceat, si quod præscriptum est, retineatur. E. G. Hic per fidem aditus est ad vitam, per resipiscentiam ingressus in Regnum cœlorum etc.

Con-

Confirmemur itaque in spe boni, qui conscientiam habemus peractæ stipulationis, hujus enim est beneficium ex immutabili Dei fœdere.

Via, quam hic commonstrat Spiritus, sane beata est; qui eam calcat, non potest non obvium habere Deum ut beneficum, quippe Qui Ipse nexum constituit inter virtutem et præmium, inter officium et spem etc.

§. 2. Si sit comminatio cohærens cum aliquo vitio, simili modo instituere licet.

Hæc audiens videt, quid sibi fugiendum sit, si iram Dei venturam effugere velit.

Agnoscendum hinc quantum malum parturiat peccatum, quantum inferat damnum, omni homini sanæ mentis evitandum.

§. 7. Potest quoque argumentum, pro basi repetendum, commendari ab auctore, qui illud in textu inculcabat, ita aliquando, qui loquitur, est.

I. Deus, quo in casu hujusmodi introductiones obtineant.

Videtis,

Videtis, Auditores, quid maximus Ille Imperator, unus legis Imperator, Qui servare et perdere potest, a subditis suis requirat, quid exigat; Cui obedientiam negare impietas est, Cujus legem qui rejicit Θεομάχος est.

II. Si Christi verba sint pro basi applicationis repetenda et faciant ad fidem, transitus hic aut similis esto.

Quis et quantæ sit auctoritatis, qui hanc veritatem nobis credendam præscribit, nempe etc. neminem latet: Unigenitus est ex sinu Patris prodiens, Qui, quæ apud Patrem vidit, nobis declaravit, Cui revelationem tanti mysterii debemus.

Sin vero ille Ipse nobis officium præscribat cum aliqua legis elucidatione, hoc modo progrediamur.

Notate hic Angelum Interpretem, singulari cum sanctitate resplendentem, id egisse, ut spiritualem legis mentem teneamus, ut suos ad sanctitatem, Deum decentem, revocaret. Quam egregie comprobavit hic Dominus doctrinæ suæ

suæ sanctitatem, dum ad sincerum pietatis studium revocat Discipulos? pellucet hoc vel in nostro monito, in lege ipsius hactenus excussa.

III. Si locus officium præscribens sit propheticus ex Moze, Prophetis, aut Hagiographis, basis introduci potest cum commendatione auctorum, in hunc fere modum.

A. Ut si Mozes sit, ita introducatur.

Hoc officium populo Dei præscripsit legis minister, fidelis ille testis in domo Dei: qui ore ad os cum Deo locutus, sanctitatem Dei intime perspectam habebat.

B. Si ex Salomonis Proverbiis pertractatum sit gnoma, in hunc modum fiat propositio.

Videtis, quod in domo prudentiæ hic præscribat Rex sapientissimus, imo ipsa Sapientia quo laqueos tentationis evadere possumus. Qui prospiciebat enim omnes technas Diaboli, et adversariorum Regni Christi, prudentissi-

mumque procul dubio dedit consilium; qui hanc sententiam præscripsit etc. ut nihil nobis reliquum sit, quam obtemperare sapienti consilio.

C. Si ex Davidis Psalmis quidquam pertractatum fuit, quod ad officium pietatis, temperantiæ, aut justitiæ spectat, in hunc modum introducamus basin.

Quod hactenus expendimus officium, Virum secundum cor Dei ex meditatione legis derivasse, haud dubitandum est, et Spiritum Sanctum dictasse, protulisse, ut indubiam nostrum omnium obligationem contineat.

D. Si Propheta, ita instituamus.

Sic Vir Dei, qui non ex lubitu hominum, sed afflatu Spiritus locutus est, tanquam Legatus Dei, nos instruit de officio debito, atque ad officium revocat etc.

IV. Monita Apostolica, si ad basin applicationis sint revocanda, hoc vel simili modo proponuntur.

Qui

Qui incubuerunt ecclesiam Christo sistere inculpatam, merito invigilarunt ut expositi hactenus officii studio glorificemus professionem Christianæ fidei.

Sic imitatores Christi nos vocant ad conversationem Christianam digne instituendam: ipsi in officio isto viva exempla, viæque Duces etc.

## *CAPUT III.*

### *De Applicatione ad Reprehensionem.*

§. 1. Cum reprehensio varias agnoscat partes, priorque respiciat historiam criminis, illa fieri potest.

I. Accusatione in hunc modum.

Pessima in secula nos incidisse, vel hoc solum argumento est, quod rari sunt, licet sub nomine Christiano, qui in hoc officio se exerceant. Maxima Christianorum turba avertit se a decenti hujus officii studio, dum in contraria ruunt vitia, implicati oppositis studiis.

II.

II. Deploratione in hunc modum.

Utinam nobis non magna esset causa deplorandi variorum hominum statum! qui in contraria ruunt, longe alia spectant, et obligationem illam perfide rumpunt etc.

§. 2. Convictio pars altera est, quæ perficitur revocando homines ad signa vitiorum, fere in hunc modum.

Fateor esse, qui mira hypocrysi scelera obvelant, crimina elevant, imo sæpe facta sua interpretantur ac si legi non essent contraria: hos hypocritas et obvelatos transgressores ad tribunal conscientiæ revocamus, ut attendant, an cum officii præstatione consistere queant hæc mentis consilia, hic gloriæ divinæ neglectus etc.

§. 3. Dehortatio, quæ tertia pars est, introduci potest attendendo ad naturam argumentorum, ex qua sede nimirum desumantur.

I. Si a pudendo seu inhonesto.

Itane

Itane prostituti pudoris potest esse homo Christianus? ut faciem Dei respiceat et ad illud crimen non pudefiat.

## II. Si ab iniquo.

Deplorandum est hominem rationalem ita ex mente excussisse rationem æquitatis, ut sibi licere existimet, quod adeo ab omni ratione recedit.

## III. A damno ita instituatur.

Putas ne tibi spondere posse aliquem viæ istius perversæ optandum exitum?

An tantopere excæcati sunt mentis oculi, ut non videas, o homo! pœnitendos istius seminationis fructus fore etc. viam illam tuam tendere ad mentis perniciem: ad majorem implicationem in peccatis? etc.

## IV. A comminationibus divinis.

Ne quæso pergatis eo, quo incepistis pede, nec fallamini vanis cogitationibus, manet similes ira divina.

Qui non vanus est in comminationibus, jam in Sacra Scriptura minatus est horrida Judicia, non nisi per pœnitentiam avertenda.

Vobis,

Vobis, si pergere stat sententia; tandem sera erit pœnitentia, quando ad repetendas pœnas evigilabit Deus: dixit enim jam olim, et in comminationum suarum catalogo recensuit sententiam, in tempore denunciandam etc.

## *CAPUT IV.*

### *De applicatione ad officium in usu adhortationis.*

§. 1. Occurit hic primo loco officiorum præscriptio, ubi si transitus fiat a dehortatione ad adhortationem, in hunc modum fieri potest.

Verum ad vos me converto, dilectissimi fratres in Christo, de quibus meliora speramus, vestrum erit itaque diligentius curare obligationem vestram, illamque singulari studio promovere, atque Deo solvere, vestrum est præstare officium in studio virtutis hactenus præscriptæ.

Vos quod attinet, quos timor Dei corripuit ad effugiendam iram Dei,

Dei, ne in simile exemplum Judicii incidatis, curate potius viam vitæ etiam in hujus virtutis praxi calcare diligentius.

Ast quotquot se profitentur ad Deum conversos, et effugisse Diaboli laqueos, scitote vestrum esse fructus proferre resipiscentia dignos, atque respondere verbo vocationis: inter virtutes, ad quarum praxin vocati estis, etiam præcellet ea, quam hactenus proposuimus.

Quisquis vero fidem suscepit, teneat se obligari ad hunc fidei fructum omni studio proferendum, est enim inter fructus fidei commendata virtus.

§. 2. Quod si vero officium per partes sit inculcandum, aut certis quibusdam modis amplificandum, transitus ab una parte in aliam etiam observetur commodus: si enim prior pars aut modus absolvatur, transitus ad alteram partem fiat simili modo.

Nec putes, o Christiane, jam te omne officium præstitisse, restat et aliud cum priori conjungendum, ut officium perficiatur, haud

haud minori mentis cura præstandum etc.

§. 3. Altera adhortationis pars erat hominis incitatio per motiva, seu argumenta officium suadentia.

I. A necessario si sit argumentandum, fieri potest assertione.

Nisi hoc officium curaveris sedulo, credas firmiter non obtenturum te viæ finem, nec assecuturum præmium, quod Deus promisit.

Aut interrogative.

Hæc si neglexeris, putas ne tibi paratum esse præmium, quod Deus statuit in hoc stadio currentibus? etc.

II. A legitimo, cum assertione.

Si non sis nescius, quid lex, quid ratio præscribat, sane omittere non poteris, nisi cum contemptu legis, aut rationis, quod utraque præscribit, dicit enim lex, dicit ratio etc.

Vel

Vel etiam interrogative.

Tu ne, qui legem audivisti, qui rationem colis, præter omnem rationem negligeres, quod officii tui est?

Itane immemor es beneficiorum Dei te obligantium?

Nonne tenes, mi Christiane, quibus te obstrinxerit Deus beneficiis? Quam extorserit tibi ὁμολογίαν in ipsa confœderatione cum Deo, quando jurejurando fidem dedisti.

III. Ab honesto si sit argumentandum, in hunc modum incipiamus.

Nonne homini, nedum Christiano gloriosum est ista cogitare? hæc agere? sane dignitas Christiani nominis postulat, ut rem hanc curemus laude dignam, quam vel ipsi impii celebrare coguntur; decus Angelicum est; inter virtutes Deum commendantes amabilemque Ejus gloriam repræsentantes est hæc virtus. Quod si ergo professionem Christianam adornare velis; etiam hic ornatus tibi comparandus est.

IV.

IV. Ab utili.

Dic, age, quid magis faciat ad gloriam Dei, ad ædificationem proximi, ad propriæ conscientiæ tranquillitatem, ad vocationis, et electionis nostræ stabilimentum, quam in hac virtutis praxi se operosum exhibere.

O quantum gloriæ accedet ad nominis Dei celebrationem! quantum promovebitur Regnum Christi! quantum subnascetur gaudium spirituale! quanta erit vestra consolatio, in hoc stadio currentes inveniamur.

§. 4. Quod si adhortationi aliquod consilium sit subjungendum, hoc fieri potest.

I. Assertive, in hunc modum.

Hæc qui perpenderit, ut Christianum decet, non dubito, quin in animum adduxerit commendatum hactenus officium ad praxin revocare: verum ut felicius progrediatur opus decretum, non possum non quin commendem, quæ ad faciliorem executionem rerum facient. Proin observate circa hoc opus etc.

Ubi

Ubi media veniunt subjungenda.

II. Per modum occupationis, vel objectionis, hoc modo.

Fateor, arduum esse opus, quod hactenus commendavimus, atque in hoc stadio currenti, vel currere volenti multa fore obstacula, quæ cursum sistant, multa fore, quæ hominem ab incepto aut proposito revocent.

Videtur quidem durum carni jugum, sed leve fiet, si modo placuerit legitimam eligere methodum, mentemque obfirmare hisce cognitionibus, aut animum abstrahere ab hisce malorum irritamentis.

Fateor nos versari in mundo, curisque mundanis perpetuo abstrahentibus; ita Tentator est ab insidiis, ut perpetuo immittat in nos instrumenta aut curas etc. quæ cursum intervertunt; verum hisce opponamus nos etc.

*CAPUT*

# *CAPUT V.*

## *De Consolatione.*

§. 1. Sequitur tandem usus practicus, qui est consolationis, ubi occurrit oppositio rationum adversus metum, aut tristitiam.

§. 2. Adversus metum malorum imminentium, si erigendus sit animus, spes illi contraria facienda est, atque collectio usus in hunc modum introduci potest.

Hanc viam qui calcat, seu hanc veritatem qui firmiter retinet, inveniet scutum fidei suæ satis roboratum adversus ignea Satanis tela: solet quidem ille fidem quatere multis tericulamentis malorum, animumque nostrum conatur implicare multis dubiis, verum qui fide tenet, quod est in propositione, aut viam retinet, quæ est in officii exactione, non amplius habet metuendi causas.

Cui

Cui propositioni subjungatur historia veriarum fortunarum, quas metuunt homines, nec non ratiocinium, quo demonstretur, nihil habere eos metuendum.

§. 3. Si vero consolatio intendat tristitiam animo eximere ex præsenti malo natam, poterit introductio consolationis in hunc modum fieri.

Hæc audite, atque hæc curate vos lugentes Zionis, pauparēs animo, fracti corde, turtures gementes *et similia.*

Et similes compellationes, quæ alternari, et substitui possunt.

Tristis quidem et lugubris videtur sors vestra, verum est hic balsamum in Gilead, est hic verbum consolationis, quo liceat in gaudio inniti.

Non est, credite mihi, malum vestrum tantum, quam quidem ex imaginatione videtur.

Verum non est malum vestrum, sed tantum in speciem quod si per analysin resolvamus, longe aliam referet speciem, quam quidem primo intuitu videtur.

Hæc si ita sint, non est ut amplius luctui locum concedatis; qui infortunio externo videntur afflicti, aut tentationibus spiritualibus subjecti, propter illa corporalia non minus sunt felices, non propter tentationes spirituales minus a Deo dilecti; patent enim ex hisce malis secundum apparentiam qualiscumque conditionis sint fideles, quippe qui militia spirituali sunt exercendi.

Allegentur itaque hic fideles eodem modo aliquando tentati, et urge ex textu rationes demonstrantes, divinam gratiam non pendere ab istiusmodi casibus.

§. 4. Quod si ad majorem confirmationis consolationem requiratur usus explorationis per signa et κριτήρια, in hunc modum pergere possumus.

Sin

Sin tu ex imbecillitate animi in hisce nondum acquiescas, age, revoca mentem ad lapidem lydium sinceræ explorationis, et observa, num in te invenias hæredis gratiæ notas? quæ facile commonstrabunt, num istæ Dei promissiones spectent ad te, num secus.

§. 5. Quod si vero consolatio tanquam usus primarius fuerit concionis habitæ, et in applicatione primus; possumus per modum consilii adhortationem facere in hunc modum.

Verum cum non sit omnium ista consolatio, et non sit panis projiciendus canibus, oportet ut caute progrediamur, nec ad carnalem socordiam rapiamus maximas illas consolationes; spes enim, quæ hic subnascebatur, non est omnium, non eorum saltem, qui etc.

Ubi ex textu et circumstantiis colligi debent habitus mentis contrarii, atque non aliter hic agendum

agendum ac fieri solet in reprehensionibus, unde progrediendum ad propositum officium in hunc modum.

Verum, qui hanc spem sibi ratam facere velit, ut possit gloriari in spe gloriæ Dei, aut in spe gratiæ et conservationis divinæ, ea curet, quæ electionem et vocationem firmam faciunt, quæ ita sincere sperantes decent.

Cui subjungere oportet officia huc facientia.

Notandum quod hic signa in exploratione commemorata sæpe commutentur in officia, dum commendamus, ut istos habitus, istas virtutes exprimant, quæ alias in notis includuntur post monitum.

Hisce itaque præscriptis commendamus, ut ex lectione bonorum Auctorum, imprimis ex Practicis vivacissimis, similes

similes formulas loquendi colligant tirones, et sub justis suis titulis annotent, ut sic copia dicendi fiat quotidie auctior et amplior.

*FINIS.*

col-
justis
t sic
e au-